LEEDS INFIRMARY
MEDICAL-LIBRARY,

Entered 1 Aug. — 1781

Allowed for reading the firſt Year } Weeks Days 10

—After the firſt Year

Forfeiture per Day for keeping it beyond the Time. } d. 1

LEEDS UNIVERSITY LIBRARY

Classmark:

Special Collections

Health Sciences Historical Collection

SC2 WEB

30106016201468

The University Library
Leeds

The Library of the
School of Medicine

Digitized by the Internet Archive
in 2015

https://archive.org/details/b21522376_0003

MEDICINAE PRAXEOS SYSTEMA,

EX

ACADEMIAE EDINBURGENAE DISPUTATIONIBUS INAUGURALIBUS

PRAECIPUE DEPROMPTUM,

ET SECUNDUM

NATURAE ORDINEM

DIGESTUM.

CURANTE CAROLO WEBSTER, M. D.
VALETUDINARII PUB. EDIN. MED. ALTER.
E COLL. REG. MED. EDIN.
SOCIET. REG. MED. PARIS. ET EDIN.
HUJUSQUE AD ACTA EDENDA A SECRETIS.

TOMUS TERTIUS.

LEEDS INFIRMARY MEDICAL LIBRARY

EDINBURGI,
TYPIS J. BELL ET R. MURRAY.
VENALIA PROSTANT APUD GULIELMUM GORDON ET ROBERTUM MURRAY;
LONDINI, APUD CAROLUM DILLY,
NEC NON RICHARDSON ET URQUHART, BIBLIOPOLAS.

MDCCLXXXI.

107

MEDICINÆ PRAXEOS SYSTEMA.

ORDO QUINTUS.

MORBI HYDROPICI.

DE HYDROPE *.

VASORUM lymphaticorum, quanquam longe prius inventa fuerant, verus uſus et pathologia uſque ad noſtrum fere tempus recondebantur. Operibus clari noſtri Profeſſoris Monroii, et aliorum illuſtrium auctorum, ſatis compertum eſt, omne cavum, quod circuitui non inſervit, multis bibuliſque lymphaticis vaſis ſuppleri; ſed praecipue ubicunque liquida effuſa nullum alium exitum habent; tales ſunt celluloſa tela in univerſum, abdominis, thoracis, capitis, et articulorum cavitates. Hae omnes, halitu aquoſo, ſubgelatinoſo, a frigore et a quiete coagulabili, irrorantur; is in ſtatu ſano ab oſculis patulis lymphaticorum reabſorbetur, et in ductum thoracicum iis advehitur.

Hicce humor in oeconomia animali utilis admodum eſt, has partes, quae ſibi invicem atteruntur, lubricas reddendo, ut motus earundem liberior ſit, et concretio, quae aliter eveniret, malumque induceret, etiam praecaveatur.

Quum idem vero in cavo quovis, tali quantitate accumuletur, ut tumor et moleſtia inde oriantur, morbus quem Hydropem nominare ſolent medici conſtituitur.

Si aqua uberius colligitur in ampla cavitate, aut pluribus parvulis, ſcil. in membrana celluloſa, morbus ſemper comi-

* Haec de Hydrope e diſputationibus inauguralibus a Jac. Bennet, , ex. Scott, et Joanne Vize, ſcriptis, deprompta ſunt.

tantem habet ſitim, quae ſaepe etiam inexplebilis eſt, cum parca urina, et materie perſpirabili cohibita.

Quum aqua in clauſa cavitate contineatur, hydrops nominatur Saccatus vel in Cyſtide; ſi autem per telam celluloſam ubique diffunditur, tunc Diffuſus vocari ſolet; prioris exemplum praebet aſcites, poſterioris anaſarca. Hydropes ſaccati denuo dividuntur in eos, quibus cavitates ſecundum, et quibus praeter naturam ſunt; in his ſacci aquam continentes ex morbis originem habent, ut in hydrope chordae ſpermaticae, hydatidibus, et caeteris, videre licet.

Species hydropis omnes ex parte affecta plerumque nomen habent; a cujus natura et officio varia oriuntur phaenomena.

DE SPECIEBUS SINGULATIM.

ANASARCA

Sic a Culleno celeberrimo definitur; "Corporis intumeſcentia mollis inelaſtica *."

HISTORIA.

Hunc morbum imprimis demonſtrat pedum atque talorum intumeſcentia, ſole praeſertim occiduo, oborta, maxime ſi aegrotus per aliquod temporis ſpatium ſitu manſerit erecto, aut pedes quoquomodo diu habuerit declives. Auroram verſus, vel ſi aliquantiſper decubuerit, tum multum imminuuntur, ſi non ex toto evaneſcunt tumores; tametſi non deſunt exempla ubi pedes noctu magis quam interdiu tumidi evadunt. Sed hoc raro tantum accidit, et non niſi ſub morbo adhuc leviori, vel poſt exercitationem de die ſtrenuam. Morbo ingraveſcente, pedum inflatio haud ita evanida eſt, quin potius ad crura, coxas, lumbos, et exteriora abdominis (aſcitem referens), adſcendit; poſtea thorax, et poſtremo manus, facies, totumque afficitur corpus; ea tamen plerumque lege, ut tumor in hac illave parte, pro ratione ſitus, nunc tumidior, nunc depreſſior appareat. Palpebrae etiam in tantum ſaepe intumeſcunt, ut viſus omnino intercipiatur; partes tamen inferiores magis fere ſunt tumidae; aqua enim, gravitate ſua preſſa, ima ſemper petit. Tumor hic indolens eſt, et premente digito foveolam excipiens tarde conſurgit.

Ecce ergo hujus morbi decurſum ſolitum, quum ex cauſis quae totum corpus male habent ſenſim augetur; ſed has haud ſemper ſervat leges, aliquando enim breviſſimo intenditur ſpatio; cujus exemplum praebet Sauvageſius †, viri nem-

* Vid. Synopſ. ejus. † Noſ. Meth. vol. 2. p. 472.

pe

pe cujuſdam qui nocte ſanus lectum petens, expergefactus fuit adeo oedematoſus, ut vix ſurgere potuit. Malo increſcente, aliquando tam multum cutis diſtenditur aqua, ut fiat exſudatio; cuticula etiam quibuſdam in veſiculas elevatur, quae ruptae multum laticis effundunt ſeroſi, inſtante (proh miſerum!) gangraena lethifera.

Omnes functiones magis minuſve laeduntur; vis ſentiens interdum tam exilis eſt, ut aegri haud ſentientes fuere combuſti; vires minimo franguntur labore; motus evadit torpidus; appetitus proſternitur, multumque ſegneſcit digeſtio. Calor a cute ita receſſit, ut aeris circumambientis calorem ne quidem exſuperare videatur; reſpiratio fere laborat; tuſſis ſicca ſaepe ſe comitem adjungit. Pulſus aliis, et tempore alio, alius, nunc frequens, nunc debilis et irregularis; eſt ubi tardiſſime micat; nunc color rubicundus ex genis avolat, totumque corpus pallore dehoneſtatur cadaveroſo. Nec etiam haud laeduntur excretiones; cutis areſcit, ſitiſque fit intenſa; urinae etiam aegris minguntur parcae, fereque ſubrubrae, haud potui congruentes aſſumpto. Haud ſemper tamen fatendum ſic ſe habet; nam urina interdum quoad colorem excernitur naturalis, quantitate eadem ac ſanitate illibata manente. Quoad alvum, nil perpetuum eſt, quae aliquando tarda, aliquando dejicitur laxa. Morbi finem verſus febricula fere aſſidua, ſed lenta, miſerum conficit, cum pulſu parvo, crebro, ac inaequali; in graviore caſu paralyticae affectiones, ut aphoniae, catarrhi ſuffocativi, &c. per intervalla accedunt *; frequentiſſime deliquia ſaepius recurrentia aegrum morbis atque aerumnis confectum e medio tollunt.

DIAGNOSIS.

Anaſarcam principio potiſſimum polyſarcia refert; quas tamen his fere notis diſtinguere licet. In polyſarcia, intumeſcentia nunquam vel perraro foveam, premente digito, excipit, nec veſperim verſus, ut in anaſarca, pedes mole increſcunt; ſaltem haud tempore nec ſitu mutantur. Praeterea, polyſarcia fit magis gradatim, ac diaetam plenam, ac lautam, fere ſubſequitur; cum, e contra, victus tenuis parcuſque omnibus hydropum ſpeciebus corpus obnoxium reddit. Poſtremo, facies hydropici pallida atque exſanguis plerumque apparet, dum polyſarcia gravati rubicundo ſuffunduntur colore.

Emphyſema etiam larvam prae ſe fert anaſarcae; crepitatio vero, quae fricante ac premente manu percipitur, cum tumoris elaſticitate diagnoſin minime praebebunt fallacem; ad

* Vid. Vogel. p. 552.

ſummum, mediocri adhibita attentione, indiciiſque ſequentibus, nempe urinae paucitate, ſiti, ſaepe dyſpnoea, et manente digiti impreſſione, a quibuſlibet aliis morbis facile dignoſcitur anaſarca.

PROGNOSIS,

Ex cauſarum ratione, ſymptomatum duratione ac violentia, aegri denique aetate, habitu, viribuſque perpenſis, inſtituenda eſt. Caute tamen ſemper hoc in morbo tradenda eſt, utpote nullus vel ſaltem pauci ſunt affectus de quorum eventu judicando majore cautela atque cura ſit medico opus; et hoc ſatis perſpicuum eſt, ſi tantum cauſas illas tam varias et (quantum adhuc notum) incurabiles, attente conſideremus, unde originem ducit illa Lerna malorum hydrops; ſequentia tamen aliquo modo nos dirigere poſſint. Si adhuc juventute viribuſque viget illibatis, morbuſque haud inveteraſcit, ſi ſuppreſſis evacuationibus natura inſtitutis vel nimis largis ſucceſſit, ſi dyſpnoea haud multum increvit, urina etiam parum imminuta, fauſtum tunc dare judicium licet; ſed praeſertim ſi nulla viſcerum obſtructorum ſint ſigna.

Si, e contra, aeger gravibus opprimitur annis, vires labefactantur, morbus longum in tempus duravit, vel ſi a cauſa immobili, veluti hepatis ſcirrho, pulmonum, cordis affectione, &c. ortus ſit; poſtremo, ſi dyſpnoea ingraveſcat, ſitis intendatur, res jam plane in ancipiti poſita eſt, et infauſtus exitus exſpectandus. Aſt, ubi ſub inveterato morbo viribuſque fractis alvus profluere incipit, ſi aqua ſibi viam per cutem paraverit, et ulcera in ſphacelum vertantur, febricula praeſertim praeſente, tunc de aegro conclamatum eſt.

ASCITES

Definitur, "Abdominis tumor aequalis; fluctuantis intus aquae perceptio; urina parca; ſuperiorum partium macies *."

HISTORIA.

Saepe ſine ullo morbo praeeunte aſcites occurrit; ſaepe etiam intermittentium, praecipue quartanarum et aliarum febrium, icteri, hepatitidis, ſcrophulae, ſcorbuti, rachitidis, aliorum hydropum ſequela eſt. Pedes et crura aliquando initio, ſaepius morbi curſu tumida fiunt; aegroto recumbente, partium ſuperiorum tumor incidit. Tuſſis ſicca, frequens, cum

* Vid. Synopſ. Cull.

dyſpnoea,

dyſpnoea, non raro principio, interdum non niſi ad finem, evenit. Cibi deſiderium valde imminuitur, et ſitis ingens urget. Ægrotus borborygmis flatibuſque multum incommodatur. Tunc tumor aliquis abdominis, qui primum tympanitidis ſpeciem refert, percipitur. Omnes functiones animales male pergunt, et aegrotus multa laſſitudine et aliquo ſtupore laborat. Urina ab initio minima quantitate, et valde rubida, redditur Alvus per omne morbi ſtadium admodum adſtringitur. Pulſus frequentior, quandoque autem rarior, plerumque debilior naturali exſtat. Cutis per totum morbi curſum arida eſt, et ſudor aegre allicitur. Morbo progrediente, tumor ponduſque abdominis multum augentur, et manifeſta fluctuatio effuſi liquoris ictu percipitur; facies pallet, ſordet; corpus ſuper ſceletum repraeſentat. Æger vix poteſt decumbere, ob reſpirandi difficultatem. Effuſa lympha in ſcroto et praeputio has partes laxas deducit. Omnia ſymptomata ingraveſcunt; hectica aut putrida febris, lancinantes dolores in epigaſtrii regione, maximaque debilitas, quandoque ſubito vitam claudunt; et hoc ſaepe evenit poſtquam curatio perfici viſa eſt, ſaepe vitam miſeram pro longo tempore degunt. Quandoque ſpontanea diarrhoea aut vomitus, vel urinae profluvium, diabeti ſimile, ad fauſtum ducunt finem; ulcera quoque vel tibiarum vel abdominis morbo mederi feruntur.

DIAGNOSIS.

Ut recta morborum dijudicatio fauſtam experientiam, ſiquidem ex ea omnia ducenda, ſic nulla medicinae pars majorem difficultatem promittit. Hoc fere nuſquam quidem non eſt, ſed praecipue in morbis ex effuſo liquore ortis.

Fluctuatio, quae plurimis auctoribus multum valet, ex pluribus conditionibus admodum obſcura vel omnino deſit.

1*mo*, Ut a parva aquae quantitate, quae initio omnium hydropum evenit.

2*do*, Ab integumentorum, quae fluidum effuſum circumdant, denſitate, velut in aſcite, cum foramine Winſlow concretione partium occluſo, aqua pone ventriculum contineatur.

3*tio*, Auctores aliam cauſam fluctuationis obſcurae retulerunt, ſcil. cum aqua in cyſtide comprehendatur †.

4*to*, Magna liquoris copia, tenſionem inducendo, fluctuationem minus manifeſtam dare fertur.

Egregius vir, ſatis in hoc aſciticorum examine verſatus, candide fatebatur, ſe aliquoties in diagnoſi deceptum fuiſſe, dum fluctuationem ſe percipiſſe arbitrabatur, cum tamen poſtea

† Van. Swiet. comment. Boerh. aphor.

nullam

nullam inveniret aquam in cavo abdominis, ſed inteſtina flatibus et glutinoſa materia plena. Gravitas aquae, praecipue in hoc morbo, melius ſignum praebet; hoc quoque interdum fallit; viſcera enim aliquando immaniter aucta, hydropem ſimulant, uti in noſocomio Edinenſi nuper repertum eſt, (pro ſimilibus exemplis V. Swiet. vid. et Bonnet). Sitis ingens et urinae paucitas, et color, bona ſigna exſtant; ſitis verum plures morbos non hydropicos comitatur, et urinae natura magis ex renum, quam totius corporis conditione pendet. Aliquando quoque hydrops, praecipue aqua in cyſtide occluſa, ſine ulla vel minima urinae mutatione incidit.

Aſcitem a tympanitide, ex flatibus inteſtinorum oriente, difficillime diſcernere invenimus, ut initio tympanitidem fere ſemper ſimulat. Progrediente morbo, cum evidens fluctuatio ictui ſe manifeſtet, aut gravitas aquae percipitur, dignoſcere licet. Fortaſſe etiam ſitis ingens, parvaque quantitas et urinae rubidus color, ut a tympanitide melius dijudicaretur inſervient.

Hinc forſan antiqui medici tympanitidem et aſcitem eundem morbum eſſe conſiderarunt. Ita Aretaeus, " Caeterum ſi in nebulam et aquam ſpiritus vertatur (nam aſcites ex tympania gignitur) ſi non perfecte aliquando mutatus fuerit, ex dimidio factus in ventre fluctuat."

Sub communi nomine aſcitae plerique auctores omnem fluidi collectionem, vel effuſam, vel in cyſtide intra peritonaei cavitatem comprehenſam, incluſerunt. Contra Cullenus clarus, tumore aequali, in definitione recenſito, aſcitae effuſo, vel ubi aqua communem peritonaei cavitatem implet, et circum viſcera undat, ſolummodo tribuere videtur. Nos, communem opinionem ſequentes, omnem cyſticum aut effuſum hydropem in peritonaei cavitate incluſum aſcitem eſſe intelligimus. Tunc omnium hydropum tres ſoli reſtant, quibus aſcites commiſceri poteſt. Hydropem inter cutem corporis, major ſanitas, tuſſis, dyſpnoeae, et oedematum abſentia, a vero aſcite diſtinguunt. Hydrometra autem ab aſcite difficillime diſcernitur; an aucta magnitudine oris uteri et ejus gravitate tactui ſe manifeſtat? Hydrops ovarii ſaepe veri aſcitae formam induit; multis autem indiciis ex eo diſcerni poteſt, ut dyſpnoeae et tuſſis abſentia, et totius ſyſtematis vigore minus imminuto, quam ubi aqua omnia viſcera circumdat maceratque, etiamque morbi tardo acceſſu, per multos annos durante, et a ſitus differentia ex aſcite dijudicare licet. Plurima ſigna cum aſcite graviditati communia ſunt; multa etiam deſunt, ut ſitis, urina parca, rubida, partium ſuperiorum macies:

cies: mammae quoque bonam diagnoſin formant; quia in aſcite magis laxae, in graviditate uberiores ſe habent. Sed omnibus graviditatis diagnoſticis tactus maxime praeſtat: Si os uteri dilatatur, graviditatem, ſi non, aſcitem, eſſe judicamus. Vix refert dicere, plurimis indiciis polyſarciam, aut adipis in tela adipoſa magnam collectionem, ab aſcite dignoſci (pro queis def. vid.) Unum ſolum reſtat, quod ab umbilico deducitur, qui ex adipe collecta maxime immerſum, ab hydrope protruſum ſe habet. Aſcites effuſus, a cyſtico dignoſcitur, tumore abdominis aequali, non circumſcripto, totiuſque ſyſtematis vigore magis imminuto.

PROGNOSIS.

Prognoſis, ab ambiguitate cauſarum, ſemper incerta: Si ex urina aut perſpiratione impedita, melius eſt, quam ſi poſt hepatis affectiones aut icteri ingreditur: Hinc crurum et pedum tumor initio, niſi ex leucophlegmatia univerſa, malum finem praeſagiunt. Aſcites pejor anaſarca, et effuſus quam cyſtico majus periculum promittit. Nam poſtrema, multos per annos ſine ullo magno incommodo aut impeditis functionibus, uſque ad mortem exſtitit Optimum eſt quo appetitus et vires non deficiunt, quo urina et pulſus naturalis, quo nulla ſitis adſunt. Aſcites minus terribilis eſt, qui nullo antecedente morbo coepit, deinde qui longo morbo ſupervenit; utique ſi nullus dolor, ſi nulla tuſſis *; ſi lingua ne per ſomnum inareſcit; ſi venter medicamentis movetur; ſi per ſe excernit mollia et figurata; ſi corpus ſine laſſitudine eſt, et morbum facile ſuſtinet; in quo plura ex his ſunt, is in meliore ſpe eſt. Contra, ſi ad ſenium vergat; ſi vires illabeſcunt, neque cuti calor ſubiit; ſi dolores laterum aut epigaſtrii ſentiuntur; cito mors ſubvenit, et haec ſaepe cum aeger curari videtur, praecipueque ſi aſcites cum oedemate conjungatur.

HYDROTHORAX

Definitur, " Dyſpnoea; faciei pallor; pedum oedemata; urina parca; decubitus difficilis; ſubita et ſpontanea ex ſomno cum palpitatione excitatio; aqua in pectore fluctuans †."

Hoc malum ſine aegrotantis notitia quandoque ſupervenit. Urina, etſi non ſemper, fere tamen, parcior rubriorque quam in ſano eſt. Circa pectus ſentitur oppreſſio et ſpirandi difficul-

* Hipp. Aph. 6. 35. † Synopſ. Cull.

tas,

taſ, praeſertim inter aſcendendum; adeſt tuſſis ſicca titillanſque, pedeſque veſpere tumere ſolent.

Morbo jam progrediente, ſomniis moleſtis per noctem turbantur aegroti. Erecti multo minus vexantur quam decumbentes, quo ſitu, oppreſſio pectoris admodum eſt moleſta.

Pulſus naturali citatior; parvus autem et abnormis eſt.

Si aqua uno tantum cavo thoracis congeratur, decubitus in eo latere facilior ſit; niſi partes inter ſe cohaerent, fluctus aquarum ſentiri poteſt.

DIAGNOSIS.

Solus morbus hydrothoraci ſimilis eſt empyema. Nam utrum pus, ut in hoc, an aqua, ut in illo morbo, thoracem repleat, nihil ad dignoſcendos morbos refert; quoniam pus, quod ſtagnando acre fit, et lympha, quae, paulo diutius extra vaſa morando, putreſcit, pariter partes quas contingunt irritant.

Diſcrimen autem, quo alter ab altero internoſcatur, eſt, quod in empyemate inflammatio fuit, febris hectica eſt, quibus caret hydrothorax.

HYDRORACHITIS

Definitur, "Tumor ſupra vertebras lumborum mollis, exiguus, hiantibus vertebris *."

Haecce affectio utplurimum congenita eſt, et in recens natis tumor in ſpina plerumque infimis lumborum vertebris manifeſtat. Hic tumor ſerum aut aquam continet, thecaeque medullae ſpinalis continuatio eſt; vertebrarum proceſſus ſpinales aut dividuntur, aut penitus ab eo obliterantur; inde nomen Spinam Bifidam habet. Tumor mollis eſt et indolens, caſtaneae molem vix ſuperans, preſſione recedens, colore utplurimum ſubfuſco. Cutis ſuper eum initio tenuis, ſub finem inflammatio et ulceratio ejuſdem oriuntur, puſque formatur. Tumor quandoque localis eſt, nec toto canali ſpinae continuatur, ſed fluidum in cyſtide continetur; alias autem tota theca medullae ſpinalis aqua repleta eſt, quae ſaepe a cranio deſcendit, ſcilicet cum infans hydrocephalo laboret, et aqua inter duram piamque matrem accumuletur; quandoque etiam a ſpinae canali in cerebrum aſcendere, ibique hydrocephalum gignere, poteſt. Tumore perrupto aut aperto, procul dubio pereunt infantes. Dumque ea laborant, nil fere ſentiunt nec moventur; ſomnolenti, niſi a nutrice concuſſi, ad lac ſugendum ſolicitentur

* Ibidem.

HYDRO-

HYDROMETRA

Definitur, "Hypogaſtrii in mulieribus paulatim creſcens tumor, uteri figuram referens, preſſui cedens fluctuanſve; citra iſchuriam et graviditatem †."

Hydrometra ſteriles potius quam alias invadere ſolet. Tumor hypogaſtrii ſucceſſive augetur, quandoque magnam in molem, et, propter gravitatis ſenſum doloriſque, vix ambulare poſſunt, aut truncum corporis ad anteriora inflectere; oedema partium inferiorum plerumque adeſt; tumor hypogaſtrii laxus eſt, preſſioni cedens, et percuſſo fluctuationem dignoſcere licet.

Propter uteri diſtenſionem multa comitantur graviditatis ſigna; ut os uteri clauſum, catamenia ſuppreſſa, et caetera. Mammae in his molles autem et laxae; in gravidis vero durae tumidaeque, motuſque foetus paucos poſt menſes ſentitur. Interdum tamen cum graviditate conjungitur; tunc moles abdominis ſolito major eſt, tormina in parturitione ſaepe exigua; foetus vel mortuus extrahitur, vel debilis admodum evadit, et nunquam vegetus aut ſanus eſt.

HYDROCELE

Definitur, "Tumor ſcroti, non dolens, paulatim creſcens, mollis, fluctuans, pellucidus *."

In hoc morbo aqua variis in locis contineri poteſt, unde varia oriuntur phaenomena; ſaepiſſime autem in tunica vaginali cumulatur. Lente quidem plerumque tumeſcit, nec multo dolore aegrotus initio afficitur.

Tandem vero tumor, majorem in molem auctus, perquam moleſtus fit, teſtiſque, propter aquam ubique cingentem, niſi parte qua chorda intrat ſpermatica, nequaquam detegi poteſt. Tumor pellucidus eſt, et quovis ſitu vel corporis poſitione amplitudinem formamque retinet, fluctumque perſentire facile eſt.

PROGNOSIS DE HYDROPE.

De felice aut infelice morbi eventu, a cauſis perſpectis, a natura officioque partis affectae, a morbi diuturnitate, ſymptomatum lenitate aut acerbitate, cum aegroti aetate, robore, corporiſque conſtitutione, judicamus.

† Ibidem. * Ibidem.

Si aeger juvenis ſit, morbuſque breve tantum in tempus perſeveravit; ſi corporis habitus nec intemperantia nec morbis praeeuntibus jam fractus ſit; ſi morbus ortum habeat ab alio qui amoveri facile poſſit; denique, ſi diffuſus ſit hydrops, proſperum potius eventum praedicare licebit.

Quum vero res ſe aliter habent, ut quum aegrotus aetate ſit provectus et conſtitutione jam fracta; quum aqua in cyſtide, et praecipue facta praeter naturam, contineatur, diuque perſeveravit malum; quum originem trahat ex obſtructionibus in corde vaſiſque majoribus, a polypis aut oſſificationibus factis, ex pulmonibus obſtructis, viſceribus ſcirrhoſis, talibuſve morbis qui ſanari nequeunt, etiam maximi conatus minime valebunt.

CAUSÆ REMOTÆ

In praediſponentes et occaſionales recte dividuntur. De *Praediſponentibus* primo dicendum. Harum praecipue ſunt quae ſequuntur: ſtatus ſolidorum quacunque de cauſa relaxatus, ſed praeſertim ab inveterato illo more liquores ingurgitandi ſpirituoſos; diaeta tenuis, parca, et aquoſa; ſexus ſequior, cui ſaepius evacuationes natura inſtitutae ſuppreſſae ſunt, et vita magis ſedentaria, unde via fit in hunc morbum tam proclivis (fideliſſimo teſtante Sydenhamo); annoſi potius laborant quam juvenili aetate florentes; et Jove ſub humido degentes, ut Batavi, quam maxime; vel opus aquaticum exercentes, quales ſunt lotores et piſcatores *; temperamentum huic affectui opportunius eſt phlegmaticum.

CAUSÆ OCCASIONALES.

Tabulam hydropis nobis ſuppeditavit Culleni induſtria.

Fluidi ſeroſi collectio hydropem praebens fit,

I. Effuſione, pendente ex
  1. Exhalatione adaucta ab iis
    A. Regreſſum ſanguinis per venas obſiſtentibus; quorum ſunt,
      a. Obſtructiones
        aa. in pulmonibus,
        bb. in corde,
        cc. in hepate;
      c. Venarum plethora univerſalis, ab
        aa. Menſium fluxu obſtructo,
        bb. Haemorrhoidum fluxu obſtructo,

* Vid. egregium illum librum cui titulo eſt Home's Principia.

cc. Seroſis

cc. Seroſis evacuationibus obſtructis;
d. Venarum quarundam obſtructiones, ab
aa. Accretione in venis polypoſa,
bb. Compreſſione, ſcil.
a. Venarum in tunicis tumores,
b. Tumores quod ad venas externi, vel ex
aa. Scirrhis,
bb. Steatomatis:
B. Fluidorum per excretoria itinere impedito:
C. Sanguinis in arterias impetu aucto,
a. Vi externa, contuſionum et diſtortionum;
b. Febre:
D. Exhalantium relaxatione,
a. in paralyſi;
b. in atonia generali, ut in chloroſi et cachexia:
E. Aquoſarum ſanguinis partium ratione aucta,
a. Liquidis ingeſtis;
b. Aquoſis partibus ſanguinis, ex excretionibus interruptis, retentis;
c. Partibus denſioribus abductis, ſcil. parte
aa. Globulorum rubrorum, glutinis, ex haemorrhagiis,
bb. Glutinis aliqua ſeroſa aut purulenta evacutione;
d. Aſſimilantium poteſtatum defectu.
2. Lymphaticorum vaſorum ruptura.
3. Veſicularum vel ſaccorum ruptura.
II. Fluidorum naturaliter effuſorum retentione ac coacervatione, ex abſorptione imminuta; cujus cauſae ſunt,
1. Syſtematis lymphatici obſtructio,
A. Glandularum conglobatarum;
B. Lymphaticorum vaſorum curſu;
2. Abſorbentium paralyſis.

Exhalatio adaucta, omnium cauſarum quas noſter auctor recenſuit, longe frequentiſſima evadit. Arteriae ſanguinem rubidum vehentes, in partibus ſecretioni non inſervientibus, duos fines praecipuos habent: unus et communior eſt iis per venas ſanguinem globulis rubris praeditum ad cor vehentes; alter etiam fit per arterias exhalantes, quae numquam in ſtatu ſano globulos rubros accipiunt, ac quae partem ſanguinis aquoſam plerumque in ſtatu humoris effundunt. A humore iſto omnes corporis cavitates irrorantur, fortaſſe partium accretionem praecavere, et motum conciliare faciliorem, inſerviunt. Unde patet, ſi ullo modo ſanguinis regreſſus per venas prohibeatur, ut majori vi per arterias impellatur exhalantes

 neceſſe

neceſſe ſit; hinc aucta exhalatio, et niſi vaſis abſorbentibus cito accipiatur, hydrops fiet. Omnia tranſitum ſanguinis impedientia viſcera abdominis potiſſimum infeſtant, ſiquidem eorum venae, contra communem modum, unum truncum formant, qui, arteriae inſtar, in plurimos ramulos per hepatis ſubſtantiam dividitur, et poſtea bilis ſecretioni inſervit, ſanguis ex eo in communem maſſam per venas cavas hepaticas regreditur. Hinc circuitus per venam portarum, omnium languidiſſimus, imprimis obſtructioni, et ejus ſequelis, obnoxius eſt. Obſtructiones in pulmonibus et in corde raro unquam aſcitae cauſae exſtant; ſed nulla alia cauſa frequentior, vel magis deflenda eſt, obſtructione viſcerum abdominalium, ut hepatis, lienis, aut meſenterii. Quanquam medicus Londinenſis clarus hanc potius ſequelam quam cauſam aſcitae contendit. Nec minus ſanguinis in venis nimia quantitas exhalationem augere adjuvat; ejus reditu enim per venas impedito, major copia ad vaſa exhalantia a cordis et arteriarum viribus impellitur; hinc circa quadrageſimum annum, et poſthac, cum plethora venoſa maxime urget, haemorrhoidum, ſeri evacuationum, et praecipue menſium ſuppreſſiones, aſcitae cauſae ſaepiſſime evadunt. Accretiones polypoſae longe rariores, quam vulgo feruntur, ante mortem incidunt, magna vaſa vel cordis cavitates potiſſimum infeſtant, raro in minoribus reperiuntur; hinc aſcitae cauſis longe alienae ſunt. Ex cauſis a compreſſione orientibus, fortaſſe ſcirrhus frequentiſſima evadit.

Varia fluidi aquoſi copia diverſis temporibus in circuitum recipitur; tamen maſſa communis ſanguinis in eodem aut in multis hominibus admodum eſt ſimilis; copia enim redundans hujuſce liquoris per excretiones expellitur: Harum praecipuae ſunt perſpirationis inſenſilis, urinaeque; unde plane liquet, his impeditis, majorem copiam fluidi aquoſi ſanguine ineſſe; hinc, in omni parte, in quam liquor aquoſus effundebatur, magna copia coacervatur, et praecipue ab exhalantibus magna effuſio fit.

Ut arteriarum rubrarum arteriae exhalantes continuae ſunt, ſic quaque mutatione in ſanguinis impetu quodam modo afficiuntur; hinc auctam effuſionem ex febre, ubi circuitus per totum corpus augetur, ortam eſſe audivimus: Haec autem, quanquam hydropis generalis aut anaſarcae ſatis frequens cauſa evadit; hydropes tamen partis, et praecipue aſcites, ex hoc fonte perraro naſcuntur; altera, ſanguinis impetu, ſcil. ex contuſionibus et diſtortionibus in quadam parte aucto, multorum hydropum et totius corporis et partis alicujus cauſa fertur; nec deſunt exempla aſcitem ex contuſione oriri, etſi

a ſitu partium intra peritonaeum incluſarum, hujuſce generis caſibus minus obnoxiae ſunt.

Exhalantium relaxatio non ſine ratione inter cauſas exhalationis adauctae numeratur; oribus enim in cavos aperientibus, ſi nulla conſtrictio adſit, omnes aquoſi corporis liquores per haec foramina tranſirent; hinc in paralyſi exhalantia aliquando aeque cum caeteris partibus motu deſunt, et magna effuſio et hydrops fiunt. Huic etiam imminuta imbibitio frequenter adjuvet, ex eodem poteſtatis in lymphaticis defectu. Hoc autem in omni paralyſi non ſubvenit; quandoque enim fibrae muſculorum motus poteſtatem perdunt, vaſis fere illaeſis.

Sed vaſa exhalantia non ſolum ex vis vitalis defectu auctam effuſionem ducunt; nam idem ex mera relaxatione, aut ſyſtemate debiliore, ſaepe accidit; hinc miſeris puellis frequenter chloroſi ſubiit; hinc omnium cachexiarum, ut ſcorbuti, ſyphilitidis, podagrae atonicae, ubi malus corporis habitus urget, immedicabilis ſequela eſt. Huic quoque fortaſſe aſcitem rachitidi ſubvenientem aſcribamus; an potius ex glandulis meſenterii obſtructis tranſitu lymphae impedito cauſa deducatur?

Aquoſarum ſanguinis partium ratio aucta.—Hydrops a magna fluidorum copia ſumpta ſaepe originem ducere fertur; ſed hoc forſan niſi excretionibus impeditis raro evenit; unde harum praecipueque urinae obſtructio ſub hoc capite etiam enumeretur.

Denſioribus ſanguinis partibus, ut globulis rubris et glutine ab haemorrhagiis, vel poſtremo ab evacuationibus purulentis aut ſeroſis, abductis, effectibus earum nocivis praevenire naturae vires vim excernentium reſiſtentem adaugent, vel tranſitum fluidi per ea fere omnino prohibent; hinc conſtrictio eorundem oritur, quae, poſtquam fluidorum ratio ſuppleta ſit, ſaepe durat, ſanguine minore firmitudine praedito, corporeque ab evacuatione relaxato fluidi copia multum augetur, aucta exhalatio et hydrops eveniunt. Haec, etſi anaſarcae ſatis frequens cauſa evadit, hydropi partiali, ut aſcitae, raro anſam praebet.

Viribus aſſimilandi deficientibus, aucta liquorum ratio et hydrops induci feruntur; hanc cauſam exhalantium relaxatio, uti in chloroſi, fortaſſe augebit.

Lymphaticorum ruptura, ſi ex ratione ſolum judicare licet, frequentiſſima hydropis cauſa conſtarit; ab cadaverum autem inſpectione, raro evenire videtur. Huic forſan praevenire inſervient, tunicae horum vaſorum muſculari, et contractili vi maxime praeditae, et multae inter ſeſe anaſtomoſes. Sed non deſunt

deſunt exempla hydropem a lymphaticorum ruptura duci, et chyli aut lymphae, aſcite laborantibus, magnam copiam ex paracenteſi, aut cadavere aperto, ſumi fertur. Vaſis enim chiliferis et lymphaticis eadem ſtructura eſt et finis.

CAUSA PROXIMA.

Ex antedictis colligere licet, cauſam hujus morbi proximam conſtare ex accumulata aquae praeter naturam copia, ob exhalationem auctam, abſorptionem diminutam, vel lymphaticorum rupturam; harum ſecunda frequentior, poſtrema rariſſime occurrit.

RATIO SIGNORUM.

Horum praecipua, quae hic annotare volumus, ſunt, *Intumeſcentia, foveola premente digito manens, dyſpnoea, ſitis, tuſſis, cutis arida, urina parca, veſicatio, et gangraena.*

Intumeſcentia a fluido aquoſo in textum celluloſum effuſo, eumque in tumorem elevante, oritur: partibus inferioribus maxime perciptur; quoniam aqua effuſa vi gravitatis ima ſemper petit, cellulis inter ſe tam libere communicantibus.

Foveola manet aliquantiſper, quia premente digito aqua incluſa in partes propellitur vicinas, ſed tono atque elaſticitate amiſſis haud cito reditura.

Dyſpnoeam, forſan quantitas ſeri in telam cellularem, quae interſtitia loborum majorum atque minorum pulmonum adimplet effuſa, efficit; tale hujus viſceris oedema clar. obſervavit Albertinus *, atque vomicae aquoſae a cel. Maloet † detectae caſus narratur; mediocri, igitur, ſeri copia loborum interſtitiis cumulata, cauſa lucido apparet cur reſpiratio adeſſet difficillima, cum vaſa tam ſanguifera tam aerifera comprimantur, actioque pulmonum variis turbetur modis. Idem ſymptoma cum tuſſi evenit aqua in thoracis cavitatem, vel abdominis emiſſa, quae hic diaphragma ſurſum trudit, illic pulmones opprimit.

Tuſſis ſaepiſſime nil praeter ſymptoma eſt cauſae anaſarcam excitantis, ut ſi morbus a frigore ſit ortus. Sed aliter etiam oriatur ab effuſa in thoracem, vel rete celluloſum pulmonum, aqua. Symptomate hoc ingraveſcente, malum inveteratum deſignat. "Cum (ut inquit Suietenius ‡) deſignet pulmonem impediri ob copiam aquae accumulatae, vel irritari perpetuo a parciori etiam copia aquae, ſed jam acrioris redditae."

* Inſtit. Bon. tom. i. p. 392. 393. † Mem. Ac. des Scien. l'an. 1732.
‡ Vid. Com. in Aphor. 1230.

Cutis

Cutis arida ortum fortaſſe trahit a conſtrictione, vel extremorum collapſu vaſorum, humoribus alias diverſis.

Urinae paucitas. Apud phyſiologos fere pro axiomate habetur, quod, e ratione unius auctae, reliquae imminuuntur ſecretiones; et hoc jure habetur; nam ſi partem in aliquam major aequo determinatur, ab aliis juxta derivatur, et neceſſario hiſce minuentur ſecretiones; quoniam, caeteris paribus, quantitas dato tempore ſecreta ſemper pro ratione erit quantitatis ſanguinis aliquod organum permeantis. Nunc, quoniam hydrope graſſante effuſio ab exhalantibus augetur, concludere licet, quod huic utpote cauſae paucitas urinae ſit tribuenda.

Sitis. Etſi partis ſeroſae in telam cellulofam aliove effuſio pro imminuta urinae ſecretione quoad quantitatem compenſet, haudquaquam tamen qualitate; nam pars ſalina humoribus contenta hoc modo retinetur, et ſalivae ſecretionem afficiendo ſitim creabit; vel hoc ſymptoma oriri poſſit ob defectum ſecretionis ſalivalis, aucta aliis in partibus effuſione.

Veſicatio cutis aquae ſubtus effuſae tribuenda, ut etiam acrimoniae ſtagnando acquiſitae; et poſtremo haec cum partis atonia gangraenoſam necroſin, heu fatalem, inducat.

METHODUS MEDENDI.

Ut haec rite juſteque inſtituatur, variis ut cauſis animum adhibeamus neceſſe, et ut quaeque tuto ac celeriter tollatur curandum. Hic tamen de ſingulis amovendis differere, nec locus nec tempus nunc reſtat. Quinetiam harum multae ſunt ſaepenumero tam incertae, ſaepe etiam, quamvis notae, tam curatu difficiles, ut ſi tantum cauſam proximam tollere licet, nos contentos eſſe omnino oportet; et poſtremo quia de hydrope idiopathico, i. e. a debilitate pendente (ut ſaepiſſime fit) tractare volumus, duas ergo indicationes ponere lubet, viz.

1mo, Aquam jam collectam, modis quam minime debilitantibus, exhaurire.

2do, Ejus dein recurſui providere, tonum ſyſtemati reſtaurando.

Prima efficitur

A. Modis directis, ut

a. Veſicatoriis,

b. Fonticulis,

c. Puncturis:

B. Indirectis, ut

a. Emeticis,

a. Emeticis,
b. Purgantibus,
c. Diureticis,
d. Sudorificis,
e. Sialagogis.

2do, Tonum ſyſtemati reſtituere,

a. Diaeta,
b. Exercitio,
c. Frictione,
d. Chalybeatis,
e. Cortice Peruviano, et
f. Balneo frigido.

Periculum eſt, ne gangraena e modis directis (A), praeſertimque epiſpaſticis †, oriatur. Fonticuli quoque inflammationem excitare ſolent. Si haec autem vitari poſſint, ſaepe utiliſſimi erint. Utriſque horum inciſiones, aut in telam celluloſam puncturae anteponendae ſunt, quae aquam efficaciſſime exhauriunt, et in anaſarca, ubi cutis ſupra modum diſtenſa jam ferme rumpitur, cum fructu perficiuntur. Multo magis enim poſt rupturam quam inciſionem arte factam gangraenae periculum urget. Item, cum diſtenſio non aeque ſit inſignis, tumor vero ſtipatur inflammatione eryſipelatoſa, quae gangraenam minitatur, inciſione huic obviam ire fortaſſe licebit. Etiam in aſcite et hydrothorace, ſi aegroti vires minus convelluntur, ad paracenteſin confugiendum eſt. Cautelae autem methoduſque operandi ad chirurgum praeſertim pertinent.

Nunc de *evacuantibus indirectis*, remediis tutiſſimis; et horum primo conſiderari veniunt

Emetica. Vomitionis ſponte excitatae effectus ſalutiferi horum uſum ſuadent; hujus exemplum notabile ex multis Obſ. Med. Lond. videre licet, nempe aegri ſimul anaſarca laborantis, cui crura tibiaeque in immenſum fuere tumefactae, ſed ſpontanea ſuperveniente emeſi, qua aquae lib. quinquaginta eliminabantur, et ſanitas integra rediit. Multa alia hoc genus exempla hujus medicamentorum claſſis virtutes declarant; hydrope igitur recente, ea propinare utiliſſimum erit, niſi contrarium indicat dyſpnoea urgens, vel a corpore nimium agitando aut concutiendo periculum immineat, praeter abſorptionem quam promovent, tonum quodammodo ſyſtemati reſtituunt, ut plena induceretur emeſis, optima ſunt antimonalia. Alia etiam hujuſmodi, ſi opus eſt, reſtant multa quae nemo tam hoſpes in medicina qui ignoret.

† Veſicatoria pectori applicata dyſpnoeam in hydrothorace aliquando inſigniter levant.

Cathartica

Cathartica in *fortia* et *mitiora* dividuntur. Quoad priora, omni aevo a graviſſimiſque medicis commendata fuere; favet etiam illis Sydenhamus ipſe; ſed, e contra, multi ea reprobant, quaſi noxia plerumque. Inter hos numerari debent clar. Tiſſot et Storckius; illius haec ſunt verba: "Longe ſaepius monſtravit obſervatio, nihil minui tumores ſub valida purgatione, proſterni vero vires, aut hac via profligatum tumorem citiſſime redire *." Hic de hydropicis anno ſuo medico loquens haec habet: "Fortia purgantia ſemper nocuerunt †." Ad ſummum ea quaſi nociva habeo, praeſertim in ea ſpecie hydropis de qua nunc agitur, nempe ex debilitate orta, in qua maxima virium digerentium eſt jactura, quas jam debiles peſſumdant draſtica; ſed, ſi alia remedia parum aut nil profecere, tunc ad ea deſcendere liceat, quorum ſequentia ſunt utiliſſima.

Gambogium, *jalapium*, *elaterium*, *ſcammonium*, &c. Inter haec etiam pil. lunaris Boyleana multum a Boerhaavio, Van Swieten, et aliis, laudatur ‡. Praeter haec haud ſilentio praeterire poſſum medicamentum a Doctore Bacher || introductum, cui titulo ſunt Pilulae Tonicae, quae ex extr. melampod. gum. myrrh. carduoque benedicto conflantur; harum decem pro doſi aſſumi jubet, et ad tertiam vicem repetenda, ſpatio horae interjecto, niſi alvum urinamve, ſicut ſolitum, prius copioſe moverint; triginta harum gr. circiter gr. x ext melamp. continent, ex quo virtus remedii pendere videtur. Haec medicina longe aliis, ſi famae fides ſit habenda, praeſtat; affirmat enim auctor, eam illis ineſſe vim, ut corpus potius confirment, unde nomen, quam frangant Si hoc pro vero habemus, non eſt cur draſticas ejus vires timeamus. Dr Bacher cautelam perquam novam adjungit, liberum nempe potus uſum commendat, et hujus praxeos uſum factis confirmat.

Cathartica mitiora. Horum cremor tartari a celeb. Menghini adeo laudatus merito primarium obtinet locum; et hoc commodi prae aliis ſecum affert. ut nec aegrum multum debilitat, et ſimul per alvum et urinam humorem noxium expellit. Quod in hoc morbo haud parvi momenti; nam maximam curationi ſymbolam confert, ſi quam multae excretiones ſerventur apertae. Ob has cauſas, cr tart. laudes ſibi proprias merito acquiſivit, utpote qui vice diuretici et purgantis ſimul fungitur. In eo adhibendo haec formula nobis maxime arridet; electuarium nempe ejus cum pulveris cinnamoni portiuncula conflatum, adjecto ſyrupo zinziberi ad conſiſtentiam idoneam; ſic optime vi ejus refrigeranti praecavetur, atque

* Vid. Epiſtol. Med. de Hydrope.
† Vid. Ann. Med. p. 89.
‡ Med. Com. vol. 2.
|| Vid. Van Swieten, Com. de Hydrope.

aegri palato conſulitur. At, ſi potius per renes eum dirigere volumus, melius in aqua ſatis larga ſolvitur, pauxillo nitri nuptus; quocunque demum modo eum praeſcribemus, frequenti ac fracta doſi debet propinari. Si haud ſatis libere alvum dejicit, optime acuatur pauxillo pulv. jal. addito, ut fit in remedio ſub nomine pulv. e jalap. comp. noto.

Diuretica. Si talia medicamenta revera nobis fuere nota, omnibus in aprico eſt, quod aliis quibuſlibet praeſtarent; quia praecipue per renes feroſo latici via naturaliter eſt data, et quia haec remedia omnium minime vires exhauriunt. Sed certe dolendum eſt, omnia huic propoſito deſtinata incertae eſſe virtutis, et nullum eſſe cui penitus credamus; verum enimvero haud ergo deſperandum, ſed noſmet ad periculum faciendum accingere oportet; et ſi unum aut alterum nil efficeret, haud omnino deſiſtendum, quoniam nobis a priori ignotum quid remedium faceret, quidve idioſyncraſia promitteret. Diureticorum uſitatiſſima ſunt, *ſcillae, colchicum, allium, et ſales alcalini.*

Scillae. Hae magnis auctorum laudibus, nec immerito, efferuntur, famaque earum priſca creſcit eundo. Van Swieten, de diureticis agens, dicit, optimum omnium quotquot ei innotuere eſſe ſcillam, quo melius propoſito inſerviat ad nauſeam excitandam, teſte et monente peritiſſimo Home *, exhiberi debet, ſimul cavendo ne frequentius liquat alvum, ut nos monet clar. Tiſſot, " Fauſtius vero ſemper mihi ſucceſſit ſcilla, hanc adhibendo doſin quae renibus non alvo purget, et ſic mira patrat †." Nitri granis paucis adjunctae urinam adhuc magis provocant. Eruditus Gregory, practicis ſuis praelectionibus, multum laudare ſolitus fuit ſcillam, pil. merc. Ph. Ed. adjectam. Et quoniam, mehercle, vires ventriculi deprimunt, zinziber admiſcere, vel aroma quodvis, commodum erit.

Colchicum. Omnium ore verſatur, hoc remedium a Storckio adeo celebratum, qui aſſerit ſe novem ex tredecim hydropicos hoc ſolo in ſanitatem revocaſſe; dum, contra, Monro ‡, et alii, ſeſe haud bona fortuna id praeſcripſiſſe docent. Utrum igitur Storckio credendum, et qualitate remedii ab his uſitati ejus vitio vertatur impotentia, necne, dubium videtur; huic tamen opinioni fateor me lubentius accedere; nomen enim Storckii a medicinae cultoribus veris ſemper in honore habebitur, utpote vir cui, propter obſervantiam, ac remediorum virtutes detectas, multum debetur; teſtis certe fui oculatus ejus virtutum in Collegio Caſuali hic habito, atque Noſocomio Regio Ed.

* Praelect. mat. med.
† Epiſtol. med. p. 405. &c.
‡ Eſſay on Dropſy.

Allium

Allium interdum etiam haud inutile invenitur; ſat magna autem doſi adhibeatur.

Sales alcalini multum ſibi nominis ac famae acquiſivere, et perſaepe eos in auxilium vocare utile erit, optime vino nubuntur Rhenano. Haud ignobile etiam remedium ſpir. nit. dulc. celeb. noſter Andreas Duncan, quo non obſervantior alter. Alia hoc genus enumeranda reſtant; ſed haec forſan ſatis. Antequam vero hanc partem omnino relinquere cogor, haud poſſum quin pauca de uſu opii tradam, remedii certe, quantum ſcio, inuſitati, et cujus paucos credo experimentum facturos, ſi ſolum theoriae indulgerent. Sed memorabilis quam tradit clar. Mead * narratio huic fidem facit remedio: multos ab hac medendi via deterreri ſcio, ob ejus vires ſedantes ac relaxantes; at eſt cur credamus has etiam qualitates prodeſſe poſſe, ubi nempe dolores ſaevi aegrum vexant. Nonne liquor effuſus tam acris eſſe poteſt, ut ad ejus contactum ſeſe abſorbentia claudant, neque quidquam de hoſtili liquore admittant? Nonne, his in caſibus, opium ſe utile offert, quo caſu an ullum remedium opio praeſtantius habemus? Multa etiam ſunt diureticorum nomen vix ſortita, quae mira tamen idioſyncraſia diureſin copioſam promovent; ſic de homine audivi, qui nunquam mellis portiunculam devoravit, quin illico urina copioſe effluxerit. Ut ne multum igitur aegrum ſemper quaerere oportet, num illud aſſumptum diuretici ſubſequebantur effectus.

Finem nunc hiſce de diureticis impoſiturus, ſolummodo reſtat hanc noſtram proferre ſententiam, diluentia nempe liberius ſolito eſſe aſſumenda, ſi actionem diureticorum in renes determinare volumus. Neque hoc meum eſt ſolum praeceptum, ſed quod olim ſapiens tradidit Hoffmannus ille ſemper laudandus. Tantum notare volo, hanc cautelam nimium jam deſueſcere; et certe mirum eſt medicos hac in re tam multum hallucinari, ducem naturam haud paſſibus aequis ſequentes. Quot enim exempla indies legere licet, ubi hydropes atroces largo aquarum ſpadanarum, &c. hauſtu penitus fracti atque fugati fuere †. Quam ad rem aptus, nec ſua fraudandus laude, memorandus venit ille potus ex ſpiritu juniperino (vulgo *gin* dicto) cum acido vegetabili conflatus juſteque dilutus, quem multum etiam laudat Dr Cheyne. Hoc genus fere eſt ille gratus liquor, *ſherbet* dictus, cujus vim diureticam Wagner ‡ multi pendet; ut etiam aqua, aere fixo illo mirando fluido imbuta, quae inter alias ejus dotes medicinales, utpote diuretica laudibus Percivalli egregii effertur ‖. Hoc tamen ut

* Praecept. med. p. 21.
† Vid. Van Swieten com. Hoffman. &c.
‡ Vid. Clin. Obſ.
‖ Vid. Percival's experimental eſſays, vol. 3.

 praecipue

praecipue dignum attentione monemus, ut lotio cum diluentis copia ingeſta quotidie componatur. "Nam ſi plus (ut inquit Celſus) humoris excernitur quam aſſumitur, ita demum ſecundae valetudinis ſpes eſt §." Sic agendo minus periculum in errorem incidendi urget.

Quoniam hydrops haud raro ab obſtructa oritur perſpiratione, in auxilium vocari poſſunt ſudorifica: Eorum utilitatis praebet exemplum Dampier *, qui hydropem inſula California dicta eum ingruentem ſaepe fugarit, corpus ejus arena calida circumdando; ubicunque igitur hic morbus impeditam perſpirationem utpote cauſam agnoſcit, aliis etiam in caſibus, haec remedia ſint utilia. Nec ratio ſolum hoc ſuadet, ſed etiam experientia; nam eruditus admodum Doctor Hamilton ſaepe ac feliciter hac praxi uſus, mihi eam amiciſſime commendabat, ſimul me monens, haec ab ea commoda ei Noſocomio regio Edin. inter medendum accidiſſe, nempe ille egregius notabat, quod inter diaphoreticorum uſum urina ac ſudor copioſe ſimul profluebant, viribus quod maximi eſt infractis manentibus. Ubi talia requiruntur, nullum pulvere Doveriano aut praeſentius aut melius datur remedium.

Sialagoga. Haec etſi in curandis hydropicis fuere adminiſtrata, tamen ea eſſe incerta ducimus.

Paucis jam prolatis de ſingula remediorum claſſe, aquam evacuando aptata, ſolummodo de omnibus obſervare reſtat, quod, dum haec adminiſtrantur medicamina, maximi erit momenti juſto intervallo, vel cum iis adjuncta ea adhibere, quae vim roborantem ac refocillantem poſſident: Et hoc enixe memoria tenendum; nam, ſi eliminationi aquarum ſolum intenti nil ultra curamus, ſtudium impendimus inane; quia, etſi quoad hanc votis fruamur, tamen aegri viribus fractis morbus plerumque recidivat, et forſan per hanc incuriam ab hydragogis utiliſſimis abſtinere ſaepe neceſſe; quibus ſi tonicis fuiſſent conjuncta, uſque ad curationem morbi uti licuiſſet. Hoc ſaltem pro certo habeo, quod hydropes melius fugarentur, atque recidivationi felicius praecaveretur, ſi cauſae proximae ac remotae amovendis curam uno atque eodem tempore ſuam impenderent medici.

Ad *ſecundam* nunc ventum eſt indicationem, nempe,

Tonum ſyſtemati reſtituere, quo praecipue recurſui praecavetur; et hoc certe opus, hic labor eſt. Hoc agunt optime remedia *tonica* dicta; nam de iis quae obſtructiones alicubi haerentes amovere poſſunt ſileo, ubi hydrops nil niſi ſymptoma cauſae eſt; et hic autem de eo qui a debilitate pendet, agendum eſt.

§ Lib. 3. c. 21.

* Vid. Dampier's voyage, vol. 2. p. 276.

Haec

Haec ſunt denique, *diaeta, exercitium, frictio, chalybeata, cortex Per. et balneum frigidum.*

Diaeta non nimis aquoſa at nutriens eſſe debet, qualis caro eſt ex venatione, &c. aſſa cum pane heſterno, beneque cocto; pro potu ordinario, vinum rubrum, auſterum, diu conditum, celliſque retentum, modice dilutum, aliis anteponitur; vel ſi hoc aegro faſtidium crearet, cereviſia fortis, Anglice *porter*, potum praebebit pleriſque adamatum.

Exercitium, ſi vires ferre poſſint, haudquaquam omittendum; quippe remedium eſt cui nimis inſiſtere haud poſſumus. Juxta Celſum igitur, "multum ambulandum, currendum aliquando, et ſuperiores maxime partes ſic perfricandae ut calorem in cutem evocet *." Verba certe aurea! Solummodo alienum eſt, ubi dyſpnoea periculoſa urget; alias praeſentiſſimum erit, immo ſolum curationi ſufficit, ut a multis exemplis conſtat. Ne tamen ultra vires protrahatur cavendum; nam aliter omnia in pejus ruerent, retroque ſublapſa tollerentur. Inter exercitia, vectio in rheda, navi, et equitatio, principem ſibi locum vindicant. Nec hic oblviſci poſſum pulchrae illius methodi multis celebratae, nempe frictionis fauſtiſſimis ſaepe auſpiciis inſtitutae, perfricitur verriculo ex ſetis confecto, vel panno laneo cuti admoto; et, ne ſimplicitas remedii aegro eſſet contemptui, et ne partes excoriantur, fumus thuris, ſuccini, &c. cum oleo interponatur. Sed inter uſum hujus ſedulo cavendum, ne fortius diſtringatur cutis; nam rudis contrectatio peſſime noceret.

Chalybeata. Horum in numero jure aſcribuntur et potentiſſimae ſunt limat. fer. pp.

Corticis virtutes adeo omnibus innoteſcunt, ut fuſe de eo dicere ingratum foret, ac taedium crearet.

Balneum frigidum, poſtquam aeger fere convaluit, haud inutile eſt; ſed ſi neque ſtimulum addit, neque reactionem atque calorem provocat, ab eo deſiſtere neceſſe. Poſtremo,

Electricitas, praecipue ſub forma inſulationis, ſummam ſpem nobis affert. Cum corpus tantopere ſtimulat, pulſum, ut ipſe notavi, duodecim pulſationibus intra minutae ſpatium adaugens, perſpirationem praeterea quam maxime promovet mirandum hoc fluidum; quare periculum ejus ſemper facere omnino oportet.

* Vid. lib. 3. cap. 21.

DE

DE HYDROCEPHALO INTERNO.

AUCTORE CAR. GUL. QUIN.

DE MORBI HISTORIA.

APUD omnes conſtat, ſemper fere impuberes eſſe qui hydrocephalo, interno dicto, corripiuntur; aetas fortaſſe quae ſecundum inter nonumque jacet annum maxime morbo huic obnoxia eſſe invenietur; quamvis interdum adoleſcentes viribus ejus ſuccumbant; neque deſunt exempla eorum, queis, diu acta pubertate, morbum affuiſſe comprobatum eſt. Fothergill * annos quinque et viginti, Huck † triginta natum, hydrocephali ſymptomatis correptum, ſuperſtitem vidit; quadragenaria quaedam in noſocomio Edinenſi nuperrime fatis conceſſit, cui, ſecto cadavere, humoris limpidi copia intra cerebri ventriculos detecta fuit; rarius tamen hujuſmodi inveniuntur exempla.

E labe quadam, quam vix haereditariam appellare poſſumus, pendere videtur hydrocephalus; plures, ſcilicet, ex iiſdem parentibus pueros infeſtat, etiamſi nulla iſtius mali veſtigia inter parentum germanos indagari valeant. Nullo tamen temperiei peculiaris ſigno, nullo corporis vitio evidente ſenſibus noſtris, labes haecce obvia redditur; quoniam frequentius pueri corripiuntur, quibus, antequam morbus acceſſerit, corpus validum, mens vivida, ſalus denique omnino firma fuiſſet.

Tardis nonnunquam paſſibus (ſicut Whyttius ‡ autumat) ſubrepere videtur hydrocephalus. Teſte autem Fothergill, aliiſque plurimis, intra dies plerumque viginti, vel octo et viginti, curſum abſolvit; vix unquam in diem trigeſimum quintum producitur acutus hicce morbus, de quo nunc agitur; ſaepius breviori temporis ſpatio miſellum e vivis eripere ſolet, quam ſupra memoratum tempus perſtat.

Inter initia hydrocephali languet aeger; nauſea, ſaepe vomitu, una vel altera vice, quotidie tentatur; capitis dolor regionem praecipue ſuperciliarem, vel verticem, lancinat, hoc nonnunquam cum ventriculi affectibus alternante. Aliquando etiam obſervatum fuit, hoc multo magis, quam illo latere, dolere caput, et verſus latus dolens admodum inclinari; dolor etiam plerumque cervicem infeſtat, modo artus, modo inteſtina torquet. Quando ſic ſe res habeant, cephalalgia interdum

* Vide London Medical Obſervations, vol. 4. p. 52. † Ibid.
‡ Vide Eſſay on dropſy of the brain.

levior

levior eſt; lumen oculi quodammodo refugiunt; plorat et vigilat plerumque miſer; ſi ſomnus adſit, dentibus nonnunquam frendet, et naſum digitis carpit; ſubito perterritus e ſomno excitatur; alvus ſemper fere admodum adſtringitur; aliquando tamen foecum copia colore ſubviridi inferius dejici ſolet.

Hucuſque de morbi ſignis inter omnes convenit; de arteriarum autem ſtatu, ſcriptorum inter ſe diſcrepant ſententiae.

Si fides Whyttio habenda eſt, ab ipſo morbi initio pulſus frequentior eſt; et graviſſimae equidem medici illius debetur auctoritati, ut credamus exempla perplurima ſeſe obtuliſſe, ubi in hunc modum ſe res habuit; teſtibus vero * medicis quibuſdam recentioribus, nonnunquam pulſus, per paucos ſaltem morbi incipientis dies, ne minime quam in ſanis citatior invenitur.

Signis ſupra memoratis invaleſcentibus, ſtrabiſmus aliquantulus accedit; pupilla paululum dilatatur; vomitio increbreſcit; capitis dolor eo uſque intenditur, ut triſtes aegri ejulatus aſtantium animos horrore percutiant; pyrexiae nunc, quaecunque ſint, ſigna inſtant; arteriae celerius moventur; ſitis et ſpiritus difficultas urgent; calor corporis, praecipue circa capitis regionem, augetur; febris ſaepe veſpere graveſcit, et vultus ſubinde rubedine obduci ſolet.

Neque mens, corpore gravibus adeo malis laceſſito, intacta ſemper manet; nunc temporis etenim delirium, et interdum ferox, quod phrenitide laborantes torquet, caeteris aliquando ſignis accedit, praeſertim ſi aeger jam adoleverit.

Hac itaque malorum ſerie inſignis primum curſus ſui ſtadium percurrit hydrocephalus; temporis autem limites, qui ad hoc perficiendum ei concedantur, admodum incerti ſunt; diebus vero quatuordecim circiter in hunc modum peractis, aliam quodammodo prae ſe fert ſpeciem morbus; arteriarum pulſus huc uſque citatiores, jam tardiores fiunt, quam qui ſanis eſſe ſolent, viribus ſuis atque intervallis ſimul parum aequales; calor interim haud imminutus manet, dolor aliquantulum miteſcere videtur; et, ſopore vigiliam prioris ſtadii excipiente, in coma tandem incidit aeger, manibus ſuis capiti ſaepe admotis; oculorum affectus in pejus ruunt, ſtrabiſmus augetur, pupillae magis dilatantur, et caecus denique omnino fit miſerrimus; quae ori ingeruntur devorat, neque vomitu ea ſicut antea rejicit; alvus aſtricta manet; nonnunquam tamen, hic temporis, vermes inferius dejiciuntur.

Cum per dies quoſdam, numero utplurimum incertos, ſub hac forma morbus perduraverit; paucos ante obitum dies,

* Fothergill et Watſon, Lond. Med. Obſer. vol. 4.

arteriarum

arteriarum pulſus denuo fiunt aequales, adeo autem debiles, necnon frequentes evadunt, ut vix tandem numerari queant; ſpiritus difficillime, et, ſicut in apoplecticis, cum ſtertore fertur; quae in oculis alba eſſe debent, aliquando ſub finem morbi rubeſcunt; neque rarius accidit hinc pallere vultum, illinc ſimul rubere; toto corpore, praecipue in artubus, maculis ſeſe rubris oſtendentibus; aegre demum deglutitur; faeces et urina ejiciuntur; et dirae tandem membrorum diſtenſiones miſerum e vivis eripiunt. Non ſemper tamen huc-uſque progreditur morbus, aegro nonnunquam pereunte priuſquam coma affuerit.

Morbi tandem hiſtoria ad finem fere perducta, pauca liceat adhuc ſubjungere, de quibus medici me certiorem fecerunt, quorum in arte noſtra maxime valeant ſententiae; et ex his, ni fallor, dilucide patebit, quantum difficile ſit morbum hunc vere Proteiformem ad amuſſim verbis exprimere.

Medico cuidam, quo non peritior alter, tales vidiſſe nonnunquam contigit omnium ſignorum intermiſſiones, ut corticem Peruvianum, nec ſine fructu, interdum propinaret.

Alter etiam ſagaciſſimus nuperrime aegrum vidit, qui intra ſeptem ab initio dies morbo huic ſuccubuit; primo quidem arteriarum pulſus tardi et inaequales fuere, dein citatiores evenerunt, atque iterum, ante finem, ut in initio, tardi et inaequales facti fuere; lumen oculi nunquam refugerant; neque pupillae dilatatio, niſi poſtremo fere morbi die, obtinuerat; nunquam evomuerat aeger, neque capitis dolore evidente vexatus fuerat.

Plurima forſan generis anomali exempla proferri poſſent; haec vero ſufficiant.

Nunc demum pauca de morbi ſpecie dicenda ſunt, quem (etſi eodem nomine appelletur) phaenomena, aegrotantium habitus, cadaverum ſectiones, cuncta denique ſuadent, hydrocephalo ſupra depicto admodum eſſe diſſimilem.

Morbus iſte, cujus jam tradita fuit hiſtoria, jure inter acutos enumerari poteſt; utpote qui intra dies, ut plurimum, octo et viginti curſum ſuum abſolvat, et cujus initia omnibus pyrexiae indiciis ſtipantur. Suadent autem plurima, in medicorum ſcriptis invenienda, morbo vere chronico, ideoque recte inter hydropes alios enumerando, aquam intra cerebri ventriculos ſtagnantem ſaepe ortum praebere; quantum illius indoles ab acuti diſtet, ſigna paucis enarrata facile evincent.

Hydrocephalus igitur chronicus ſaepiſſime rachitidi, modo ſpinae * bifidae, vel hydrocephalo externo, conjungitur; neque raro accidit, aquam intra cranium, etiam cerebri ſuper-

* Vid. Wepferi obſervat. med. pract. de affect. capitis, obſervat. 29. p. 56.

ficiei

ficiei incumbentem, in hoc morbo inveniri. Nulla vero hujuſmodi labe detecta, eos nonnunquam premit, quibus aliarum partium adſit hydrops, vel ſaltem in quibus leucophlegmatia, hydropis ſeminium, demonſtrat. Neque equidem ſeminium ſolummodo, verum etiam ipſe morbus aliquando congenitus eſſe videtur; eorum etenim qui morbo hoc laborant, ſaepe in ipſo partu capita ſolito majora eſſe cernuntur.

Utcunque tamen haec ſe res habeat, lentis adeo paſſibus utplurimum morbus progreditur, ut intra cranium, in molem fere incredibilem diſtenſum, aquam ad quatuor, interdum quinque, ſex, vel etiam novem librarum *menſuram*, invenerint anatomici *; cerebri aliquando parte ventriculis incumbente ad membranae craſſitudinem extenuata. Neque deſunt exempla ubi totum fere cerebrum e conſpectu amotum fuerit; cranii aliquando quoque hiant ſuturae. Hic loci autem memoria dignum eſt, nulla eorum capita, quos morbo acuto laborantes Whyttio vidiſſe contigit, vel minime praeter ſolitum grandia fuiſſe.

Ut ad rem autem redeam; capitis mole hac oppreſſi, per annorum ſaepe ſeriem, vitam trahunt aegri, ne ullo quovis e gravibus iſtis cruciati malis, quae hydrocephalum antea depictum citius ad exitum ducere ſolent. Artuum ſaepe adeſt debilitas; et cervix capitis ponderi ſuſtinendo vix par eſſe videtur; aliquando tamen ne haecce quidem debilitatis ſigna in conſpectum prodeunt; et, quamvis nonnunquam ſtupeat quodammodo aeger, ſaepe mens omnino illaeſa manet.

Hinc luce, ni fallor, clarius patet, binos, eoſque admodum diverſos, morbos eſſe, queis unica tamen atque eadem cauſa proxima, idemque nomen, vulgo tributa fuere.

Haec de utriuſque morbi phaenomenis. Poſthac comprobare audebimus, quantum ſigna, tantum inter ſe diſcrepare cauſas. Antequam de pathologia vero loquimur, pauca de diagnoſi proferre decet; in hac autem parte, de eis tantum, quae ad morbum acutum attinent, agendum eſt.

DE DIAGNOSI.

Morbum hunc ingruentem diſcernere haud difficilius quam utile eſſe videtur; quoniam hic, ſi alicubi, principiis obſta, medico pro lege firma eſſe oportet.

In ipſo primo ingreſſu, aegre a ventriculi debilis, dentitionis, vel vermium ſignis, hydrocephali hujus phaenomena diſ-

* Vide Veſalium de corporis human. fabric. lib. 1. cap. 5. p. 17. Vide quoque Tulpii obſervat. med. lib. 1. cap. 24. et Donald Munro, eſſay on dropſy, p. 153.

cernuntur; ſi vero emetico leni, necnon cathartico mercuriali* propinatis, adhuc urgeant cephalalgia cum vomitu; ſi praeterea lucis quaedam adſit impatientia, et dolor inter ſcapulas aegrum premat; ſi, denique, labem haereditariam nobis ſuſpicari liceat, in propinquo ſtare hydrocephalum pluſquam veriſimile eſt. Artuum ſpaſmi quoque ſaepius in dentitione et vermibus adſunt, quam illo hydrocephali tempore, quo maxime his ſimilis ſit affectibus.

Morbo aliquantulum invaleſcente, ſtrabiſmus, et pupillarum dilatatio, cum arteriarum pulſu tardo ac ſimul inaequali, pro certis fere hydrocephali interni indiciis habenda ſunt, praeſertim ſi ſigna jam enumerata hiſce praegreſſa fuerint.

Verſus finem tendente morbo, ſtupor, oculorum caligo, pulſus frequens, et membrorum diſtenſiones, lethalem hydrocephali terminum demonſtrant.

DE CAUSIS REMOTIS.

Satis forſan jampridem de ſeminio perſcriptum eſt, labem nempe quandam congenitam antea affirmavi pueros ad hydrocephalum acutum proclives reddere; ex quonam vero ſyſtematis vitio pendeat haecce diatheſis, minime fortaſſe in aperto erit, etiamſi ipſe cerebri ſtatus, qui a diatheſi illa exoritur, clarius expoſitus fuerit.

Rachitis, vitium cacheƈticum, ſeroſa ſanguinis colluvies, corporis totius debilitas, et quaecunque demum pro cauſis aliorum hydropum procatarƈticis haberi ſolent, chronicae potius, quam acutae hydrocephali ſpeciei, ortum praebere videntur.

Multa quoque inter ea, quae morbum hunc excitare valeant, ponere ſolent medici. Ex his, vaſa cerebri lymphatica rupta; glandula pituitaria vel pinealis tumida; perſpiratio capitis, vel urina ſuppreſſa; et denique caput ab externo percuſſum, praecipue enumerantur.

Quoniam verum argumento a ficta ſolummodo ſimilitudine deducto, quae hydrocephalo huic, cum reliquis eſt hydropum generibus, innititur eorum ſententia, qui plures has cauſas morbum excitare poſſe autumant, neceſſe eſt, ut morbus iſte acutus, qui hydrocephali interni nomine jam deſcriptus eſt, verus eſſe hydrops comprobetur, priuſquam, fallaci ſolummodo analogia ductus, cauſas quis utrique affectui communes eſſe ſtatuat.

Ex ſcriptorum autem auctoritate, et cauſae proximae natura, quam, pluribus poſthac argumentis, firmare conabor, admodum veriſimile fit, externas capitis percuſſiones, quibus infantuli

infantuli ob aetatem caduci maxime obnoxii ſint, longe frequentiſſimam eſſe cauſam excitantem.

DE CAUSA PROXIMA.

Inter omnes convenit, qui morbo hoc mortuorum ſectionibus verſati, ſcripta ſua juris publici fecerunt, aquam, calore minime coagulandam, nunc intra unum, ſaepius vero plures cerebri ventriculos, detectam fuiſſe.

Hinc, nomine indito, plurimis viſum eſt, humorem hunc a primo morbi initio ſolita majore copia effundi, et paulatim ad eam uſque augeri molem, ut admirabilem cerebri fabricam diruat, et aegri tandem animam extinguat.

Nullus equidem dubito, quin in hunc modum curſum ſuum morbus iſte abſolvat, cui hydrocephali chronici nomen antea impoſitum fuerit, utpote quem phaenomena omnia jure hydropem eſſe evincant. Verumenimvero quum hujuſce olim, et morbi quem acutum appellavimus, ſigna parum eadem eſſe plane demonſtratum fuerit, reſtat ut hic loci quantum inter ſe abhorreant eorum cauſae quoque indicem.

Jampridem obſervatum fuit, illos, qui de hac re ſcripſerunt, aquam ſemper in cerebri ventriculis vidiſſe. Plurimarum tamen ſectionum hiſtorias mihi medicus peritiſſimus enarravit, qui in hoc morbo tractando admodum verſabatur; atque ex his patet, aegros interdum mortuos fuiſſe, antequam ſtupor evidenter in aperto eſſet, vel ſaltem priuſquam diu perſtitiſſet. In illis omnibus, cadavere ſecto, guttulae tantum, pro more ſolito, in cerebri ventriculis aquae inveniebantur; vaſa vero ſanguifera tam cerebri quam menyngum adeo ſanguine turgebant, ut ſumma anatomici arte repleta, nequaquam magis conſpicua eſſe poſſent. Ubi autem, ſtupore jam premente, et toto denique morbi curſu abſoluto, periiſſent aegri, tum parum plerumque vaſa ſanguine ſcatebant; aqua vero, ſicut reliqui retulerunt medici, in ventriculos effuſa reperiebatur.

Si vero itiuſmodi ut plurimum ſit genus morbi hujuſce acuti, ut ſanguinis ſolita largiore copia primum vaſa cerebri turgeant, et humoris limpidi effuſio, priorem tantummodo affectum ſequatur, cur non (dicat aliquis) ſcriptores illi, qui in ſectionibus verſati ſunt, de hac cauſa mentionem fecerunt? Huic autem argumento facile occurrere poſſumus. Primo etenim rarius accidit aegros eo morbi tempore rapi, quo culter anatomicus, in ſupra relatis caſibus, plethoram illam, abſque effuſione detexit. Secundo, admodum mihi veriſimile videtur, tale quod antehac phaenomenon ſeſe medicis obtuliſſe; qui

D 2 tamen,

tamen, cum e ſpe aquae inveniendae exciderent, morbum dein nequaquam huic noſtro affinem fuiſſe ſentirent.

Hujuſmodi exemplum in noſocomio Edinenſi, hieme anni 1777, mihi innotuit. Puella, annos circiter quatuordecim vel quindecim nata, ſignis quibuſdam laboravit, quae pro hydrocephali indiciis ab omnibus habita fuere. Medicus peritiſſimus, qui aegrae curam gerebat, in hanc ibat ſententiam, et quae morbo invaleſcente adhuc ſigna affutura eſſent ſagax praedixit; ſigna adſunt, perit puella. Inciſo poſtea cadavere, ſpes quemque ſpectantium fefellit; nullus enim in ventriculis humor, vel alia quavis circa encephalon parte, inventus fuit; vaſa vero cerebri, et membranarum, ſanguine plurimo turſerunt.

Dum huic diſſertationi ſcribendae operam navarem, accerſente illuſtriſſimo Culleno, mihi conſpicere licuit inciſum juvenis cadaver, qui annos circiter unum et viginti natus, propter phthiſin imminentem, a cibo animali, anno mortem praeeunte, omnino abſtinuerat, paucis antequam graviore quovis ſigno correptus eſt diebus, vertigo et tinnitus aurium ſaepe eum tentavere, quae tamen ſtatim fere evanuere. Vigeſimo tandem ante obitum die, juvenem hunc cephalalgia et paralyſis ſigna quaedam corripuere; morbo invaleſcente, hydrocephalum adeſſe ſagaciſſimus enunciavit Cullenus, qui tunc temporis aegri curam gerebat. Mortuo demum juvene, cerebrum oculis noſtris ſubjectum fuit. Vaſa omnia praeter modum ſanguine ſcatebant, et hinc illinc piae matris ſuperficies cruſtula inflammatoria obduci videbatur; ventriculis patefactis, aqua parum coagulabilis, ad duarum unciarum menſuram ibi inveniebatur; nihil vitii in alia quavis cerebri parte detecto.

Eodem fere tempore, mihi aegri annos novem nati hiſtoriam enarravit amicus quidam verax; per hebdomadas circiter tres puer ſignis laboraverat, quae hydrocephalum adeſſe teſtata ſunt; occidit tandem aeger, et, ſecto capite, aqua in ventriculos effuſa inveniebatur; tanta autem plethora, vel etiam inflammationis indicia, affuere, ut in pluribus locis morbide pia mater durae adhaeret.

Pro ejuſdem plethorae teſtimonio haberem, quod Whyttius e naribus cujuſdam morbo hoc laborantis bis terve ſanguinem fluxiſſe videret.

Ex his itaque rebus patet, in quibuſdam caſibus aquae in ventriculos effuſioni ortum praebere ſanguineam cerebri plethoram; eodem fere modo quo peripneumonia, et interdum aſthma, hydrothoracis fiunt cauſae.

Et ſi in animo quidem variam et mutabilem volvamus ſignorum ſeriem, quae ſe in hydrocephalo acuto oſtendunt, et quae

quae vix alio explicari poſſunt modo, libentius forſan in ſententiam ibimus, morbum iſtum, quem jure acutum Whyttius, et poſt illum reliqui depinxerunt auctores, ſemper fere a ſtatu tali capitis plethorico initium capere.

Hinc etenim intelligere poſſumus, cur oculi (ſicut in febribus accidit, ubi nimio verſus cerebrum impetu ſanguis propellitur) lucis ſtimulum nequeant pati; hinc febris, incipiente morbo, cauſa in propatulo eſt; et febris demum curſu abſoluto, eo forſan tempore arteriarum pulſus tam vi quam frequentia languere incipiunt; eo ſtupor inſtat; quo aquae èffuſione plethoram ſanguineam excipiente, jam abſit nimius ſanguinis ſtimulus, et vi tantum mechanica cerebrum premat aqua.

A morborum enim hiſtoriis ſupra traditis patet, aquam (ut in hydrocephalo chronico ſaepe accidit) diu intra cerebri ventriculos ſtagnare poſſe, nullo quovis ex eis ſignis, quae morbi acuti indicia ſint, aegrum premente. Neque equidem omnino explicandum eſſe cenſeo, quomodo aqua puriſſima, et ſtimuli cujuſque chemici immunis, ab initio effuſa, et mole paulatim aucta, donec aegrum interimat, mirabilia illa hydrocephali acuti ſigna exhibere queat, quae ne minimam prae ſe ſpeciem ferant effectuum ab unica, ſimplici, et paulatim ingraveſcente cauſa profluentium.

Facile vero credendum eſt, auctum ſanguinis in cerebro impetum, arteriarum poſſe pulſus citatiores, oculos lucis impatientes reddere, calorem capitis augere, et cepalalgiae demum, feroci interdum delirio, ortum praebere; quoniam nunquam fere his non ſtipata ſignis adſit phrenitis, vel alter quivis morbus, in quo encephali vaſa ſanguine praeter ſolitum ſcateant.

Ex hinc longe apoplexiae, quam hydropi, ſimilior morbus de quo ſcribitur evadit; haud vero difficilius explicatu eſt, cur iſtius morbi phaenomena non prorſus eadem ſint, quae in vera apoplexia ſe oſtendant, quam ſi aliquis rationem reddere vellet, propter quam eadem fere cauſa, vis ſcilicet cerebrum premens, effectus adeo ſibi diverſos edat, quantum inter ſe diſcrepant apoplexia, paralyſis, epilepſia, catalepſia, hydrocephalus, mania, delirium, cephalagia, &c.

Nequaquam autem vero abſimile eſſe videtur, ſtimulis admotis, vel vi quavis premente, infantulorum minus ſenſile eſſe cerebrum, quam annis poſtea invaleſcentibus evadat. Neque enim dubio locus eſt, quin ad hunc modum ſe res habeat, cum primo in lucem foetus edatur; partus enim tempore, cranii oſſibus ſibi invicem incumbentibus, vi tali, nec non impune, foetus cerebrum comprimatur neceſſe eſt, quae adulti cujuſvis cerebro admota mortem citius afferret. Si praeterea in animo volvamus

volvamus quam pauca, quam obſcura id aetatis ſint mentis munera, quae a debito ſenſorii robore quodammodo pendere videntur, haud forſan abs re erit ut ſuſpicemur, parum ejuſdem in infantium ac adultorum ſyſtemate momenti eſſe cerebrum. Hoc nobis dato, facile intelligendum erit, cur infans diu adhuc ſuperſtes talem cerebri plethoram perferre poſſit, quae adulto homini apoplexiam et mortem improviſam ſtrueret.

Si denique, rebus accuratius perpenſis, cauſa jam allata ſemper fere valuiſſe invenietur, morbum fortaſſe, de quo pauca haec ſcribere conatus ſum, jure licebit apoplexiam infantilem appellare; hydrocephali interni nomine, chronico illi affectui ſolum indito, quem cuncta caeteris hydropis generibus conſimilem eſſe evincunt.

Confitendum eſt tamen, hancce theoriam tenui adhuc fundamento inniti; plurium deſunt ſectionum hiſtoriae, necnon alia multa, quae nobis peritorum poſthac praebebit auctoritas; hinc nempe momenti quid ſententiae noſtrae accedet, ſi eos quos ipſos, vel quorum germanos, tenerrimis annis morbus hicce corripuerit, aetate jam provectiore apoplexia vel paralyſi tentari comperietur.

Antequam huic diſſertationis parti finis imponatur, neceſſe eſt ut de aliis quibuſdam phaenomenis mentio fiat, quae in cadaveribus ſeſe medicis obtulerunt.

Celeberrimus Whytt intra thalamum nervi optici dextri tumorem detexit, magnitudine vix ab ovo gallinaceo abludentem, intus duriuſculum, colore ſubluteum. De eorum quoque ſectionibus locutus, quos hydrocephalus rapuerat, ſimilem fere tumorem bis in cerebello ſe vidiſſe, me certiorem fecit Gregorius junior, qui, patre admodum dignus, medicinam theoreticam praelectionibus ſuis ornat *. Monro, rei anatomicae profeſſor egregius, et cum illo Petit †, in hujuſmodi cadaveribus ſaepiſſime glandulam pituitariam, vel pinealem, praeter ſolitum tumidam videre. Hydrocephalo laborantem ipſe puerum vidi, cui glandulae cervicales mirum in modum tumuerunt.

Utrumne tamen ex his omnibus quidquam in cauſa morbi revera fuerit, necne potius pro illius effectibus haec habenda ſint, adhuc, ni fallor, dubium maneat neceſſe eſt, dum cerebri phyſiologia, et cujuſque ex partibus ſuis munus, penitus nos lateant. Hoc tantum pro certo novimus, rariuſcule, pro aegrorum numero, quos enecat hicce morbus, vitia hujuſce generis in cadavere conſpici.

* Vide Praelectiones.

† Academ. des ſciences, 1718, Mem. p. 121.

De

De ſymptomatum quorundam cauſis, ſemeiologia jamdudum adeo ſeſe prioribus partibus neceſſario intexuit, ut plurima repetenda eſſent, ſi cujuſcunque ſigni cauſam ad amuſſim nunc indagare vellem; operae tamen pretium erit, ſummatim hic loci attingere, quae jam fuſius ad praecipua ſigna exponenda dicta ſunt.

Primo igitur, quaecunque cauſa fuerit remota, vel corporis conformatio, nimius capiti admotus calor, vel denique vitium aliquod a percuſſo capite ortum, inuſitato verſus verticem impetu ſanguis moveri videtur: hinc vomitus, qui a conſortio mirabili ventriculum inter atque cerebrum oritur; hinc cephalalgia, calor corporis univerſi, praeſertim vero circa caput auctus; pulſus quoque hinc arteriarum citati; hinc vigilia, ut in phrenitide, et delirium aliquando ferox. Lumen quoque oculi refugiunt, quod retinae vaſa nimio, prout intra cranium ſe res habeant, ſanguine ſcateant.

Poſt dies aliquot, ſanguinis rubri congeſtio imminui videtur, quoniam ſigna fere omnia, quae pyrexiam indicarent, magnopere miteſcant. Eodem vero tempore quo languet pyrexia, et ſanguinis rubri ſtimulus deeſſe videtur, ea ſeſe oſtendere incipiunt ſigna, quae cerebrum vi inſolita comprimi indicant; tunc temporis veriſimile eſt, aquam primo in ventriculos effundi. In illos autem potius quam ad externam cerebri ſuperficiem effunditur, quia ſemper aliquantulo humoris in ventriculis invento, ibi vaſa oſculis ſint dehiſcentibus neceſſe eſt; per has itaque facilius vias effluet aqua, cum morbida diſtenſio vaſa demum laxiora reddiderit. In ventriculis praeterea ſitus eſt plexus choroidaeus, cujus laxa et pendula quaſi vaſa vi facilius fluidorum cedent, quam quae firmiora ſint.

Effuſus autem humor cerebrum undequaque premit, et illius, quaecunque ſint, muneribus obſtat: hinc univerſae corporis atque animi languent vires; caligant denique oculi, quia humor, thalamis nervorum opticorum incumbens, eo modo nervos ipſos comprimit, atque ideo oculorum viſus aboleſcit, prout alia quaevis in corpore pars torpet, utcunque nervus verſus illam partem tendens magnopere comprimatur.

Poſtrema, denique, quae morbi obſervanda eſt mutatio, cum arteriarum pulſus frequentes admodum et debiles fiant, et membrorum diſtenſiones miſerum torqueant, parum morbo huic, vel cauſae ejus, propria eſſe videtur; ſimilia enim ſub finem febrium aliorumque affectuum ſe oſtendunt, et, corporis tandem viribus confectis, ad ultima jam ventum eſſe teſtantur.

Praeter ſigna haec, quae morbum praecipue indicant, alia quaedam manent, quae explicatu digna exiſtimari poſſunt;

dentibus

dentibus ſcilicet frendunt nonnunquam, et naſum digitis carpere ſolent aegri, illorum more, qui vermibus torquentur. Quandoquidem vero ſaepiſſime vermes eorum inteſtinis inhaereant, qui hydrocephalo laborant, nunquam forſan ſigna, de quibus agitur, invenientur, niſi cum ab ipſis vermibus ortum trahant. Nullo, me fateor, ratiocinio cauſam macularum rubrarum exponere poſſe, quae per varias corporis partes ſpargi interdum obſervatae fuerunt.

DE PROGNOSI.

Perlectis eis quae de hydrocephalo interno ſcripſerunt medici, nemo eſt quin pro comperto habebit, magnopere periclitari quem morbus iſte premat. Ut plurimum vero affirmari licet, quo diutius perſtiterit, eo majus mortis periculum ſubeſſe.

Si ſtupor et coma denique adſint, multo periculoſius eſt, quam ſi, hiſce abſentibus, diu etiam quae praemiſſa fuere manſiſſent. Minime tamen deſunt exempla, ubi, ſtupore urgente, ſuperſtites fuerint aegri. Queis vero arteriarum pulſus debiles et frequentiſſimi fiant, et ſimul artus convellantur, citius pereundum eſt.

DE CURATIONE MORBI.

Quum ſaepius dolerem arte medica invictum fere hydrocephalum graſſari, nihil forſan momenti de curatione proferre potero, cui paucos tantum illo laborantes, ne unum quidem ſuperſtitem vidiſſe contigerit. Ex aliorum tamen auctoritate, quae maxime profecerunt remedia, vel quae profutura videntur, ordine quodam enumerare conabor.

Primo igitur initio, cum de morbi adhuc natura dubitetur, tutiſſimum erit emeticum, necnon catharticum valentius, propinare ; utpote quae felici eventu exhiberi poſſint, ſi vel vermibus inteſtina, vel ſordibus ventriculus, gravantur ; et, ſi vere hydrocephalus inſtat, minime curationi medicamenta haecce obſtent. Quod ad cathartica vero attinet, reliquis praeſtare hic videtur mercurius dulcis, pro viribus repetitus ; quoniam vermibus, ſi adſint, expellendis idoneus eſt ; et ſi hydrocephalus urgeat, triplicem ſaepe cathartici doſem, ad alvum liquandam, morbus iſte deſiderat. Remediis tamen hiſce adhibitis, vermes per dejectiones eliminati minime pro indicio habendi ſunt, ex his omnino morbum pependiſſe, niſi mala, quae aegrum gravarent, expulſis vermibus, miteſcant: Si etenim, peracto cathartici necnon emetici munere, adhuc

maneant

maneant capitis dolor, vomitio, et reliqua quae, de diagnoſi locutus, pro certis fere hydrocephali notis recenſui; tum curationis conſilium (dum intra canales ſuos fluida cohibeantur) ad morbidam illam cerebri plethoram amovendam dirigi debet, quam plurima veram morbi incipientis cauſam eſſe evincunt.

Id efficiendum eſt,

I. Sanguine detracto.

II. Datis catharticis.

III. Veſicatoriis capiti appoſitis.

IV. Setaceis juxta verticem immiſſis.

V. Capitis ſitu idoneo.

VI. Frigore forſan capiti admoto.

VII. Adhibito pediluvio.

I. Quod ad ſanguinis detractionem attinet, probe Celſus monuit, "minus intereſſe, quid in corpore intus geratur, quam quae ſint vires." Cum igitur aetas infantilis aegre auxilii genus hoc ſuſtinere valeat, et praeterea per morbi ipſius curſum, corporis vires admodum extenuantur; ob has cauſas, cum morbus aegrum corripuerit, a nimia ſanguinis detractione abſtinendum eſt. Feliciore multo eventu igitur, a temporibus, quae prope mali ſint ſedem, ope cucurbitularum vel hirudinum, amittitur ſanguis, quam ſi e brachio educatur; ſi vero largiorem deſiderat detractionem morbi vehementia, atque aegri vires patiantur, ſecta vena jugulari, cum fructu, ni fallor, mittendus eſt ſanguis. Anne hic licet arteriam temporalem incidere?

II. Catharticorum uſum, ſaeviente hoc morbo, cuncta indicant, niſi ſponte, ſicut nonnunquam accidit, alvus fluat. Antea quidem obſervatum eſt, non niſi valentioribus catharticis, vel mitiorum largis admodum doſibus exhibitis, in hydrocephalo dejici; quoniam vero nunc temporis vomitio utplurimum adſit, ad ea medicamenta confugiendum eſt, quae nauſeam quam minime cient; hujuſmodi remedium ſe inveniſſe affirmat celeberrimus Gregorius, ſenior, ſolutionem ſalis Glauberi, cui cremoris tartari portio quaedam adjecta fuit.

III. Veſicatoria ex eo praecipue hic loci auxilio eveniunt, quod humoris copiam e parte veſicata eliciant; ob hanc cauſam, toti fere capiti imponenda ſunt; et, cuticula remota, partes quaedam ope unguenti epiſpaſtici adeo curandae ſunt, ut ulcera diu trahantur. Cullenus, jure celeberrimus, in praelectionibus ſuis clinicis, hiſtoriam aegri narrat, qui veſicatoriis ad hunc modum impoſitis a morbo hoc convaluit; haud pari tamen cum eventu medicinam hanc illuſtris ille medicus poſtea adhibuiſſe confitetur; quod tamen unquam pro-

 fuiſſe

fuiſſe notum eſt, in morbo tam lethali, auxilium, id medicum experiri decet.

IV. Setacea, ſi ſub locum affectum immittantur, cum primum morbus in aperto ſit, humorem detrahendo, poſt dies quoſdam levamen afferre poſſunt.

V. Is capitis ſitus eſſe debet, ut, vertice ſuffulcito, ſanguinis verſum cerebrum fluxui pondus ſuum quam maxime obſtet.

VI. Quandoquidem felici cum eventu frigus in phrenitide capiti admoveatur, nonne hic etiam de eo periculum facere licebit?

VII. In phrenitide equidem, cujus cauſa a morbi noſtri vix multum abhorret, pro auxilio ancipiti pediluvium inter medicos habetur: Quoniam vero in febribus, ubi capitis dolor et vigilia aegrum vexant, levamen affert, magnopere illud hydrocephalus deſiderare videtur, quando doloris et vigiliae lenimen admodum exoptantur.

Ob eandem fere cauſam, ad opium forſan confugere liceat, ſi modo febris non ſit vehemens.

Haec de primo curſus ſtadio; quando autem arteriarum tandem pulſus tardiores eveniant, et reliqua adſint, quae, ut antea expoſitum eſt, humorem jam e vaſis turgidis et laxatis effundi teſtantur, pro vero dehinc hydrope morbus habendus eſt, et ſummis viribus contendendum eſt, ut aqua intra ventriculos ſtagnans amoveatur.

Ad aquam e ventriculis amovendam, praeter cathartica et veſicatoria antea collaudata, auxilio fortaſſe medicamenta forent diuretica. Sub hoc nomine plurima incertae admodum virtutis exhiberi ſolent. In omni hydropis genere, ſolutionem cremoris tartari collaudat celeberrimus Home; ſpiritum nitri dulcem alii quidam, prae reliquis, commendant †.

Quibus tamen praecipue nunc temporis fidendum eſt, ſunt quae ſtimulo ſuo abſorbentium vires excitent; hujuſmodi ictus videtur eſſe electricus.

Ex omnibus vero, quae effectum hunc edant, ſingularem habere virtutem mercurius deprehenditur. Non deſunt exempla hydropis cujuſcunque fere generis ope medicamenti

† Digitalis purpurea Lin. nuper in hydrope multum commendatur. Sub forma decocti dari ſolet. ℞. Foliorum digitalis ſiccatorum drachmas tres; aquae uncias duodecim: Decoque ad uncias octo, et cola. Capiat aeger ſeſcunciam omni trihorio. Secunda aut tertia vice ingentem nauſeam facit. Vomitus aut catharſis aliquando ſuperveniunt. Plerumque autem urinam inſigniter movet, quae in quibuſdam aſciticis tam copioſe profluit, ut iis faſciae, quales poſt paracenteſim, opus ſint. Operante medicamento multum et dilute bibendum eſt; operatione autem peracta, quiete, cibo et vino aeger ſe reficere debet. Poſt aliquot dies aqua eodem modo, quo prius, eliminanda.

iſtius

iſtius depulſi ; et, e paucis qui ab hydrocephalo interno convaluiſſe noti ſunt, memoria dignum eſt, longe eorum plurimis, quorum mihi innotuerint hiſtoriae, mercurium ſub formula quadam propinatum fuiſſe. Prima vero hujuſce remedii laus ex eo oritur, quod feliciſſimo eventu Doctores Percival et Dobſon aegros plures, quos morbus hicce ad orcum fere arripuerat *, delibuto capite unguenti mercuriali, curavere; utrum tamen exinde nobis ſperare liceat, truci huic morbo remedium tandem inventum eſſe, in dubio adhuc reſtat.

Praeter medicamenta quae jam recenſui, hiſtoriam mihi peritiſſimus enarravit medicus, aegri qui, hydrocephalo laborans, ſtupore jam gravatus eſt, et tamen ad ſanitatem perductus fuit, poſtquam largis quibuſdam florum zinci doſibus devoratis, inſignem urinae copiam expuliſſet.

Tempus omnino tererem de cranii perforatione loquendo, quam inepte admodum nonnulli commendant.

His quae de morbi hujus curatione ediſcere potui ſubjicere liceat, facilius eſſe venienti huic occurrere, quam eum depellere. Quod ad eos attinet, qui vitio haereditario laborare innoteſcant, optima conſtat prophylaxis in exercitatione modica adhibenda, et fonticulis prope verticem inſerendis, ſic ut ulcus non ſanetur, donec elapſa fuerit aetas quae morbo maxime obnoxia eſt.

Hoc modo pueros celeb. Gregorius Pater hydrocephali immunes evaſiſſe vidit, quorum parentes omiſſa hac prophylaxi, morbus iſte filiis quibuſdam orbaverat.

Ex ſupra dictis, hydrocephalum internum ad phrenitidem aut apoplexiam referri oportere, lectori facile occurret. Cum autem aqua extra cerebrum eſt, morbus ſub hydropis titulo ponendus.

* Vide Med. Comment. vol. vi. pag. 219. et 224.

MORBI ANOMALI.

DE SCORBUTO.

AUCTORE ED. BRERETON.

INTER medicos ſaepe diſputatum eſt, utrum ſcorbutus antiquis fuerit cognitus, quandoquidem pauci admodum, ante medium ſeculi decimi ſexti jam fere elapſum, de hoc morbo dilucide tractarunt. Sub hoc tempus ſe oſtendere et per Europam vulgari coepit; ſed in ſcriptis priſcorum multa ſigna cujuſdam morbi indaganda ſunt, quae ſcorbutum luculenter admodum manifeſtant; ideoque hunc morbum eorum temporibus apparuiſſe, pro certo habere licet. In longis navigationibus, quum nautae carnibus ſalitis fumatiſque veſcantur, et vegetabilia recentia deſint, hic morbus praecipue graſſatur. Quoniam priſci nunquam fere, niſi circa oras, navigare ſolebant, nec aqua nec recens materies vegetabilis unquam defuere; ideoque morbus inter eos perraro contigit. Gentes quoque ſeptentrionales, quas maxime vexabat, iis parum notae fuerunt; eorum igitur morbi narrationes mancae et imperfectae ſunt, nec varia ſigna ad unum caput retulerunt, quo pacto morbum ab omnibus aliis diſtinctum notare poſſent. Hunc morbum, niſi nuperrime, cum multis aliis confundere mos erat, et notae peculiares, ſive characteriſticae, eo uſque neglectae ſunt, ut omnes fere dolores et aegritudines, quibus certum titulum affigere non poſſent, ſcorbutum appellabant *.

CHARACTER.

† In regione ſaepius frigida poſt victum putreſcentem, ſalitum, ex animalibus confectum, deficiente ſimul materia vegetabili recente; aſthenia; ſtomacace; in cute maculae diverſicolores, plerumque liveſcentes, praeſertim ad pilorum radices.

HISTORIA MORBI.

Nunc ſigna morbi recenſebimus ut ordine occurrunt, et in

* Lind on Scurvy, part. I. chap. I.

† Culleni fere.

tres

tres partes dividi poſſunt, quarum prima ſcorbutus *incipiens*, ſecunda *creſcens*, tertia ſcorbutus *inveteratus* nominari poteſt.

I. *Scorbutus incipiens*. Prima morbi ſigna ſunt inuſitata laſſitudo, pigritia, et ab omni motu averſatio, cum moerore animique dejectione; facies aegri jam pallida et tumida apparet, et quae partes antea rubicundi coloris erant, ut anguli oculorum ſive carunculae, labia genaeque, nunc obſcuro-flaveſcentem aut lividum colorem aſſumunt. Magna eſt virium proſtratio, ſpirandi difficultas, laſſitudoque poſt quamvis exercitationem; cordis etiam palpitatio, cum doloribus muſculorum, ut in rheumatiſmo, praeſertim vero genua debilitate afficiuntur, adeo ut corpus vix ſuſtentare valeant. Gingivae pruriunt, tument, leviſſimaque cauſa cruentantur, deinde atrorubrae, ſpongioſae, fungoſae, putreſque fiunt, quod certiſſimum hujus morbi ſymptoma eſt, anhelituſque graviſſime foetet. Gingivae mox exulcerantur, denteſque nudati vacillant, ſaepeque carioſi fiunt. Cutis initio plerumque ſicca et aſpera eſt, dein vero maculae diverſo colore et magnitudine in ea ſe manifeſtant, a ſubrubro in lividum aut nigrum colorem plerumque mutatae; omnes partes invadunt, plurimae autem in tibiis et cruribus, raraeque in facie inveniuntur.

II. *Scorbutus creſcens*. Morbo jam ingraveſcente, membra molli, livido, dolenteque tumore afficiuntur; quandoque totum corpus in hydropem vergit. Genua praeſertim tument, nec moveri poſſunt; muſculi tendineſque poſteriore femore poſiti admodum rigeſcunt, cruraque verſus femora retrahunt. Animi nuncio laeto facile exhilarantur, fere ſemper autem vano timore moeſtitiaque franguntur; aeger continuo ſtatum ſuum deplorat, quandoque infanti ſimilis lachrymas effundit. Color faciei in luridum lividumque convertitur; dolor pectoris multum ingraveſcit; minimo motu animi deliquio ſaepe corripiuntur, et nonnunquam ſubito moriuntur. Senſus autem et ciborum appetitus adhuc fere integri manent. In ſalivationem facile jam incidunt, praeſertim ſi hydrargyrum antea erat adhibitum.

III. *Scorbutus inveteratus*. In hoc ultimo morbi ſtadio omne ſymptoma pejus evadit. Spirandi difficultas nunc intoleranda fit; a vi putredinis vaſa nunc rumpuntur, et haemorrhagiae a variis partibus contingere videntur, ab ore, naribus, ano, rariuſque etiam ab extremis digitis, ſi quibuſdam fides habenda ſit. Multi ſub hoc tempus a gravi dyſenteria magnum dolorem ſubeunt. Veterum ulcerum, quae jamdiu coaluerant, cicatrices aperiuntur, calluſque, qui oſſa fracta multis ante

ante annis conglutinaverat, jam ſolvi dicitur *. Leviſſima cutis vulneratio in ulcus dolens, putridum cruentumque degenerare ſolet, fungusque in eo tam citiſſime excreſcit, ut nullo medicamine aut exciſione ſupprimi poſſit; raro autem gangraena terminatur. Ingens nunc anxietas, animorumque dejectio eſt; aliter autem ſenſus, nec raro cibi appetentia, in ipſo fere mortis articulo bene ſe habent, praeſertim dum lecto recumbant. Saepe minimum poſt motum, aut liberi aeris admiſſionem, ſine angore animam efflant. Pulſus in hoc morbo plerumque debilis eſt, urina pauca, rubra, foetida, et poſt aliquot horas pellicula oleoſa obtegitur. Lingua fere naturaliter ſe habet; alvus per totum morbi curſum ſaepe pertinaciter adſtricta eſt, nonnunquam vero diarrhoea cum torminibus comitatur.

Morbi capitis fere nunquam occurrunt, et rariſſime putrida febris. Quandoque hydrope, dyſenteria, ictero, aut phthiſi pulmonali terminatur. In mortuorum diſſectione omnia viſcera affecta, cor, hepar, lienque tumida et putrida comperta ſunt; humores omnes tanta acrimonia ſunt imbuti, ut glandulae meſentericae infarctae, oſſium apophyſes, et coſtarum extrema corrupta inveniuntur; thorax et abdomen ſerum effuſum continent, tam acre, ut manus anatomicorum inflammet, cuticulamque abradat. Cruor nigerrimus et corruptus ubique in telam celluloſam, inter muſculos, etiamque inter fibras eorum, evadit; muſculique crura flectentes eo oppleti, tam rigidi tumidique reperiuntur, ut membra extendi non poſſint, tractando autem facillime rumpuntur. Hic morbus nullo modo aut gradu contagioſus eſt.

† Scorbutus terrae nihilo differt a ſcorbuto maris; longis enim obſidionibus, ubi diaeta nauticae ſimili utuntur, inopiaque vegetabilium laborant, homines iiſdem ſymptomatibus afficiuntur. Hoc patet a comparando primos verioreſque de ſcorbuto terreſtri ſcriptores, cum iis qui nuperrime de ſcorbuto marino tractarunt. Cauſae ubique ſimiles ſunt, et remedia, quae a puris ſcriptoribus primum commendata ſunt, in hunc uſque diem virtutibus pollere videntur.

DIAGNOSIS.

Hunc morbum ab elephantiaſi et lue venerea diſtinguere oportet. In *elephantiaſi*, crura ulceribus etiam afficiuntur pertinaciſſima et virulenta natura, quae oſſa ipſa erodunt, et neque medicinae nec regimini cedunt, ſcorbutica autem facil-

* Anſon's voyage. † Lind on Scurvy, part I. chap. 3.

lime.

lime. Elephantiaſis duro cruris tumore ſine cauſa evidente incipit, et contagioſa eſt; ſcorbutus ſemper a cauſa manifeſta originem trahit, et nunquam contagione communicari poteſt. In elephantiaſi, cutis craſſa admodum et rugoſa eſt, piliſque deſtituta, labia, naſus, et ſupercilia craſſa, ut facies mirum in modum ſit deformis, vox rauca eſt, artuſque inferiores interdum ſenſu carent.

In *lue venerea*, bubones occurrunt, ulcera cancroſa ſaniem vireſcentem effundunt, et hydrargyro cedunt. In ſcorbuto, ulcera ſanguinea admodumque fungoſa ſunt, ut neque eſcharoticis nec cultro ſuperari poſſint, et ab hydrargyro pejora evadunt. In lue venerea, dolores media oſſa invadunt, nocteque exacerbantur, non autem in ſcorbuto. Ulcera venerea glandem penis, tonſillas, oſſa palati, naſique adoriuntur; ſcorbutica crura praeſertim, nec in ore ultra gingivas plerumque extendunt. Lues venerea contagioſa; ſcorbutus nunquam, ſemperque cauſas evidentes agnoſcit.

CAUSÆ REMOTÆ.

Sub hoc capite primo memorare decet iſtum corporis habitum, quem prae aliis ſcorbutus invadere ſolet, et qui cauſa antecedens aut praediſponens fere nominatur: Haec cauſa autem duplex eſt.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

1. Temperamentum melancholicum.
2. Debilitas.

1. Multi putant, quendam corporis habitum eſſe ſcorbuto obnoxium, et temperamento melancholico adſcribunt. Propter hanc cauſam fortaſſe, cum hypochondriaſi, variiſque morbis olim complicatus eſt. Rouppe quidem affirmat, tales, ſi cauſae excitantes admoveantur, cito admodum affectos eſſe; et haecce opinio veriſimilior eſt, ex eo, quod homines alio temperamento praediti, animis autem moerore dejectis, huic morbo opportuniores eſſe videntur.

2. Quaecunque ſyſtema relaxant, putredini pronum reddunt. Corporis habitum videre licet nunc naturaliter laxum debilemque, nunc a modo vitae, aut morbis antecedentibus, labefactum. Qui intermittentibus aliiſque febribus, aut ſcorbuto, antea laborarunt, praecipueque qui hydrargyro uti ſolebant, citiſſime corripiuntur. Scorbutus etiam primo inſultu

eas

eas partes plerumque invadit, quae largis vulneribus aut ulceribus erant affectae.

CAUSÆ EXCITANTES.

Has cauſas ad duo capita, ut in tabula ſequente referre liceat.

I. Pravum victus regimen, a
  1. Nutrimenti defectu;
  2. Victu animali, praeſertim putreſcente aut ſalito;
  3. Rei vegetabilis inopia.

II. Secretionum, praecipueque materiae perſpirabilis, ſuppreſſionum ab
  1. Exercitatione omiſſa;
  2. Commeatu nautico;
  3. Frigore humoreque;
  4. Potus fermentati et aquae purae inopia;
  5. Affectibus animum deprimentibus;
  6. Aere impuro, et immunditiis.

I. *Pravum victus regimen.*

1. *Nutrimenti defectus.*—In omnibus qui fame morituri ſunt, humores minime renovati in putredinem currunt; gingivae ſpongioſae molleſque fiunt; dentes vacillant, ſpirituſque foetidiſſime redditur. In religioſis etiam ſuperſtitioni addictis, et qui longo jejunio gaudent, eadem ſcorbuti indicia reperiuntur. In oppidis obſeſſis, intercluſo commeatu, homines facillime hoc morbo opprimuntur.

Nutrimenti quoque defectus ſcorbutique levior gradus oriatur, ſi ſtomachus, aliaque concoquendi organa, cibos etiam ſaluberrimos haud commutare valent, ut quandoque incidit iis qui carcere, aliiſve locis anguſtis, diu ſunt incluſi, aut qui lecto ab ullo morbo diutius affixi ſunt *.

2. *Victus animalis, putreſcens, ſalitus.*—Omnes fere agnoſcunt, putredinem, ad quam corpus animale continuo vergit aliquatenus, ab animali victu augeri; tamen ab hoc ſolo ſcorbutus raro generari videtur; quidam homines enim, etiam in menſes carnibus ſine vegetabili alimento veſcuntur, nec malum inde ortum habet.

Si carnes jamjam putreſcunt, morbum facilius excitabunt. Quum homines aera putridum aut concluſum inſpirent, exercitationem negligant, fructibus et alimento recente vegetabili egeant, carneque, praeſertim ſi putrida, etſi non ſalſa utantur, putredinis quodam gradu afficientur, quamvis non tanto

* Lind on Scurvy, poſtſcript, ſect. 4. edit. 3.

ac

ac ſi caro ſalita erat. Hoc tamen rarius contingit, niſi cauſae admodum valeant, aut a ſcorbuto aliiſve morbis antea affecti ſint.

Complures captivi Gallici proximo bello in arce quadam Cantiae incluſi ſunt; aer humidus erat, cubicula immunda, nec locus erat ubi aere aperto aut exercitatione frui poſſent. Omnes deinde ſcorbutus invaſit, etſi in Anglia cibum ſalitum nunquam comederant; e contrario, quotidie recens caro paniſque erant adminiſtrata; deerant autem olera, omneque recens vegetabile alimentum. Attamen *, obſervat cl. Pringle, eoſdem navali praelio captos eſſe, ubi cibos ſalſos comederant, ideoque morbo magis obnoxios eſſe.

Nautae cum Anſonio navigantes, intra ſeptem hebdomadas poſt diſceſſum ab ora Mexicana, a ſcorbuto horrifice vexati ſunt, et, quanquam carnium piſciumque recentium cum aqua pura pluviatili ſumma facultas eſſet, nullum inde mali levamen acceperunt. Hic autem notare oportet, hos non multo ante ſcorbuto laboraſſe, et praeterea tempeſtas calida et nimboſa admodum erat.

Anno 1761, mediam per aeſtatem, coelo ſereno calidoque, Angli complures in noſocomio apud Caloneſum (Belliſle), qui carne bubula et ovina recente cum tritici farina oryzaque pro arbitrio veſcebantur, ſcorbuto tamen correpti ſunt †.

Caro *ſalita*, praeſertim ſi putreſcat, inter praecipuas ſcorbuti cauſas enumeranda eſt. Carnes ‡ ſale communi conditae, quamvis in longum tempus gratum ſaporem retineant poſtea tamen putridae fiunt; ſal enim communis, etſi inter fortiſſima antiſeptica vulgo locatus, rei tamen parum reſpondet vel larga quantitate, et parva qua fere utimur cum cibis recentibus, aut conditis, putredini parum obſtat, contra, eandem potius adauget.

Notatum eſt a Cl. Van Swieten Batavos, qui carnibus piſcibuſque ſalſis aluntur, per hiemem, quum vegetabilia deſint, ſcorbuto laborare. Lappones, qui ſale vix unquam utuntur, ab eo immunes eſſe dicuntur. Hoc adeo obſervatu dignius eſt, propterea quod cibo vegetabili raro ||, pane nunquam, totamque vero per hiemem carne recente cervi Rangiferi veſcuntur. Qui tamen loca finitima habitant, paneque, vix autem alia re vegetabili, utuntur, ciboſque ſalſos edunt, ſcorbuto multum infeſtantur.

* Diſcourſe upon ſome late improvements of the means for preſerving the health of mariners.

† Alia ejuſdem exempla profert Lind, p. 49. 119. 517. et ſeq. edit. 3.

‡ Pringle, ib. p. 9. and Diſeaſes of Army, App

|| Acido tamen lacte, et quibuſdam plantis, ſcil. calla, menyanthe utuntur, ut Cullenus ex auctoritate Linnaei affirmat in Mat. Med. de Nutrient.

Angli octo * in Greenlandia hibernare coacti, quibus nullus niſi recens ferina cibus erat, totam per hiemem integra valetudine fruebantur, geluque intenſum carnes a putredine munivit. Deinde † Batavi bis terve colonos ibi collocarunt; vere autem redeunte, ne unus quidem ſuperſtes erat, nam ſcorbutus a ſalſo cibo generatus, ut ex ephemeride cernere licuit, omnes penitus delevit.

3. *Rei vegetabilis inopia.*—Cum carne ſalita putridaque, inopia rei vegetabilis corpus, prae omnibus, ſcorbuto obnoxium reddit.

Qui navibus Indiam Orientalem petunt, inopia vegetabilium, ſaepe graviter hoc malo laborant; ſimulatque vero ad Bonae Spei Promontorium naves appellunt, ſcorbuticos evehunt in terram, ubi, oleribus fructibuſque jucundis ſeſe indulgentes, cito ſanitatem recuperant, ad naves redeunt, et vegeti ad ſolita munia ſurgunt.

In urbibus obſeſſis oppidani ſumma difficultate rei vegetabilis affecti, a ſcorbuto plurima mala ſubierunt, dum obſeſſores copia ejuſdem abundantes a morbo immunes evaſerunt; oppidis autem in deditionem redactis, copiaque rei vegetabilis invecta, morbus extemplo fugatus eſt.

Innumera ‡ item exempla teſtantur eos, qui ſcorbuto graviter vexati ſunt, cito ſanitatem recuperare, et vix || unquam, aliis cauſis oblatis, in hunc morbum incidere, ſi modo genus vegetabile recens abundat.

II. *Quaecunque materiem perſpirabilem cohibere poſſunt.*

1. *Exercitatio omiſſa.*—Qui etiam incommodis diatae ſupra memoratis ſubjiciuntur, a ſcorbuto minus afficiuntur, ſi modo tranſitus materiae perſpirabilis a diligente labore et exercitatione provocetur. Dum nautae aſſiduo labore occupati tenentur, huic morbo parum obnoxii ſunt; mari autem tranquillo, propter ignaviam, facilius corripiuntur, et quo magis labori homines antea aſſueti ſunt, eo magis ignavi periclitantur.

* Churchill's Collection of Voyages, vol. 4. p. 746.

† Id. vol. 2. p. 349. Salmon's Geography, ed. 4. p. 221.

‡ Lind on Scurvy, part 2. chap. 4.

|| Hic tamen confitendum eſt, non pauca hujus morbi exempla, at mitiora, terra marique a cl. Lind enumerari, etſi aegrotis inopia vegetabilium recentium haud fuerat, et cum carnibus eadem quotidie comederant. Unum inſigne, et quaſi epidemicum, in noſocomio Haſlariano, perque omnia loca finitima, viſum eſt, etiamque naves ad anchoras ſtantes infeſtavit. Quandoque etiam longo jam morbo fractos, ſenio et labore confectos, diuque navibus aut carceribus incluſos, quibus cibi concoquendi parum facultas erat, quanquam vegetabilia recentia minime deeſſent, ab eodem affici Lindus obſervavit. Ratione vero horum reddere difficillimum eſt, et ſcorbutum quaſi anomalum appellare liceat. Lind on Scurvy, p. 271. 516. et ſequent.

tur. Hoc cl. Linnaeus, in epiſtola ad virum ill. J. Lind, ſequente modo eleganter depinxit: "Fabri et metalli foſſores, qui quotidie ſudore diffluunt, ſudorem effundunt muriae inſtar, ſalſum ſi digito abſtergas et guſtes, nec tamen aegrotant; ſi vero laedantur, ut lectum chirurgi aliquando petant et quieſcant, dum conſolidatur vulnus, interim ſcorbuto ſaepius ita inficiuntur, ut vix evadant."

Navibus quoque mercatoriis nautas numero pauciores, continuoque labore occupatos, rarius infeſtat.

2. *Commeatus nauticus*. Commeatus quoque nauticus, nempe caro bubula et porcina ſalitae, butyrum caſeuſque ſaepe rancida, farinacea fermentatione nunquam ſubacta, etiam validis concoctu et perſpiratu ſine modica exercitatione difficilis eſt, nedum convaleſcentibus idoneus eſt.

3. *Frigus humorque*. Frigus humorque, cuticularem excretionem obſtruendo, inter cauſas hujus morbi enumerantur. Etſi vero ſcorbutus gentes Boreales praeſertim invadit, a *frigore* tamen ſimplice non magnopere pendere videtur. Regiones quidem circa mare Balticum ſaepiſſime infeſtat; ibi autem per frigus brumale intenſum pecora, herbarum inedia, vitam vix trahere queant, ideoque inutilia ſunt; hinc incolae carnes autumno ſalire coguntur, quibus per hiemem victitent, cum parvulo aut nihilo olerum aut fructuum, et parca liquoris fermentati quantitate, ſaepeque humida, ſqualida, et male perflata domicilia habitant. Lappones vero antedicti intenſiorem frigoris gradum experti, uſum ſalis autem ignorantes, a ſcorbuto immunes vivunt.

Praeterea, terras ſole propiore calentes adoritur, nempe Indiam Orientalem, Italiam, Galliamque, ubi, cane aeſtivo furente, diras ſtrages edidit.

His addere ſufficiat exemplum nautae a ſcorbuto pene extincti, terraque Greenlandiae relicti, qui manibus pedibuſque ſerpens cochleariam devoravit, moxque reſtitutus eſt, etſi crudeli frigori ſubjectus.

Humori magna pars hujus mali tribuenda videtur, praeſertim frigore conjuncto, talibus enim regionibus frequentior eſt. Narrat Van Swieten, Batavos, qui demiſſa ac paluſtria loca incolunt, graviter hoc morbo laborare, dum alii eorundem, ſimili victus regimine utentes, loca autem in alto edita et ſicca habitantes, multo minus ei ſubjiciuntur, parteſque regionis olim ab eo vexatas, nunc, paludibus deſiccatis, ab eo vacare.

Nautae tam ſaepe madefacti humore ab eo corripiuntur, et, iiſdem rebus circumſtantibus, quo magis procelloſa et nimboſa tempeſtas eſt, eo facilius irrumpit, eoque atrocior jam fit, ſi antea dominavit. Cum vero malos ſcandant, aut per foros

curſitent, humiditas quam ſubeunt minime tam noxia eſt, ac ſi madidis in veſtimentis culcitiſque dormiant. Inde fit, ut, qui rebus navalibus praeſunt, qui veſtimenta madida mutare valent, quibuſque culcitis in ſiccis dormire datur, ab hoc morbo parum afficiantur.

4. *Inopia potus fermentati.* Tales potus ſecretionibus ubique favent, putredinique obſtando, multa laudatione digni ſunt; quum vero deficiant, ſcorbutus facilius adoritur. Obſervat Lindus cl. nautas parum aut minime corripi dum cereviſiae copiam habent, praefectoſque, propter hanc cauſam, multo minus affligi

Aquam quoque in longis navigationibus non niſi putridam et ingratam ſaepe habent, unde morbus pejorem formam induit.

5. *Deprimentes animi affectus.* Hi omnia excreta, praecipue materiem perſpirabilem, impediendo, corpus ſcorbuto inclinant. Hinc homines inviti conſcripti, aut alii in quorum mentes moeſtitia altius penetravit, citius huic malo ſuccumbere ſolent. Inſigne hujus exemplum ſeſe manifeſtavit dum Breda obſidionem ſuſtinebat anno 1625; namque fama rerum male geſtarum pervulgata morbi acerbitas ſtatim augebatur; ſed poſt laeti nuncii adventum, quodam modo penitus coerceri videbatur; quoſdam plane ſublevari, multoſque, remediis fictis credendo, abſolute ſanari teſtatur Vander Mye.

6. *Aer impurus et immundities.*—Aer impurus ut alia cauſa recenſetur. Morbum jam praeſentem fortaſſe augebit; in excitando autem non multum valere videtur, quoniam naupegi, quibus infra foros prope aquam ſentinae commorare officium eſt, non magis quam alii inficiuntur. In navibus diligentiſſime purgatis et perflatis quandoque * graſſatus eſt, dum in aliis, ubi aer impurus erat, nec munditiae colebantur, ſcorbutici proſpere † ſanati ſunt.

Aer marinus, quaſi ſalem marinum contineret, pro cauſa, nec merito, nominatus eſt; namque in terra aut navibus ad anchoras ſtantibus ſimilibus a cauſis orietur, auraeque marinae etiam ſalutiferae ſunt. Aqua marina ſcorbuticis a Lindo aliiſque, ut alvum ſolveret, ſine incommodo data eſt; qui ſalem communem conficiunt, incolaeque littorum bona valetudine potiuntur. Longiſſimis ‡ etiam navigationibus, ſi cauſae caute vitentur, nullum ſcorbuti periculum eſt metuendum.

Itaque ab hiſce duobus fontibus, nempe, 1*mo*, *Salitis putridiſque carnibus, deficiente re vegetabili recente*; et, 2*do*, *Ma-*

* Anſon's voyage. † Lind on Scurvy. p. 57.
‡ Account of Cook's late voyage by Pringle, ib.

teria

terie perſpirabili ſuppreſſa, ſcorbutus fere ſemper originem trahit.

CAUSA PROXIMA.

Patet ab omnibus jam dictis, ſolidas pariterque fluidas partes in hoc morbo a putredine corripi; quo modo autem cauſae remotae hanc inducunt, explicare difficillimum eſt.

In corporibus animalium ſemper putredinem verſus inclinatio eſt, quae, niſi ſuppreſſa, vitam certiſſime perderet. Natura autem, omnium provida, inſtillavit animalibus deſiderium cibi recentis, qui locum partis jam nocivae occupet. Excrementa quoque compluria ſunt, praeſertim materiae perſpirabilis, quibus putridae partes exitum ſibi inveniant; haec vero excrementa retenta putredinem accelerabunt. Materies excreta ſalinam naturam induit, quae generis ammoniaci eſſe videtur, ex acido animalibus proprio alkalique volatili compoſita; ſeroſitate detegitur, copiaque non minima ab urina extrahi poteſt. Putredinem ſcorbuticam nimiae hujus ſalis quantitati in ſanguine retentae deberi putat cel. Cullenus, et rem perſpirabilem ſuppreſſam in cauſa hujus eſſe, quoniam hoc excremento viam ſibi aliter inveniret.

Carnes etiam ſalitas pro altera fortique cauſa ſcorbutus agnoſcit. Sal enim fixus alkalinus in quovis neutro retentus, digerendo cum corpore inflammabili, aut oleo, in alcali volatile quodam gradu converti poteſt, neuterque ſal ammoniacus ſive volatilis jam fiet. Si multum ſalis marini ingeratur, principio inflammabili, quo ſanguis abundat, certe occurret, eique conjunctum ſalem ammoniacum nimia quantitate generabit.

Haecce opinio doctiſſimi Culleni, ingenio ſcatens, veriſimillima videtur, eoque magis, quia varia morbi ſymptomata hinc facillime explicari videntur; ideoque rationem eorum ab eodem fonte exprompſi, etſi ad ſequentem, de ſalis, aliarumque partium inter putreſcendum evolutione, ſententiam animus potius inclinat.

Hic enim opinio cl. M'Bride minime praetereunda eſt. Ante eum cel. Hales putavit, *aera fixum* vinculum eſſe inter partes corpora conſtituentes, eoque amiſſo, haec labaſcere ſolvique. Hunc vero M'Bride ſecutus, credit equidem texturam corporis humani partium ab eo pendere; eum in humoribus continuo adeſſe, et, ſi deſit, fluida pariterque ſolida exitiali putredine affici.

Multis experimentis illuſtrat, vegetabilia omnia recentia, cum cibis aut ſuccis animalibus commiſta, certo caloris humoriſque gradu fermenteſcere, dumque hoc fiat, vaporem elaſticum,

cum, antea quieſcentem, ideoque *fixum aera* nominatum, ab iis effugere; poſt aliquod tempus vero, partem hujus abſorberi, aut cum materie a fermentatione jam ſubacta et mutata commiſceri. Eadem vero intra canalem alimentarium citius evenient, propter liquores ibi fermentum praebentes, ſalivam ſcilicet, liquorem gaſtricum, bilemque; putat igitur, totam maſſam, nempe chylum, lactea vaſa intrare, partemque vaporis adhuc etiam elaſtici in ſanguinem portari, ut ibi quoque fermentatio fiat, a qua omne putridum praecaveatur et corrigatur.

Sanguis autem chyluſque, ſtatu ſano, molli lenique natura ſunt; etſi enim acria aut ſalina ingerantur, nil tale in iis detegendum eſt; nempe fermentatio aeriſque fixi admiſtio eadem mutarunt aut ſaltem celarunt. Dum maſſa ſanguinis igitur aere fixo ſatis abundat, haec partium concordia fere immutata manebit, nec ſalina materies collecta pernicioſas vires exerere poterit. Quum deſit vero aer fixus (et facillime abit), fermentatio in putredinem vergens ſales regenerabit, ſeu denuo oſtendet, qui, modo antea explicato, ſepticas et ſolventes potentias edent.

Putredinem carnis animalis ab hoc vapore prohiberi, et in melius verti, abunde comprobavit. Quid igitur magis idoneum, ut putredo in corpore vivente commutetur? Revera omnis fere hominum cibus partem aeris fixi continet, totum vegetabile genus, dum recens, eo abundat, parſque maxima hominum, ſi non omnes, his aliqua ſub forma utuntur. In carnibus autem parca ejus quantitas invenitur, haeque corpus putredini obnoxium reddunt, niſi vegetabilia conjungantur. Hinc, aliis cauſis oblatis, hae carnes putredinem gradatim ſaepe toti corpori inducunt, morbuſque pro nomine *ſcorbutum* habet; regimine autem vegetabili recente profligatur. Liquores etiam, quibus quotidie fere utimur, fermentando generantur, et aera fixum incluſum habent; quo magis etiam continent, eo ſcorbuticis commodiores inveniuntur.

Quoniam igitur diaeta animalis, quae minimum aeris fixi habet, putredinem potius accelerat, vegetabilis autem eo abundat, putredini obſtat et emendet, aerque fixus clariſſimis experimentis antiſepticus admodum probatur, vero ſimillima, certoque quam proxima, haec opinio videtur.

RATIO SIGNORUM.

Haemorrhagiae, maculae, &c. Vero quidem ſimile eſt fluorem ſanguinis a ſale ammoniaco jam dicto pendere; hi ſales enim ſanguini a venis fluenti admoti coagulationem impediunt, fluidumque ſtatum conſervant. Inde inferendum eſt, ſanguinem

nem a ſuperflua ſalis ammoniaci quantitate nimium ſolvi, a vaſiſque jam teneris et labefactis facile erupturum. Hinc etiam effuſiones in telam cellulofam occurrent, maculaſque lividas aut ſuffuſiones hoc morbo inſignes formabunt.

Gingivarum putredo, carieſque dentium. Sano ſtatu ſaliva magnam ſalis ammoniaci portionem continet; ſi ſanguine autem abundat, per hanc viam, aliis impeditis, naturaliter tranſibit; unde os, gingivaeque putreſcentes foetidum odorem exhalabunt, denteſque carie afficientur.

Debilitas. Materiem putridam inter primas cauſas debilitatis eſſe, experientia docet. Omnia ſigna cauſaeque ſcorbuti putreſcentem ſtatum indicant, vaſa labefacta et teneriora facile rumpuntur, et in promptu eſt videre ſyſtema nervoſum ab eadem cauſa ſeptica ſimili modo ſedatum iri. Haec praecipua morbi indicia ſunt, et ratio horum fortaſſe ſufficiat; nam ab ante dictis omnia fere pateſcunt.

PROGNOSIS.

De eventu, ex habitu aegroti, a morbi ſtatu, ſituque quoad vegetabilia terra marique, judicamus.

1*mo*, Si aeger firmam valetudinem antea expertus eſt, viſcera nullo modo morbide affecta habet, nec ſigna pejora acceſſerunt, a remediis poſtea memorandis bonum ſperare licet. Si ſecretiones antea impeditae jam ſolvi videntur, ſi alvus ſponte ſua modice reſpondet, cutis mollior, humidior fit, ſi maculae evaneſcere incipiunt, aegerque facilius exercitationem tolerare poteſt, omnia felicem eventum praenunciant.

2*do*, Si vero corpus male habet, a febribus, dyſenteriis, ſalivatione jam fractum, aut antea hoc morbo laboravit; ſi viſcera prave affecta, alioſque morbos conjunctos habet, periculum metuere oportet. Si morbus jam ad ultimum ſtadium proceſſit, ſi vehementiora ſigna, nempe magna pectoris oppreſſio, dyſenteria, haemorrhagiae, animique deliquium adſunt, multum mali exſpectandum erit.

3*tio*, Si haec ſymptomata funeſta abſunt, in ullo morbi ſtadio ſpes magna affulget, ſi modo fructus recentes, olera, aut alia genere vegetabili in promptu ſunt. Quum haec comparari nequeunt, curatio etiam in levi morbo difficilis, in gravi fere nunquam fieri poteſt. Tali in caſu morbum potius praecavere, quam adventum exſpectare oportet.

METHODUS MEDENDI.

A ſcorbuto cauſis earumque effectibus jamjam conſideratis ſequentes curandi indicationes formare liceat:

I. Statum

I. Statum corporis putreſcentem eſſe mutandum.
II. Secretiones, praeſertim materiae perſpirabilis, eſſe promovendas.
III. Syſtema corroborandum eſſe.
I. Corporis putredini mutandae regimen ante omnia reſpondet, ſcilicet,
1. Carnes recentes et inde parata.
2. Cibus recens vegetabilis.
3. Potus fermentati, iiſque ſimiles, ut aqua quoque pura.

1. *Carnes recentes et inde parata.*—Quoniam ſcorbutus a pravo victus regimine praecipue oriatur, ſcilicet, carnibus ſalitis inopiaque vegetabilium, aut inedia, ut putredinem corrigamus, alium victitandi modum, nempe uſum cibi recentis, praeſcribere oportet, praeſertim ſi aeger admodum debilis eſt; tunc enim ſanitatem citius recuperat, quam ſi ſola vegetabilia comedit, quae minus nutrimenti afferunt. Omne penus, quod ſalſum, fumo ſiccatum, rancidum, aut concoctu eſt difficile, ab iis procul amoveatur, recens ſolummodo concedatur, omnique ſtudio conandum eſt ut vivis animalibus naves inſtruantur.

Scorbutum inveteratum a * ſolo carnium recentium uſu curatum eſſe unicum narratur exemplum, ubi miſeri aegroti carnem bovis marini edendo cito morbum profligarunt. Attamen talis victus ſine vegetabili recente vix unquam ſufficiet, ut ſub cauſis videre licebat.

Si hoc autem fieri nequit, ſemper ſit parata juris a carnibus elixis concreti magna copia, quod vulgo *jus portabile* dicunt. Hoc diu ſervari poteſt; in ultima a Praefecto Cook circumnavigatione facta, perutile inventum eſt, nautaeque cum hoc olera avidius devorabant.

2. *Cibus recens vegetabilis.*—Sicut hujus penuria ſcorbutum prae omnibus generare videtur, pariter ejuſdem copia citiſſime et efficaciſſime morbo medetur, nec ſine eo fieri poteſt. Vegetabilia in acida et alkalina fuerunt diviſa, perperam vero; etſi enim quaedam naturam alkalinam habere videantur, acidum in iis multum praeponderat, ideoque omnia recentia pariter morbum curabunt, ſcilicet, paſtinaca, rapum, &c. et praecipue *braſſica*, quae facile † condiri, diu ſervari, mari commodiſſime portari poteſt, plurimiſque in exemplis inſigne commodum attulit ‡. In jure elixa jucunda ſunt, et mirabile

* Voyages of the Ruſſians to diſcover the American coaſts oppoſite to Kamtſchatka. Macbride's Meth. Intr. vol. 2. p. 457. Annot. ed. 2.
† Pro methodo condiendi, vide Lind on Scurvy, p. 170-1.
‡ Pringle, ib.

dictu

dictu eſt, quam brevi tempore ſub horum uſu ſaneſcunt. Multa alia laudata ſunt, praeſertim cacumina pini aut abietis decocta. Acria quoque, ut cochlearia, naſturtium, &c. utilia ſunt; ſed aliis aceſcentis naturae conjuncta efficaciora ſunt, ſecretiones etiam rei perſpirabilis et urinae adaugent.

Sed *fructus* maturi aut horaei, quocunque genere ſint, aliis omnibus palmam praeripiunt. *Aurantia*, *limones*, et *citrea* omnium optima ſunt, inſigneque commodum afferunt. Quandoque totae claſſes horum uſu a miſeriis ereptae ſunt, quum forte fortuna pars oneris eſſent. Ut certius commodiuſque mari ſerventur, mos eſt ſuccum eorum in ſpiſſitudinem ſyrupi aut extracti docoquere, quae poſtea dilui poteſt. Etſi bene reſpondet, ſuccus tamen recens melior eſt.

Quoniam vero acidi ſucci vegetabilium in ſcorbuto valentia remedia ſint, putridam et alkalinam fluidorum naturam ab iis corrigi quidam putarunt. Acida autem foſſilia, quae aeris fixi nil continent, in eo curando inefficacia ſunt; et eſt equidem probabilius, acidum purum nullo modo ſanguinem intrare, quia neceſſe eſt, ut antea penitus commutetur, et in chyli naturam convertatur. Etiam acetum, a fructu hoc aere abundante formatum, inefficax eſt, quia fermentationi antea ſubjectum aera fixum amiſit. Acida vero vegetabilia ſtatu recente pluris aeſtimanda ſunt, quoniam in ſtomacho fermenteſcunt, aerque fixus ibi evolvitur. Denique, ſicca farinacea, paniſque, etſi in ſtomacho fermentationem ſubeunt, minus tamen aeris fixi continent, difficiliuſque elabitur, nec morbo medendo ſufficiunt.

Quidam * vero affirmant, acidum peculiari genere *volatile*, ſcil. *vegetabile*, cum aere fixo inter fermentandum evolvi, a quo putridus odor corrigitur, dum aer fixus robur et cohaeſionem adauget. Hoc acidum vero, ſi exiſtit, neque ſuccos purpureos vegetabilium in rubrum mutabit, nec ſales alkalinas ſaturabit †, et nunquam ſine aere fixo ſeparari poteſt, cui pertinaciter adhaeret. Ideo doctrina nunc tradita nil fere, propter hanc cauſam, labefactatur.

Quum diu inopia vegetabilium recentium ſcorbutici laborarunt, modice primo comedere debent; aliter enim dyſenteria ſaepe lethalis invadere ſolet.

Poma ‡ etiam, ſi modo ſervari poſſunt, utiliſſima ſunt. His addere convenit fructus ſole ſiccatos, nempe, uvas paſſas, caricas, pruna, qui jure decocti ſaluberrimum reddunt.

* Macbride's Eſſay 3. p. 112. Annot. et p. 127. Annot.

† Ibid. Exper. 21. p. 107.

‡ Mos eſt inter Americanos, qui copiam habent, in fruſta ſcindere ſoleque aliquatenus ſiccare, dein in dolia aut ſicca loca recondere, ut diutius ſerventur.

3. *Potus fermentati, iiſque conſimiles, ut aqua quoqae pura.*— Hi omnes utiliſſimi ſunt. *Vinum a pomis confectum* inter optimos eſt. Hujuſce aut ſequentium modica quantitas ſingulis nautis ſemper concedenda eſt.

Cereviſia tenuis, aut fortior bene lupulata, multum prodeſt, praeſertim ſi inter conficiendum cum abietis ſummitatibus fuit decocta, quae *ſpruce beer* Anglice vocatur, faecibuſque ſacchari vulgo fermentatur. Sinapi raphanuſque ruſticanus quandoque in ea non ſine fructu infuſa ſunt.

* Liquorem quendam acidulum, huic ſimilem, Ruſſici inter navigandum parant, *quas* ab iis dictum, ſcilicet, panes ex byne contrita farinaque ſecalis confectos, aqua calida infundunt. Liquor cito admodum fermenteſcit, et intra horas viginti quatuor bibere ſolent.

† *Vinum* multis virtutibus praeditum eſt, et, ubi ejus facultas eſt, plurimum valebit.

Quodam modo huic ſimilis eſt potus quem Anglice *punch* dicimus, ex ſpiritu fermentato aqua diluto, cum ſaccharo largaque vi ſucci limonum aut aurantiorum confectus; ſic enim hi ſucci majores vires exercent. Hic potus non tantum ſanguinis putredinem corrigit, ſed tonum etiam vaſorum excitat, et nectari ſimilis curas expellit, metum abigit, mentemque ante demiſſam in coelum erigit. Hinc inſignia aegroto commoda, perſpiratio augetur, et excercitationem ferre valebit.

Infuſum Bynes aut hordei confecti, quod cereviſiam muſteam nominare liceat, ab ingenioſo Macbride Dublinii primum praeſcriptum eſt.

Perſpecto Bynen multum aeris fixi continere, qui inter fermentandum evadit, in animo concepit infuſum ejuſdem, antequam hic aer elaberetur, hauſtum valde antiſepticum fore, quoniam vaporis elaſtici in ſtomacho inteſtiniſque tantum a fermentatione ſeparati major quantitas in ſanguinis maſſam intraret, eidemque putreſcenti priſtinas proprietates reſtitueret. Nec mens fefellit; nam admodum valere experimenta probarunt.

Hujuſce commoda primo negabant, et fortaſſe re praejudicata ‡ negligebant; in ultima vero inſignis Cook mirifice proſpera navigatione plurimum inde commodi acceperunt

* Pringle, ib. p. 16.

† Lind on Scurvy, p. 521. et ſeq. Pringle, ib. p. 15.

‡ Non defuerunt interim qui Bynes infuſum obſervabant, idemque fideliter experiebantur. Ex his memorare ſufficiat Doctorem Joannem Badenoch *, qui, de compluribus ſcorbuticis ab hoc remedio multum levatis, et quibuſdam inter navigandum penitus reſtitutis ab eodem libere hauſto, mentionem fecit.

* Lond. Med. Obſerv. and Inquir. by a ſociety of phyſicians in London, vol. 5. art. 5.

morbo

morbo occurrendo, et hodie omnes pro efficaciſſimo ſimpliceque remedio agnoſcunt, auctorque meritas laudes obtinet.

Videtur ergo veriſimillimum, virtutes potus fermentati fructuumque recentium a fixo aere iis retento, et inter fermentandum ſeparato, pendere.

Aqua etiam recens molliſque, ubicunque occaſio offert, recondenda eſt. Si hoc autem fieri nequit, aquam marinam deſtillare commodiſſimum eſt; hoc pacto enim recens ſolummodo adſcendit. Aliter etiam ſucco limonum, ſaccharo, ſpirituque fermentato commiſceri poteſt; ſi ſuccus autem deeſt, aceto aut acido foſſili uti licet. Alias corrigendi methodos vide in Lindi * ſcriptis. Qui † nuper per aequora Auſtralia longe navigarunt, aquam marinam congelatam liquefacientes, non minus mirandum et inſperatum, quam exoptandum erat, recentem et ſaluberrimam invenerunt.

II. Ut ſecretiones eliciantur, utilia ſunt,

1. Laxantia;
2. Diuretica;
3. Diaphoretica;
4. Munditiės; quoad { Aera, Veſtimenta;
5. Exercitatio.

1. *Laxantia.*—Quoniam alvus in hoc morbo plerumque adſtricta eſt, laxantia idonea ſunt; mitioribus ſolis autem utendum erit, nempe, tamarindis, cremore tartari, et ſimilibus; acria enim purgantia aegrotum nimis fatigant, putredinemque, cui humores jamjam inclinant, potius adaugent. Quum vero uſu vegetabilium, lactis recentis, feroſi (ebutyrati), infuſi hordei confecti, &c. id genus, ſi penes nos ſunt, alvus ſoluta fuerit, medicamentis minime opus eſt.

2. *Diuretica.*—Nitrum aliique ſales neutri huic propoſito ſatisfaciunt; melius autem vegetabilia ante memorata, ſcilicet, raphanus ruſticanus, ſinapi, cepae, &c. quae ſtomacho gratiora ſunt.

3. *Diaphoretica.*—Opium omniaque medicamenta quae calorem excitant minime idonea ſunt; pectoris namque dolorem et ſpirandi difficultatem, malum hujus morbi ſignum, fere ſemper in pejus vertunt. Mos eſt etiam quandoque decocto lignorum aliiſque potionibus nauſeantibus, aegrum replere; gratiora autem anteponenda ſunt, ſcilicet, julapium ſalinum, ſerum cum aceto aut limonum ſucco factum, potuſque antedictus, nempe ‡, *Punch*, tenuior autem et calefactus propinari opor-

* On Scurvy, p. 189. et ſeq. † Pringle, ib. p. 33.

‡ Peritus Paten, qui cum Cook navigavit, rebuſque medicis praefuit, eodem utiliſſimo expertus eſt, ut ab ipſo audivi. Vide quoque Pringle, ib.

 tet,

tet, dum aeger lecto ſe retinet, ut ſudor facilius moveatur. In balneum quoque calidum, cum liceat, deſcendere eodem tendit, nec aſpernandum eſt.

4. *Munditiae quoad aera et veſtimenta. Quoad aera.*—Sub cauſis obſervatum eſt, aera humidum frigidumque diatheſi ſcorbuticae favere; ideoque utiliſſimum eſt, ſi fieri poteſt, in coelum modice calidum ſiccumque migrare. In navibus aer quam maxime purus jucunduſque ſervandus eſt uſu ventilationis, aliiſque pactis, ſcilicet, acetum aut aquam ſpargendo, &c. et ante omnia foco luculento lamina ferri circumtecto, ut periculum amoveatur. Hicce clibanus per omnia loca infra foros tranſvehi poteſt, eundemque in ſentinam demittere facillimum eſt; haec autem omnis aquae putridae quae per rimas influit receptaculum eſt, et aera graviter contaminat. Totus aer inferior, calore rarior leviorque aere circumfluente factus, adſcendit, dum purus irruens ejus locum ſupplet. Hinc multum commodi percepit Cook; putavit etiam fumum virtutibus eſſe praeditum, et quandoque fumo pulveris bombardini deflagrati navem implevit. Latera quoque navis circumradere, omneſque ſordes detergere convenit.

Quoad veſtimenta.—Madida veſtimenta inter cauſas excitantes eſſe memoratum eſt, etiamque praefectos, qui humida veſtimenta mutare, ſiccisque culcitis recumbere ſolent, morbo minus obnoxios eſſe quam nautae gregarii, qui veſtimentis culcitiſque madidis ſomnum capere ſaepiſſime coguntur. Eſt ergo magni momenti, ut nautae ſiccis veſtimentis, praeſertim laneis, inſtruantur, culcitaſque, coelo ſereno, quotidie ſupra foros aeri exponere decet.

5. *Exercitatio.*—Exercitatio pro ratione roboris perſpirationi inſigniter favet. Sub cauſis notari contigit, eos, qui alacriter ſeſe exercebant, etiam aliis cauſis oblatis, propter liberum materiae perſpirabilis exitum, a ſcorbuto parum eſſe affectos.

In debilitatis frictionem in ejus locum ſubſtituere fas eſt.

III. Ad tonum corporis corroborandum inſerviunt,

1. Exercitatio;
2. Tonica.

1. *Exercitatio*—Sub hoc etiam titulo collocanda eſt; robur enim valde auget. Hic vero obſervatu dignum eſt, praefectos quandoque in magnum errorem incidiſſe, aegrotos cogendo in foros adſcendere officioque ſolito fungi, quum propter debilitatem ab animo, fortaſſe nunquam revocando, linquantur, quidamque vel in aera apertum tranſlati ſimilem ſortem experti ſunt.

Genus exercitationis ergo viribus ſemper accommodandum

eſt.

eſt, et quam maxime fieri poteſt mentem relaxare debet. Ludant, ſaltent, potius oblectamenti cauſa, quo pacto animi jam demiſſi ſubleventur. Semper et ante et poſt exercitationem quaedam cardiaca exhibere convenit, ante omnia vero vinum aut potum *punch* dictum, cum ſatis larga ſucci aurantiorum quantitate, unde duplex commodum ab exercitatione orietur.

2. *Tonica.*—Horum omnium cortex Peruvianus longe efficaciſſimum remedium eſt, ſine re vegetabili autem morbum minime profligabit. Conjunctus ergo ſucco aurantiorum aut limonum valentior eſt. Cortex autem ſpirandi difficultatem pectoriſque oppreſſionem, ſi adeſt, plerumque auget. Hoc caſu tinctura potior eſt, ſed caute adhibere debeamus, et fortaſſe melius eſt penitus omittere.

Quum aeger ferre valeat, lavatio frigida multum conducet.

Denique, ſymptomata quaedam mitigare conandum eſt.

1. Gingivae hoc morbo praecipue afficiuntur; has igitur denteſque conſervamus, ſi os lavetur acido vitrioli diluto, aceto, tinctura corticis Peruviani, aut gummi myrrhae, quibus pauxillum aluminis ſolvere conveniat; ſed ſuccus aurantiorum aut limonum fortaſſe omnibus antecellit.

Gingivae aliquando tumidae, ſpongioſae, nigraeque repeniuntur; tunc incidere decet, ut ſanguis corruptus exitum inveniat, quo facto, gargarizationibus antedictis cum majore commodo uti licet.

Si oritur ſalivatio, iiſdem gargarizationibus adſtringentibus cum laxantibus ſudorificiſque utendum erit.

Ulceribus aliarum partium linamenta ſicca, aut iiſdem lotionibus melleve roſarum imbuta, admovere oportet, et fungoſitatem modica preſſura ſupprimere conamur. Si admodum putreſcant, cataplaſmata fermenteſcentia ex farina, aqua, melleque compoſita, proſunt; cum aceto etiam aut potius ſpuma cereviſiae formari poſſunt.

2. Contra tumores et contractiones crurum, maculas, lividaſque ſuffuſiones, fomentationes aromaticae aut ex aceto, vapores aceti, aut ſpiritus vini accenſi, inſerviunt, etiamque ſucco limonum perfricare utiliſſimum erit.

† Quidam artus inferiores totumque corpus terra recenter foſſa per horas quaſdam quotidie ſepelierunt, donec ſudor copioſus erupiſſet, et commodum inde afferri putarunt.

3. Haemorrhagiae cortice liberoque acidorum uſu curantur.

4. Dyſenteria, ut ſi morbus idiopathicus eſſet, tractanda eſt; vires aegroti tamen vino talibuſque ſuffulciendae ſunt, ſudoremque elicere utiliſſimum eſt.

5. Dolor pectoris minime venaeſectionem admittit; expec-

† Lind on Scurvy, p. 534.

tpratio

toratio vero oxymele aut ſyrupo ſcillitico provocanda eſt, et aliquando epiſpaſtica admovere convenit.

Si pectus, morbo diſceſſo, magnopere affici videtur, phthiſin pulmonalem praenunciat, ſimilique modo, regimine lacteo et vegetabili, fonticulis, ruſticatione, equitatione, lanea ſubucula, &c. praecavenda eſt.

PROPHYLAXIS.

Ab ante dictis in methodo medendi, de prophylaxi multa dicere ſupervacaneum foret. Inde patet, remotas cauſas diligenter eſſe vitandas, praeſertim carnes ſalitas et putreſcentes; materiem vegetabilem quoquo pacto colligendam et conſervandam eſſe, ſcilicet limones, aurantia, citrea, poma; fructus etiam aridos, cepas, braſſicamque conditam, quae diutiſſime ſervari poteſt et perutilis eſt; infuſum hordei confecti (Bynes), infuſumque frumenti acidum, (Angl. *Flummery*, et Caled. *Sowens*), cum potu bene fermentato.

Quoniam morbus convaleſcentes praecipue adoritur, tales, donec robur penitus reſtauretur, regimen nauticum nequaquam participare debent; carne recente aut juſculo coacto cum oleribus utantur; ſi haec autem deſint, oryza, hordeum, pruna, aliique fructus aridi, cum eodem miſceantur.

Perſpirationem liberam omni opera promovere oportet, exercitatione, veſtimentis ſiccis calidiſque; munditiis in omni re; aera purum ſiccumque ſervando; denique, omni modo in praxi jam dicto, quoſque nunc repetere longum eſſet.

DE SCROFULA.

AUCTORE THO. WESTROP.

SCROFULA, vel ſtruma, morbus ante alios, quibus mortalitas caduca ac infirma ſit obnoxia, atrox eſſe, obſcurus et inſanabilis, aevo etiam hocce, omnes res arduas enucleandi cupido, et in quo verae ſcientiae lux affulſit, invenitur. Arthritidi ſimilis et theoria et medela, medicorum quaſi opprobrium eſt habenda, empiricis argumentum validum ſuppeditat, ac aegrotis ipſis ignominiam ſemper attulit. Lucem rei infundendi omnem ſpem ita abjecerunt auctores ſyſtematici praecipui, Boerhaavius et Hoffmannus, ut de ea in operibus

ribus ſuis haud verbum addiderunt. Quae igitur ſpes nobis reſtat? Nulla equidem in curatione ſine dubio perficienda. Si vero ex auctoribus diverſis ea medicamenta, quae commodum ſpondeant, ſeligere, et in ordine proprio collocare, liceat, certe haud inutile erit, et multum momenti habeat.

HISTORIA MORBI.

Scrofula varias corporis humani partes, ante alias vero glandulas lymphaticas vel conglobatas, pertentat. Hae, partibus oculo ſubjectis, ſequentes ſubeunt formas. Paululum, nodis ſimiles, tumidae, ſine ex tactu doloris ſenſu, et ſine ullo rubore vel cutis colore notabili, primo impetu evadunt. Doloris fere omnino ſunt expertes et modice durae; prementi digito cedentes, preſſura vero ſublata, formam priorem ſtatim recuperantes. Facile manu moventur, vel partes infra poſitas ſuperlabuntur. Ad molem miram, dolore haud comitante vel cutis colore mutato, ſaepe augentur. Quoad magnitudinem et figuram, multum variant; modo rotundae, modo ovatae. Cultro anatomico membrana denſa, firma, has glandulas cooperiri apparet.

Hocce ſtatu per multos annos, etiam per vitam, maneant; plerumque autem et mole et numero tumores ſeſe attollunt, et aliquando tam arcte nectuntur, praecipue in collo, ut glandularum conglomeratarum ſpeciem prae ſe ferunt. Ex mobilibus loco nunc firmantur; gradatim condoleſcunt; cutis color mutatur, quamvis aliquando glandula ſuppuratur intacta cute, coloreve ejus mutato *; inflammatio ſupervenit, et tandem ad ulceris gradum pergunt.

Ulcus ſemper eſt mali moris, ad ſanandum perdifficile; et, quamvis certo temporis ſtadio ſanatum, tamen viribus infractis alio repullulat loco. Labia livida, pallida, ſemimortua, et carni diu maceratae ſimilia, marginem habent dentatum, inaequalem, et ſaepe fungoſum.

Humor ex ulcere ſtillans, quoad naturam, eſt foedus, tenuis, ichoroſus, et tam acris ut partes vicinas aliquando erodat. Perſaepe maſſulas, lactis coagulo vel caſei fruſtulis ſimiles, cutis nitore et rubore ſingulari comitantibus, oſtendit. Sanies plerumque, ut in aliis ulceribus, poſt tegumentorum rupturam eliminatur; in multis etiam caſibus, ex parvulis in cute foraminibus diſtillat.

Hoc ordine alterum alterum perforat; via inter multa patefacitur; ſinus formantur, et tandem, aut exinanitione aſſi-

* Fallon. Theſ. inaug. de ſcrofula.

dua

dua confectus, aut hectica oriente, aegrotus, amicis et cognatis lugendus, vitam pro morte commutat.

Symptomatis hactenus enumeratis alia et generalia comites ſeſe exhibent; veluti faciei color floridus, nitidus, aliquo gradu venuſtus; abdomen, columna naſi tumida; labium ſuperius aequo grandius, fiſſum; oculi plerumque magni, debiles; facies tota et collum, praeſertim in genarum parte inferiore, tumeſcunt; cutis laevitate peculiari gaudet, et per totum corpus multum valet diatheſis phthiſica.

Adhuc tumoris profectus hiſtoriam depinximus; morbus vero varias induit formas, prout hanc illamve adoritur partem; ſic, circa oculum ſitus, ophthalmiae ſpeciem praebet. Palpebrae fiunt rubrae, tumidae, crudae; cilia defluunt; albuginea rubet, et eſt ubi aeger etiam caecus evadit. In artuum juncturis tumores, caries, et quod tumor albus nuncupatur; oſſium aliqua alia parte illud ſpina ventoſa dictum; pulmonibus phthiſeos pulmonalis ſigna; glandulis meſentericis aut atrophia aut hydrops oriuntur. Perraro ſub cancri ſpecie apparet. Quamvis aliquando haſce varias induit formas, atque aliis ac tempore alio morbus hic dirus alia oſtendit ſigna, tamen ſaepius glandulas circa collum ac maxillas inferiores afficit.

Scrofula, juventute erumpens, totum vitae curſum, nec latius diffuſa nec ulcerata, ſaepe perdurat. Saepiſſime etiam quod diverſis vicibus, aut mutationibus, quas ſubit ſyſtema, pubertati ſcilicet, primis vel noviſſimis menſtruis, cedat, accidit. Pubertate ineunte, ſcrofula frequenter ſeſe abſcondet, et aegrum etiam quam antea robuſtiorem, et aliorum morborum inſultui minus obnoxium, reddit. Multi auctores hunc morbum ſaepe per variolas curari affirmant, et praeterea, impetus gradum coeli temperiei vel anni temporibus reſpondere, obſervandum eſt; ſic, hieme durante et vere ingraveſcit, aeſtate ad ſuppurationem tendit, dum autumno vel ex toto diſparet, vel magnum patitur levamen.

DEFINITIO.

" Glandularum conglobatarum, praeſertim in collo, tumores; labium ſuperius et columna naſi tumida; facies florida; cutis laevis; tumidum abdomen *."

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Scrofula nulli ſexui aut aetati eſt propria. Uno tempore

* Cull. Gen. Morb.

vero

vero frequentius quam altero aggredi videtur; ſic perraro poſt pubertatem aut ab incunabulis impetum format. In univerſum, quamvis ejus inſultui nulla certa datur periodus, ab anno circiter quarto ad decimum quartum plerumque apparet. Temperamento ſanguineo gaudentes, capillos albos, molles, faciem floridam, rubicundam, habitum laxum, debilem habentes, ſaepius hoc morbo laborant; et ſic rem ſe habere fideliſſimi teſtantur auctores. Sexum igitur ſequiorem, utpote his feminiis magis quam alter obnoxium, in morbum eſſe procliviorem videretur *. Ruſſelus liberos, rachitide tentatos, ſcrofula vexari obſervat †, et aliqui auctores, parentibus, lue venerea vel aliis morbis chronicis multum fractis, ortos ſaepe in ſcrofulam incidere narrant. Magnum ingenii acumen comitem plerumque habet. Ita etiam in phthiſi pulmonali obtinet; in his vero caſibus haec indicia tantummodo pro temperamenti ſignis, non pro cauſis ullo modo excitantibus, ſunt habenda. Temperamentum eſt ſanguineum, et hujus inter ſigna poni noſcimus, " Syſtematis nervoſi ſenſilitatem ‡." Aer malus, humidus, nebuloſus, ſcrofulae originem dare, multis fertur auctoribus ||. Aerem vero ad morbum inducendum haud inſigniter valere poſſe, credo. Apud omnes enim terras graſſatur, et, ſi in plaga una ſaepius quam altera incolas infeſtat, ab aliis cauſis, non aere, oritur. In regionibus gelidiſſimis, veluti in Germania et Siberia, et in calidiſſimis, Jamaica et Ægypto, crebro etiam ſeſe oſtendit §. Quoniam autem majorem vel minorem incrementi gradu , pro ratione aeris ſtatus aut anni temporis, patitur, haec in medela ſunt praecipue obſervanda.

Ante alias cauſas maxime notatu digna venit labes haereditaria. Hoc verum eſſe, haud dubitandi reſtat locus. Apud nonnullos homines enim, ut Hiſpaniae, Germaniae partium incolas, endemice graſſatur. Hominis, ſcrofulae obnoxii, filii, huic ſimiles, plerumque iiſdem morbis ſubjiciuntur; matrem vero referentes his expertes evadunt **.

Diaeta plena et lauta, cui haud juſta jungitur exercitatio, ad hunc morbum homines proclives efficiat; et eundem edat

* Dr. Fallon, de Gortero ſuadente, narrat puellas minus frequenter morbo tentari; forſan vero et pueros et puellas aeque infeſtat.

† Ruſſel on Sea Water. ‡ Cullen's Materia Medica.

|| Vide Principia Medicinae Doctoris Home, et Wiſeman's Surgery.

§ Pannel Theſis Inaug. de Scrofula.

** Generoſus quidam, qui juvenis ſcrofuloſus fuerat, uxorem duxit hac labe prorſus immunem; pluresque ex ea ſuſcepit liberos, quorum alii patrem, alii vero matrem, vultu referebant. Qui patri erant ſimiles ſcrofula omnes affecti fuerunt; matrem vero referentes, ſicuti mater, fuere immunes. Camplin Theſ. Inaug. de Arthritide.

effectum diaeta fermentabilis, aceſcens, et cruda †. Si morbus, ut poſtea evincere conabimur, ex ſtatu ſyſtematis lymphatici debilitato originem ducit, diaeta talis hunc multum augebit, et curam difficiliorem reddet. Ratione numeri, pauperum tabernas aeque ac regum turres, aggreditur ſcrofula.

CAUSÆ EXCITANTES.

Multae morbum excitantes auctoribus cauſae enumerantur; fortaſſe vero, ſi attento oculo ſcrutemur, ad perpaucas, plerisque aut aliquam theoriam ſuffulcire adductis, aut ex incuria vel animo parum cauto orientibus, eas redigamus. Proprie Culleni verbis hic uti liceat: "In morbo, qui ab inſita corporis temperie plurimum dependet, non poteſt cauſarum occaſionalium determinatio non eſſe incerta; quandoquidem in hominibus praediſpoſitis fieri facile poteſt, ut occaſionales cauſae non percipiantur, et contra in iis, qui labe haereditaria vacant, eaedem ſubinde apparent, ſed effectum non ſortiuntur *."

Ex contagio eam oriri, et quod nutrix puellum, ejus ubera ducentem, inficeret, ſcribunt. Morbi contagioſi ex aliquibus noxiis effluviis, corpore humano dimanantibus, et alio acceptis eadem mala commoventibus, originem ducunt. Nunquam in ſcrofula aut ſenſibus, aut effectibus, cognoſcenda, haec effluvia redduntur. Si ita res ſeſe haberet, familiis certis tam accurate non eſſet coercita, et nemo ferme per vitae decurſum ab ea immunis evaderet. Cullenus clariſſ. experientia nulli ſecundus, morbum haud eſſe contagioſum teſtatur. Quoad nutricem, ſi lactis inopia, lacte impuro, adverſa vel aliqua valetudine laboret, certe infantem, cui mammas admovet, multum afficeret et debilitaret; et ſic morbi, antea in ſyſtemate latentis, eruptionem properaret. Forſan etiam, quod nutrix ſcrofuloſa infantem, morbo antea immunem, inficiat aliquando evenit; exempla vero rem ultra dubium ſtabilire auctoribus haud enumerantur.

Labem haereditariam, prae aliis, multo cauſam frequentiorem ſeſe praebere, ſupra diximus; et, ex hoc fonte ſolo, nulla alia cauſa admota, ſaepe ſcaturiat ſcrofula. Huic opinioni temere non obviam iremus; namque, quamvis in ſeculo proximo non apparet, tamen ex prioribus parentibus ad ultimam etiam prolem deſcenderet, et aliquis, quoad ſpeciem externam perfecte ſanatus, habitum, poſt longum tempus liberos aggreſſurum, adhuc retineret. Labes igitur, certa mala ſyſtematis lymphatici conformatione poſita, ut corpus viribus et magnitudine creſcit, nulla cauſa adhibita, erumpat. Morbi

† Vide Wiſeman's Surgery, et Principia Medicinae.
* Firſt Lines of the Practice, par. 464.

bi haereditarii, ex generibus duobus conſtant; uno materia venenoſa a parente ad proſapiam tranſvecta, veluti lues venerea; altero ſtaminorum primigenorum ſtatu, laxitatis, rigiditatis, ſenſilitatis, mobilitatis gradu, veluti rachitis, phthiſis pulmonalis, epilepſia, et etiam, ut mihi videtur, ſcrofula, prognato.

Quamvis plerumque hocce modo accidit, tamen cauſae excitantes aliquae, tumores inducentes, adhuc ſunt nominandae. Sic omnes inter ſe conſentiunt auctores, quod, praediſpoſitione prius ſtabilita, ſtrumas noxae externae producant. Inter has ictus, frigus, &c. enumerantur.

CAUSA PROXIMA.

Hacce diſſertationis parte rem, quae celeberrimis etiam medicis ſcrupulum injecit, ſuſcepimus. In qua, ſi titubemus vel erremus, ex natura rei obſcura, et multorum hominum fato ſimili, ſolatium nobis ducere liceat. Morbi veſtigia etiam in aevo Hippocratico invenimus, et exinde ad noſtra tempora omnis de eo ſcribens auctor theoriam propoſuit diverſam. Galeno caro ſicca nuncupatur; Wiſeman cauſam in ſeri aciditate ponit; alii ex acrimonia, et alii ex fluidorum lymphaticorum viſciditate, deducunt. Ruſſelus cauſas, aut nimii humoris in glandulas fluxui, aut partium affectarum debilitati, qua fluxui obſtare non poſſunt, attribuit. Cullenus cauſam etiam proximam a ſyſtematis lymphatici ſtatu debili oriri putat; in hoc vero, nempe, quod ſtaminis primordiis a parente ad liberos tranſeuntibus multum imputat, Ruſſelo diſſentit. Porro, acrimoniae opinionem perquam eſſe probabilem, ille inquit; quod materia aliqua, exhalantibus effuſa et lymphaticis abſorpta, tumores formaret. Inde in curatione indicatio ejus eſt, ſyſtema lymphaticum abluere. Plerique ſeculorum ſuorum doctrinas ſecuti ſunt. Dum multum valuit acrimoniae theoria, omnes ex ea originem ducebant morbi; lentore et viſciditate in medium allatis, eadem vehementia et temere res novas avide cupiunt. Haec vero, omnibus fere caſibus, ſuper hypotheſibus et propoſitis falſis ſtrui, manifeſte medicis hodiernis demonſtratur. Eorum argumenta hic enumerare, et taedium et inutile eſſet; de his ad noſtrum tantummodo pertinentibus tractabimus.

Quoad ſeri aciditatem, Wiſemanni placitum, veritate ſtabiliri haud videtur. Primas vias, non in ſanguinem, vel tantum viribus infractis, abſorbenda, poſſideat; neque, teſtante Doctore Home, ullam aut ſeri aut tumoris aciditatem explorare, guſtu vel chemia, poſſumus. Potius morbi, ſyſtematis atque igitur ſto-

machi vires, quo aciditas naſcitur, frangentis, quaſi ſequela eſt habenda.

Acrimoniae theoria inter alios medicos multum valuit. Huic etiam aſſentit Cullenus cl. Per longum tempus durante ſcrofula, et ulcere formato, certe materia acris notabilis occurrit; haec autem, quoniam in ſtadiis primis nullum teſtimonium vel ſignum edit, valetudine adverſa diu manente oriens, haud omnino pro cauſa proxima eſt ponenda.

Ex fluidi lymphatici circuitu tardo, cauſis remotis, et tumoris ſpecie, lentor et viſciditas pro cauſa proxima adducuntur. Haec doctrina, quamvis ſpecioſa, ni fallor, multis objiciendis patefacitur. Viſciditatem enim exiſtere, haud omnino probatur; morbi naturae haereditariae rationem non reddet; et, ſi totum ſyſtema lymphaticum inviſcatur, quomodo corpus nutritur? Perpaucis diebus Libitinae vota ſolveret aegrotus. Hac theoria etiam pro vera conceſſa, diluentia et attenuantia medelam certiſſimam perficerent; quae, etſi tumores in aliquibus caſibus minuant, nequaquam radicitus morbum tollunt.

Doctrinis maxime notatu dignis pro virili everſis, nunc ut noſtram opinionem proponamus reſtat. Medicina caligine tam profunda obvoluta latet, et multa, quae inveſtigare conamur, tam procul a ſenſuum acie abſunt, ut ea ultra dubium et lites ſtabilire, humanum penitus fugit intellectum. Si igitur doctrina ulla aliquibus rebus certis probabilis appareat, ſi omnium phaenomenum rationem ſuppeditet, contenti abeamus, et nullam aliam, niſi morbi naturam melius expoſuerit, teſtimoniis ſuperet, et nos ad curationem juſtam duxerit, recipiamus. Antea ſcrofulam in ſyſtemate lymphatico ſedem habere diximus. Hoc vero probatione caret, et a Doctore Monro, in praelectionibus ſuis academicis, negatur. Ille, quod ibi non collocatur, quod aeque malum ingraveſceret, hoc ſyſtemate corpore vacuo, et quod illic tantum propter ejus officium effectus edit, affirmat. De medici opinionibus tam magni, et tam merito celebris, judicare ſumma eſſet in juvene audacia. Forſan conjectura veritate nititur; cum vero evidenter ſyſtema lymphaticum aggreditur, et cum ibi poſita phaenomena enucleabit, melius eſt morbum juxta tractare. Cauſam igitur proximam, ſtatu ſolidorum lymphaticorum vel abſorbentium infirmo, cum Culleno et Ruſſelo ponere animus jubet. Haec multis ſtabilitur. Omnes cauſae remotae, praediſponentes, ut temperamentum ſanguineum, exercitationis inopia, aetas tenera, &c. occaſionales, ut laeſus, frigus, &c. huic originem manifeſte praebent. Hac theoria ſola naturam morbi haereditariam explicaremus; ſi fluidis haereret ſcrofula, poſt partum cito ſigna ederet; cum vero labis haereditariae ſymptomata manifeſte

nifeſte apparent, et, infantia peracta, cum tantum erumpit, cauſam ſolidorum primigenorum ſtatu morbido deducere oportet; qui ſyſtemate latens, certo ejus evolutionis tempore, aut cauſis aliquibus adhibitis, ſpeciem, de quo hic agimus, oſtendit. Haec cur tam ſaepe diverſis vitae mutationibus e conſpectu evolat, ſolum cauſam reddet; ex hac, indicationes rationi conſentaneas et medicamenta, curam aliquando, quamvis eheu! haud ſaepe, medicis perficere inventa haurimus. Praeterea, ſi omnia phaenomena occurrentia, omnia morbi ſymptomata aperiat, cur de ea dubitemus, aut cur aliam, etiam pulchre deductam, quaeramus theoriam?

DIAGNOSIS.

Morbo venereo, tumoribus ſteatomatis, ſcirrhis, et phlegmonibus, ſcrofula commiſceri poteſt.

Steatomata, in ſtadio tantum incipiente, nobis aliquod dubii incutiunt, et etiam tunc facile ſunt diſtinguenda. Mollitie majore gaudent, membrana cellulari ſedem habent, et non vulgo temperamento ſanguineo, labiorum, naſi, aut abdominis tumoribus, ſcrofula individuis, ſtipantur.

Phlegmones parvo temporis ſpatio dolorem quam ſcrofula majorem ſecum afferunt; color rubicundior fit, et ſuppuratio certam facit diagnoſin.

Scirrhi, ſcrofuloſis ſimiles, tumores ſunt indolentes, mobiles, et eodem modo ad ſuppurationem tarde euntes. Sedes vero non ſimilis occurrit. Glandulas conglomeratas aggreditur ſcirrhus, conglobatas ſcrofula. Aliquando equidem glandulas lymphaticas, praeſertim in inguine, duras et ſcirrhoſas etiam per vitam manere, aut in cancrum verti dicitur; ita eveniat, caſus vero tam pauci et rari haud notatu ſunt digni. Scirrhi et cancri glandulas conglomeratas pro ſede propria certe occupant. Illis etiam tumores duriores, et cauſae excitanti fere ſemper, aliter ac his, referendi obſervantur. In ſcrofula eodem tempore multas partes adoritur morbus; ſcirrho, ſaltem ineunte morbo, affectio eſt localis.

Quomodo vero a ſyphilitide eam diſtinguere poſſimus, et ſymptomata errori non obnoxia, et certe ab aliis ſegregata, inveniamus, labor haud erit inutilis, etſi difficilis. Lues venerea, in ſtadiis aliquibus, oſſa afficit; dolores, cariem, ulcera, et glandularum lymphaticarum tumores, inducit; omnia in ſcrofula etiam accidentia, quae tam prope luem reddit, ut haec pro altera ſaepe habetur. Sequentibus animus diligenter incumbens, eas probabiliter internoſcat. Syphilis, vel morbus venereus, ex aliquo viro vel veneno ſpecifico, go-

 norrhoeam

norrhoeam, bubones, vel ulcera, abſorpto edente, originem trahit. Perquam raro oſſa, ut jamjam dictum fuit, aggreditur, his ſymptomatis gradu certo non praeeuntibus, et quibus inveſtigatis, morbus medico ſemper patefacitur. Mediam vel oſſium duriſſimam partem afficit lues, et plerumque prius in palati vel naſi oſſa, quam majora, impetum facit. Nunquam in ſcrofula res ita ſe habent. Ulceris ſpecies externa magna ex parte morbum diſtinguit; hoc ſyphilitide progenitum, ſemel viſum, poſtea nunquam e memoria labetur, et iterum viſum facillime cognoſcitur. In ſcrofula etiam tumor ad ſuppurationem haud tam cito, ac lue, tendere obſervatur. Symptomata a ſcrofula cariei comites ſeſe praebentia, praeter haec, morbum in apricum ducent: Non odore foetido vel colore nigro, cariei alius indicia, ſtipatur, et curatio haud majore, quam in ulcere partium mollium, moleſtia perficitur *. Syſtematis parte una perraro cohibetur ſcrofula; multas vero vel ſimul vel ſerie pertentat. Si igitur, oſſibus dolentibus, glandulae circa maxillas conglobatae, meſentericae, affectae, color faciei floridus, labia vel abdomen tumida conſpiciantur, ſcrofulam enunciare fidenter poteſt medicus. Denique vero, hominis ipſius, vel eorum de eo multum verſatorum, ſi fides his adhibenda eſt, narratio diagnoſin certiſſimam efficiet. Namque in lue venerea contactu foedo originem ſemper deducamus.

Forſan hic notare haud inutile eſſet, quod glandulae conglobatae, propter officium quo fungitur ſyſtema lymphaticum, ſaepe ex epiſpaſticorum uſu, ex materia varioloſa, cancroſa, vel aliqua acrimonia adhibita, tumeant. Haec, in morbo ab aliis ſecernendo, memoria tenere neceſſe erit, ne pro ſcrofula tumores ab acrimonia orientes, et acrimonia remota diſceſſuros, agnoſcamus.

RATIO SYMPTOMATUM QUORUNDAM.

Primum, explicatione dignum, naturaliter nobis ſeſe praebens, eſt phaenomenon, quod fere ſemper glandulas morbus adoriatur, et has conglobatas vel lymphaticas non conglomeratas. Cauſa omnium prima, maxima, et ſapientiſſima, hominem formans, diverſas ejus partes diverſis firmitudinis et denſitatis, ut neceſſitas, vel rerum aptitudo, poſtularet, gradibus inſtruxit. Sic venae ſoliditate quam arteriae majore, ut ſyſtema creſceret, fruunt; et ſic oſſa aliis partibus multo duriora formantur, ut corpus firmiter ſuffulciretur, et motionibus et muniis vitae variis apte fungeretur. Homines item

* Pannel de Scrofula.

inter

inter ſe diſcrepant; aliqui enim nimium laxi et debiles, alii contra nimium rigidi evadunt. Siquidem igitur fere omnibus caſibus ita ſtatuit Providentia Divina, quod nunc vel tunc luſus, vel regulae exceptio, ſeſe offerret, conceptu haud eſt difficile; res quotidie, et in corpore humano et in omnibus naturae operibus, invenienda. Laxitas propria, per patrem ad liberos, et forſan ad ultimam prolem propaganda, hoc modo ſyſtema lymphaticum imbuat.

Quod glandulas, ante alias partes, afficeret, facile eſt explicandum. Uſus fortaſſe earum, et ſtructura minuta, adhuc haud bene aperitur; hoc ſaltem noſcimus, quod, ut aliae glandulae, praecipue ex congerie et circumvolutionibus vaſorum ſanguiferorum, ſunt conflatae; ſic conglobatae lymphaticorum. Ubi curſu tam tortuoſo fluit lympha, ibi multum pollent potentiae retardantes; et igitur vis muſculoſa ad propellendum poſtulatur. Hac vero deficiente, lympha cumulatur, et tumor oritur.

Tumoris duritiem tarditas, qua colligitur, efficiat; ſic partes aquoſae, durante aliquo modo circuitu, propelluntur, dum reſiduum coagulatur, firmum fit et denſum.

Natura ejus indolens materiam, qua eſt confectus, et nervos glandulis diſtributos paucos, pro cauſis agnoſcit.

Tumores, praeſertim in collo, et circa maxillas, ex eo, quod ante alias partes cauſis excitantibus ſunt obnoxiae, oriuntur.

Materiae ulcere eliminatae ſpeciem coagulo, quod tumoris duritiem format, in fruſta parva liquato, et pure et lympha in vulnere commiſto, procul dubio tribuamus.

Abdomen fit tumidum, propterea quod glandulae conglobatae meſentericae infarciuntur. Hae fere omni caſu, teſtante Ruſſelo, poſt mortem, corpore ſecto, amplificatae ſpectantur.

Aliam etiam cauſam hoc ſymptoma habeat. Aer ſemper, dum cibus fermentat, ſolvitur, vel miſcetur, in primis viis liberatur. Sanitate vero illibata manente, hujus aeris effectus haud ſentiuntur; per actionem namque inteſtinorum validam, cum cibo penitus miſcetur et abſorbetur, vel deorſum via aperta ruit. In ſcrofula, ubi inteſtinorum robur multum frangitur, aer majore copia formatur, et haud ejicitur; retentus igitur abdomen tumidum reddet.

Facies florida et cutis laevis temperamenti tantum ſunt ſigna, et explicatione haud egent. Unde labium vero ſuperius et columna naſi fiunt tumida, dictu eſt perdifficile. Nulli rem exponere conantur auctores; omnis theoria etiam, quatenus noſcimus, eſt vana. Melius in caligine relinquere, quam tempus conjecturis terere, opinamur.

PROGNOSIS.

PROGNOSIS.

Prognoſis in omnibus morbis haud facile inſtituitur, et ei formandae ſumma artis propriae notitia ac acumen magnum medico opus eſt; in ſcrofula haec praecipue requiruntur. Ineunte morbo, prognoſin inſtituere, vel mortem aut ſanitatem praedicere, ferme erit impoſſibile. Nunquam ſubito mortem intentat; potius eſt lentus et diuturnus, quam periculoſus, et, quamvis uno tempore amotus videatur, tamen viribus reſurgat adauctis. Si aeger pubertatem haud attigerit, meliora ſunt expectanda ex ſyſtematis diverſis mutationibus; hae namque, ſtatum ſolidorum priorem mutando, curationem perficiant, et igitur in aetate tenera raro eſſe exitialem aſſerit Armſtrong *. Si nunc primum morbo laboret, ſi firmam valetudinem antea expertus ſit, vires non aliis morbis fractae, tumores adhuc doloris expertes et mobiles, ſpes aliqua affulget. Autumnus inſtans, vere longo intervallo diſſito, bonum praecuniat. In ulcere, ſignum eſt fauſtum, ſi loco materiae tenuis, ichoroſae, puris benigni quantitas effundatur; hoc enim citius ſanatur. Wiſeman tumores rotundos multo mitiores, quam ovatos, ſe inveniſſe teſtatur.

Contra, ſi aeger aetate ſit magis provectus, ultra annum quadrageſimum †; ſi tumores numero polleant, magni et immobiles, ad inflammationem et ulcerationem proclives; ſi ulcera fiant ſinuoſa, ſordida, cum labiis calloſis; ſi oſſa laborant, et caries inducatur, conclamatum eſt. Quo tempore vero ſpiritum trahat ſupremum, dicere haud poſſumus. Tumores interni plus periculi quam externi prae ſe ferunt, quia nulla medicamenta externa ſunt adhibenda, et aegroto morbos inſanabiles minantur.

Hiſce omnibus inter ſe collatis, clare, utrum tardus et curationem haud admittens aegrum diu vexet, vel ex conamine naturae, aut auxilio artis, ſpes adhuc reſtat, patebit. Explorare vero quomodo in aliis morbis terminaret, famam medici augeat, et medendi conſilia monſtret.

Si tubercula ante pubertatem partes corporis externas adoriantur, et ſi, pubertate ineunte, haec gradatim evaneſcant, quae tuſſis, dolor in pectore fixus, reſpiratio difficilis, rigores frequentes, corporis emaciatio, volae manuum calidae, et alia febris hecticae ſigna excipiunt, proprie ſcrofulam ab externis in glandulas internas tranſiiſſe, et phthiſin ibi inducere pulmonalem, diceremus. Prognoſin igitur et medendi methodum,

* Diſeaſes of children.

† Ruſſel on Sea Water. Wiſeman's Surgery.

prout

prout res exigit, dirigere oportet; eventum vero funeſtum omnia timere ſuadent; namque et periculo et pertinacia alias phthiſeos cauſas haec ſuperat.

Si a partibus externis retrocedat morbus, cui corporis diſpendium celere, tuſſi non urgente, tormina, fluxus caeliacus, dolor abdominis vehemens, immotus, cum febre hectica ſuccedunt, atrophia ex glandulis meſentericis infarctis haud longe abeſt. Hae vero infarctae, etiam ſuppuratione aut hectica abſentibus, e medio aegrum tollant.

Iterum, ſi ſitis intoleranda, urina parca, laſſitudo, et diatheſis leucophlegmatica multum vexant, hydropem inſtantem praenunciamus. Aſcites plerumque ſequitur; hydrocephalus, ut dicitur, nonnunquam. Hi ambo morbi raro ſunt ſanabiles, et mortem cito intentant.

Tumores, vulgo albi dicti, facile ſpecie externa dignoſcuntur, et haud tam magnum, quam morbi ſupra recenſiti, timorem incutiunt. Saepe, arte incaſſum tentata, per amputationem ſunt ſanati.

METHODUS MEDENDI.

A doctrina in priore diſſertationis parte tradita, et quia medici auxilium ante morbi impetum nunquam poſtulatur, ſequentes curandi indicationes formare liceat.

I. Tumores amovere,
- a. Reſolutione,
- b. Suppuratione,
- c. Extirpatione.

II. Syſtema lymphaticum corroborare,
- A. Exercitatione,
  - aa. Ambulatione,
  - bb. Geſtatione,
  - cc. Navigatione.
- B. Aere frigido,
- C Balneo frigido,
- D. Cortice Peruviano,
- E. Abſorbentibus et alkalinis,
- F. Chalybeatis,
- G. Regimine proprio.

I. *Tumores amovere.*—a *Reſolutione*——Tumores tardiſſime maturantur vel ſuppurantur; occaſionem igitur omnia ad reſolvendum medicamenta multis auctoribus oblata, probandi arripiamus. Hic tumores amovendi modus ſuppurationi praeſtat; ulcera enim aegre ſaneſcunt, ducitur cicatrix indecora, et ſaniei manantis copia vigorem minuet, et morbum

 augebit.

augebit. In hunc finem, ſi inflammatio urgeat, vena eſt parce ſecanda, alvus lene ſolvenda, omnia irritamenta, ut frigus, aut laeſus ab extra, et interne, caro alkaleſcens, aut potus ſtimulans, vitanda. Nitrum, aut alia refrigerantia, aeger propinet. Inflammatione ſubacta, reſolutio diverſis medicamentis eſt tentanda.

Omnibus auctoribus laudatis palmam eripuit *aqua marina*. Ruſſelus celebris, homo experientia pollens, et veritate ſpectandus, tam multum commodi ab ea accepit, quod paucas ſe glandulas inveniſſe tumidas, ſuppuratione adhuc vacuas, non eripiendas, vel reſolutionem reſpuentes, aſſeruit. Omnem ejus vim doti ſmecticae, humores viſcidos purganti et diſcutienti, attribuit. Quamvis dos talis aquae marinae inſit, parva qua colligitur copia, bona ejus uſu defluentia haud explicabit; et quantitas, alvum ſolvens, eſt etiam tam parva, ut nihil fere abſorbetur. Virtutes potius effectibus corroborantibus referre licet. Leniter ventrem movet, digeſtionem adjuvat, excretiones, praeſertim per inteſtina et urinam, promovet, putredini obviam it, et vaſa lactea ſtimulando tonum adauget, et chyli motum accelerat. In primas vias agendo ſyſtema totum muſculoſum, et igitur ſyſtema lymphaticum, firmabit. Hoc medicamentum, aliis modis fruſtra tentatis, ſaepe ſanavit. Doſis, ſecundum in corpus effectus eſt moderanda. Ad duas vel tres uſque dejectiones indies propinare oportet; ulterius vero ingeſtum propoſitum ſtatutum fraudabit, et evacuatione, quam movebit, fomitem morbo ſuppeditabit. Aqua marina, ſola epota, eſt nauſeoſa et ingrata, ſitim inducit, et ſaepe aeger, in tenera praeſertim aetate, bibere recuſabit. Hiſce caſibus optime aqua fontana commiſceri poteſt; ita ut operationem haud impediat, et eodem tempore guſtui et ſtomacho magis placeat. Aliqui etiam aſſerunt auctores, quod diluentia in morbo magnopere proſunt, et quod aquae marinae vires nequaquam minuunt. Hoc medicamento a morbi principio aſſidue uteremus; ſi pus enim formetur, Ruſſelo ſuadente, ſpes nullae affulgent.

Cathartica alia laudantur, et certe tormina, alimentorum concoctio corrupta, et abdominis tumor, horum utilitatem plane indicant. Quicquid namque inteſtina purgat haec ſymptomata levabit. Mitiſſima vero ſunt tantum adhibenda, quae alvum modice, haud nimis, ſolvunt. Solutionem antimonialem aliis praeponit Armſtrong*.

Ponto immergere vaſto, ſaepe tumores ſcrofuloſos profligavit. Hujus utilitatem ratio equidem oſtenderet; ſaltem cum cauſa proxima, antea tradita, congruit. Multis laudibus a

* Diſeaſes of children.

Doctore

Doctore Speed effertur, qui etiam uſui interno hoc remedium praetulit*. Cullenus aquae marinae uſum internum et externum omnibus aliis medicamentis anteire teſtatur.

Quamvis his modis aliquando tumores reſolvantur, alii tamen in promptu inveniuntur.

Aquae minerales ſaepe uſae fuerunt; hae vero dote purgante praeditae, quales in locis Moffat, Harrowgate, Scarborough, dictis, reperiuntur, commodum praecipue ſpondent. Æger in horum vicinia habitans, periculum faceret; ſi procul abſit, aqua marina, aut naturalis aut arte confecta, aeque bonum, cum ambo ſimiliter agunt, praebeat.

Cicuta interne ſumpta aliquas laudes accepit: Ab effectibus, quos in morbis glandularum conglomeratarum edit, quod etiam aliquo gradu conglobatas afficeret, multi crediderunt. Fothergill cel. caſum, efficaciam ejus in morbo levando probantem, memorat, et inquit, ſe eaſdem vires uſu comperiſſe in aliis†. Morbum vero radicitus tolli haud affirmat. Huic etiam medicamento favet Culleni teſtimonium, qui ejus ope tumores ſaepe diſcuſſit. Remedium certe eſt potens, et intimas corporis partes pervadere videtur. Forſan quoque in ſyſtema lymphaticum potentia extendatur. Verum, etſi hoc ſyſtema attingat, profectus erit tardiſſimus, ita quod aegro faſtidium afferret, et medicus in dubio de ejus utilitate haerebit.

Mercurius in finem eundem, et ex theoria eadem ac cicuta, fuit adhibitus. An virtute necne praeſtat, adhuc vero ſub judice manet. Doſi magna et ſaepe iterata, et mercurius et cicuta morbum augebunt, et partium laxitas, qua cauſa ponitur, intendetur. Mercurius etiam ſuppurationem, ut fertur, accelerat Haec medicamenta utcunque tentare oportet. Optime forſan cicutam, pillularum forma, cum mercurii parva quantitate jungeremus; vires enim mercurii ſtimulantes aliquod boni prae ſe ferant. Cicuta doſi tantum exigua eſt inchoanda, gradatim augendo, et ne ulterius, quam ut caput aliquo gradu afficeret, progrediamur cavendum.

Tuſſilago aliquibus laudatur auctoribus, praecipue Culleno, qui optimos teſtatur ex eo ſe vidiſſe effectus. Alii contra, propter operandi modi inſcitiam, medicamento haud fidere videntur. Quando homines conſpicui inter ſe diſſentiunt, ut lites dirimantur, ad experientiam, quaſi ultimum refugium, eſt decurrendum Aliis igitur medicamentis incaſſum adhibitis, tuſſilaginem tentaremus. Plantae recentis ſuccum expreſſum Cullenus efficaciſſimum invenit.

Antimonii praeparationes, et etiam *Gummi Guaiaci*, in idem propoſitum, ac remedia priora, uſae fuerunt. Ad tumores

* Commentary on Sea Water. † Med. Obſer. et Inq. vol. 3.

vero reſolvendos, mul'um praeſtat *cortex Peruvianus*, qui viris celeberrimis, Fordyce et Forthergill, concelebratur *.

Haec ſunt medicamenta interne aſſumpta, et quae in totum ſyſtema agere videntur. Si noſtram fallant expectationem, *remedia externa* tumoribus ipſis admovere oportet. *Cicuta* in hunc finem apta videtur, et vires ejus magnae commodum forſan ſpondeant; experientia vero adhuc ad effectos probandos deeſt. Dr Gregory ſenior, in praelectionibus ſuis practicis, *oleum tartari per deliquium*, quaſi optimum remedium, memoravit. *Aceti* vapores, ſolutiones *ſac. Sat.* et *aluminis*, ſaepe etiam utuntur. *Gladioli lutei* radicis ſuccum parti bis terve de die illinendum, laudibus accumulat Armſtrong †, qui in tumores, etiam diu manentes, uſum eſſe fauſtum affirmat

Forſan *electricitas* etiam remedium utile praebeat. Externe, forma ſcintillarum ex tumoribus ipſis eductarum, pro ſtimulo fortiter ageret, et reſolutionem perficiat. Saltem tentare oportet, hac cautela in conſpectu retenta, ne ſtimulo nimis magno ſuppurationem inducamus.

Hic in univerſum obſervare liceat, quod, niſi tumores in alicujus vaſis magni vicinia ſint poſiti, vel functiones ad vitam neceſſarias, ut deglutitionem, maſticationem, &c impediant, reſolutionem remediis irritantibus vel ſtimulantibus nunquam aggrediremur. Haec regula eſt praecipue notanda, ſi tumores ſimili ac partes aliae colore gaudeant, ſi mobiles et dolore expertes. His enim caſibus, circa pubertatem ſaepe e conſpectu intacti evolant, qui, ſi irritati fuiſſent, cicatrices ducerent probabiliter indecoras. Medicamentis vero internis, quae experientia probat, et quae ſupra enumeravimus, uteremur. Si etiam uſu remediorum externorum tumores repellamus, quem hecticae vel hydropis ſymptomata excipiant, nos deſiſtere oportet; nam multo melius eſt, hos in corporis ſuperficie Naturae committere, quam aegrum morbis tam diris in vitae periculum ſummum inferre.

Modis reſolutioni aptis tumores aliquando profligemus; ſaepe vero conamina nos inania fallunt, et morbus *ſuppurationem* verſus tendit. Quando rem ita ſe habere probatur, ſummis viribus eſt nitendum, quod pus laudabile promoveatur, et quod, vice ulceris mali moris, mite et benignum reddatur. Si ulcus ſpeciem prae ſe fert bonam, linteamenta ſicca tantum adhibere neceſſe erit; ſi aliter vero evenit, diverſa utuntur medicamenta. Hic porro notare debemus, quod, niſi ulcera ipſa ſanari ſint proclivia, (diatheſeos ferme ſubactae ſignum),

* Med. Obſerv. et Inq. vol. I.
† Liber ante citatus.

nulla

nulla ſiccantia vel repellentia admoveremus. Quamvis namque una parte curatio perficiatur, aliam, magis nobilem et magis vitae neceſſariam, ut pulmones, meſenteriam, et effectus inducens periculo pleniores, forſan aggrediretur. Donec igitur morbus ab imis radicibus ſit evulſus, optimam ageremus partem viam materiae liberam patefaciendo, et ne ſinus formentur cavendo. Puris formatio ex ſeri effuſi copia multum pendere videtur, quod hic haud benigne fluens ſpeciem gignit ichoroſam. Quodcunque fluxum auget pus laudabile promoveat. Hinc *ſtimulantia* in auxilium ſaepe vocantur, e. g. mercurius praecipitatus ruber, ex cupro parata, terebinthinae, ſolutio cauſtica, cataplaſmata ex pulvere ſinapis confecta. Haec vero omnia vi nimis magna agunt, et mitiora multum praeſtant. Aqua marina, aut pura aut apte diluta, propoſito bene reſpondeat. Hoc modo adhibita praecipue Ruſſelo laudatur. Æther vitriolicus remedium forſan efficaciſſimum ſuppeditaret. In noſocomio, contra ulcera inveterata nuper praeſcriptus, optimos edidit effectus. Hic etiam pro ſtimulo ageret, et ſeri effuſionem ſatis liberam concitaret.

Tertius et ultimus tumores amovendi modus, eſt *extirpatione*. Multi hanc operationem ſuadent, et multi etiam ei repugnant. Ex tumoris ſitu, ex natura ejus indolente, in multis caſibus certe ea uti licet. Morbum vero a ſtirpe hoc modo fugari, haud exſpectandum, qui toto ſyſtemate lymphatico, non glandulis ſolis, haeret. Tantummodo aliquod levaminis pro tempore affert. Praeterea, ſi tumores cultro tollantur, ſimiles in aliis partibus, ut pulmonibus, &c. ubi remedium morbo erit deterius, repullulent. Sic loquitur Sauvageſius: "Curatio ſaepius eſt noxia, ſi per externa medicamina, ſuppurantia, aut quod pejus eſt cauſtica, aut demum per exciſionem tentetur; inde enim uberius ſtrumae progerminant, acrius inflammantur, pertinacius exulcerantur *." Nunquam igitur eos extirpemus, niſi in cancrum quaſi vertentes appareant. Uni vero formae ſub qua ſcrofula apparet, nempe tumori albo, operatio chirurgica perquam utilis invenitur; quem tempeſtive amovendo, aeger aut in ſanitatem perfectam redit, aut lenimen magnum accipit.

Nunc ad *conſilium ſecundum*, partes affectas roborare, eſt perventum; quod primum aliquo gradu perficitur,

A *Exercitatione*.—Hujus vires tonicae fere omnibus innoteſcunt. Concoctioni ciborum, chyli formationi et abſorptioni inſigniter favet; ſanguinis circuitum per totum corpus promovet, et libramen inter ingeſta ac egeſta juſtum efficit et ſervat. Infantem igitur, diatheſi ſcrofuloſa imbutum, ſedulo

* Noſologia Methodica, vol. 2.

firmaremus,

firmaremus, tempeſtive, prout caſus exigit, aleremus, et in aere aperto exercitationi aſſuefaceremus. Ætate magis provecta aegri, ut vires vel negotia ferant, ſuis muſculis inter ambulandum uti debent. Si vero coelum immite et nubilum ne ambulent impediat, in rheda vehi, vel operi alicujus generis domi incumbere conveniet. Navigatio multis etiam laudatur, utpote aliis modis ſtabilitate, perſpirationem magis augendo, et aegrotum haud laſſando, antecellit. Ubi ulla phthiſeos appareant ſigna, ibi maximum praebet commodum. In omni exercitationis genere, ne ultra vires protrahatur, ut etiam ne humiditatis ac frigoris noxiae ſentiantur, ſedulo eſt cavendum.

B. *Aere frigido.*—Nihil corpori noſtro admotum vi tam relaxante quam calor gaudet, aut ejus robur tam multum frangit; e contra, frigus fibras condenſat, et ſyſtematis tonum confirmat. Ubi igitur, ut in ſcrofula, laxitas aegrum vexat, calor eſt vitandus, frigus utendum. Exercitatione vires ejus augentur; frigus namque dote naturaliter ſedante gaudet, et effectus ſtimulantes ſunt tantum ſecundarii, ex ea ſyſtematis bene nota lege, reactione vocata, orientes. Reactio a ſanitate et firmitudine multum pendet, quarum vices morbo aliquatenus imminutarum, corporis motu proprio ſupplere oportet. Frigoris etiam gradus, ſecundum aegri vires et exercitationem, quam tolerare poteſt, eſt moderandus.

C. *Balneo frigido.*—Eodem modo ac aer frigidus in corpus ageret; in hoc vero aeri praeſtat balneum, quod ſemper in promptu adeſt; aer, contra, prout anni tempus et regio, variat. Primo eſt caute adhibendum, et prout aeger feret iterandum. Si poſt ejus uſum tremulum frigore quatitur corpus; ſi per totum diem alget et debilior fit, ſyſtematis reactionem ſuperari noſcimus. Balnei igitur temperies eſt augenda. Sed ſi, ſenſu frigoris cito evaneſcente, ſymptomata reactionis appareant, cute rubore ac calore ſuffuſa, poſtero die tuto gradu eodem vel etiam majore uti poſſit. Aqua marina fluviatili eſt anteponenda, utpote quoad temperaturam magis aequabilis, ac, propter ſalem ea contentum, ſyſtema quodammodo magis ſtimulat.

De intrando balneo marino ſequentes inſtituit regulas Dr Ruſſel. Si tumor immobilis parti haeret, ac durus, balneum frigidum haud adminiſtrandum; ſed, e contra, ſi minor, mobilior, et mollior fiat, tunc commodum, eo in auxilium vocato, eſt exſpectandum. Si pulſus ex uſu ejus frequentior evadat, appetitus langueſcat, ac vires proſternantur, tunc omnino deſerendum eſt, ne omnia in pejus ruerent.

D. *Cortex Peruvianus,* omnium tonicorum optimus, haud hic

hic omittendus. Vires enim ventriculi et inteſtinorum reficit, ac chyli boni praeparationem promovet. Sed, omiſſa omni theoria, etiam praxis ac experientia uſum ejus commendat. Caſus multi narrantur, in quibus Dr Fothergill ſummam ejus vim plus ſimplice vice expertus eſt. Antea de virtute hujus remedii diximus, diſcutiendis tumoribus. Doctores Fordyce et Fothergill eum utiliſſimum invenire contra ophthalmiam ſcrofuloſam. In 2do vol. Med. Obſerv. duo exempla notabilia ejus virtutis a Doctore Bond narrantur. Dr Cullen, e contra, dicit illum raro ejus votis reſpondiſſe. Etiam in ſtatu ulcerato utilis ſit, vertendo materiam ichoroſam ac tenuem in pus blandum et benignum. De doſi ac modo eum adminiſtrandi, haud hic opus multa dicere, quum ſatis ab auctoribus permultis de his narratur. Solum eſt obſervandum, quod ſub forma decocti, pauxillo elix. guaiac. vol. adjecto, bene propinatur.

Eidem propoſito ac cortex, alia amara etiam inſerviunt, etſi plerumque hic iis eſt anteponendus. Alia etiam tonica laudari merentur. Dr Speed dicit, ſe obſtructas glandulas meſentericas ſaepiſſime ſolvere, adhibito ente veneris, vel floribus martialibus. Ipſe bonos vidi effectus ex uſu interno ac externo (ſub forma unguenti) vitrioli albi. Ulcus enim, cui fuit admotum, convaluit, et etiam tumores multi alii indurati, minores et molliores reddebantur.

E *Abſorbentia* et *alkalina* ab omnibus antiquis fuerunt laudata, et ea erat eorum virtus, ut cauſam hujus morbi eſſe aciditatem feri ſanguinis, multi concludere inducebantur. Sed hujus theoriae falſitatem ſupra demonſtrare conati ſumus. Aciditas nullibi corporis, praeter ventriculo, invenitur, ac tunc ſolummodo corporis totius imbecillitatem oſtendit. Etſi vero eſt ſymptoma tantum debilitatis, tamen hanc continuare ac multum augere valet, et, qua ſublata, tonus ſyſtematis reſtauratur In hunc finem laudantur alkalina et abſorbentia, haec ad obtegendam, illa ad neutralizandam aciditatem. Horum antiqui in uſum vocabant oſtreorum conchas calcinatas, lapidem pumiceum torrefactum, ſpongiam uſtam, algam, os ſaepiae, &c. Hodierni etiam ſimilibus utuntur, ut ſale ſodae, &c. Haec, aciditati obviam eundo, morbum aliquatenus levarent; ſed dubium eſt, quod eum radicitus tollere poſſint. De Haen † caſum narrat, ubi felici cum ſucceſſu adminiſtrabantur. Fatetur tamen, remedio omiſſo, morbum rediiſſe; quod probat tantum haec lenire, haud ex toto ſcrofulam curare. Omnium abſorbentium magneſia optima eſt, utpote quae acidi vim extinguit, ac alvum ſolvit.

† Ratio Medendi, vol. I.

F. Cha-

F. *Chalybeata* magna vi tonica praedita ſunt; et igitur utiliſſima forſan evaderent. Adminiſtrari per ſe poſſint, vel cortice nupta.

G. *Diaeta* hoc morbo debet eſſe nutriens, ex animalibus confecta, et, ut digeſtio bene procedat, vini pauxillum alicujus generoſi ſimul ſumatur. Sed cavendum, ne ingeſtum mole certos fines tranſeat, quoniam ſic ventriculum diſtendendo ejus vires frangat. Igitur, melius cibum aſſumere parva quantitate, ſed ſaepius iterata. Si, denique, ſymptomata ſuperveniunt hectica, regimen ſupra relatum mutandum eſt, ac loco ejus diaeta lactea, et facile digerenda, ſubſtitui debet; omnibus ſtimulante vi praeditis caute evitatis.

DE RACHITIDE.

AUCTORE SAM. MOORE.

AN hicce morbus novus eſt, antiquis minime cognitus, necne, per centum jam annos magnas contentiones movit.

Gliſſonius, ante medium ſeculi decimi ſeptimi, hunc morbum primus accurate depinxit. Nomen ejus, ſcilicet Rachitis (Angl. Rickets), acceptum eſt ante Gliſſonium, qui, poſt diligentiſſimas ipſius aliorumque inveſtigationes, affirmat primum fuiſſe ortum triginta circiter annos antequam ſcripſiſſet. Memorat etiam ipſam Angliae partem qua primum innotuit, occidentali ſcil. in comitatibus Dorſettenſi et Somerſettenſi.

Antiqui quidem curva oſſa recenſent, quaſi ſymptoma fortuitum eſſet, nec malum infantibus proprium, fortaſſe quia in regionibus ubi vixerunt antiqui medici, nempe Graecia, Italia, et Arabia, multo minus, quam frigidioribus, frequens erat. Praeterea, in ſcriptis antiquorum mentio ſaepe fit de variis variarum corporis humani partium diſtortionibus, quae nullam aliam cauſam agnoſcere poſſent; hinc variae appellationes vulgo in uſu fuerunt, ſcil. *capitones*, *frontones*, *tuberones*, *gibboſi*, *valgi*, *vari*, *compernes*, quae morbum inter eos haud eſſe ignotum, ultra dubium confirmant.

Non eſt veriſimile morbum minime contagioſum ſubito longe lateque vulgari poſſe, ſi in anguſto Angliae loco ortum habuit; et ſi cauſae eo loco validiores erant, quare nunc in Batavia multo frequentior eſt? Videtur ergo veriſimile, eaſdem cauſas, eundemque item morbum, antiquis haud eſſe ignota.

ta. In incertis res facta dux nobis certiſſimus eſt; etſi autem praeſens quibuſdam adhuc dubia videatur, ſaltem eſt hodie minimi momenti.

CHARACTER.

"Caput magnum anterius maxime tumens; genicula tumida; coſtae depreſſae; abdomen tumidum; caetera marceſcentia." *Cullen. Syn. Noſ. Meth.*

HISTORIA.

Hic morbus vix unquam congenitus eſt, etſi perpauca hujus exempla narrantur. Infantibus eſt proprius, raro ante tertium aut quartum aetatis menſem ſeſe manifeſtans, tertiumque in annum perſeverat, rarius ad quintum vel ſextum, rariſſime ad decimum vel duodecimum, et fere nunquam poſtea comitatur. Ut plurimum vero a nono aetatis menſe ſecundum ad annum dominatur, ſi per hoc tempus infantes evadunt, poſtea raro adoritur.

In primo ſtatim morbi adventu magna accedit motus vel exercitationis averſatio, et quum infantes, qui antea ambulare valebant, et in ea gaudebant, ſubito pigri fiunt, nec pedes ad terram admovere volunt, inter certiora ſigna eſt rachitidem appropinquare.

Quae antea grata erant, nunc ingrata fiunt; infans langueſcit et inquietus fit, cibum faſtidit, digeſtio prava eſt, crudamque materiem aut aera ſaepe ructatur. Nunc palleſcit, caro ubique macreſcit, niſi in facie, quae adhuc plena et quaſi carnoſa manet; muſculi flaccidi fiunt, robur labefactatur, abdomen craſſum, tenſum, tumidumque fit, et quandoque anaſarca comitatur.

Poſt haec oſſa afficiuntur, caput et praeſertim ſinciput ſolito majus fit, et aliquando talem in molem augetur, ut infans ſuſtentare haud valet. Suturae cranii longum in tempus apertae manent, nec oſſa inter ſe cohaerent.

Spina curva breviorque fit; hinc collum quoque breve, humeriſque quaſi immerſum; vox cita et ſtridula. Quandoque non collum ſolummodo, ſed tota ſpina antice incurva fit, corpuſque antrorſum labitur; infans enim propter imbecillitatem corpus erectum ſervare non valet; alias autem ſpinam aliter curvari invenimus, a cauſa fortuita, et in hoc caſu curvatura vix unquam ſimplex, ſed duplex aut triplex, formatur.

Clavicula naturalem curvationem adauctam habet. Scapula

 apud

apud acromion trahitur antrorſum, et mediam prope partem protruſa quaſi rotunda videtur.

Sternum admodum prominens et acutum eſt; coſtae ſaepe compreſſae, unde latera plana videntur. Coſtae tument, et praecipue ad extremas partes ubi cum ſterno connectuntur nodoſae ſunt; hinc forma thoracis multum mutatur, et anguſta fit, quo contingente tuſſis aſſidua et aſthma per totum morbi curſum comitantur, a quibus aegrotus aliquando ſuffocatur.

Oſſa etiam extremarum partium prope juncturas craſſiora fiunt, et curvantur. Humerus introrſum et antrorſum flectitur, radius et ulna introrſum; oſſa carpi, metacarpi, digitorumque tument.

Pelvis quoque ſaepe diſtorquetur; oſſa ilia planiora fiunt; acetabulum a femore comprimente pellitur introrſum, pelvis anguſta fit; hinc mulieres, quae rachitide laborarunt, difficili puerperio ſunt obnoxiores. Oſſa vero artuum inferiorum quae corpus ſuſtentant multum mutantur.

Caput oſſis femoris inclinatum cum corpore ejuſdem rectum fere angulum format, colloque cedente, aliquando ad duas uſque trochanteras deſcendit.

Os femoris antrorſum flectitur, parumque extrorſum, genua introrſum, pedes ab alterutro nimium diſtant, et extrorſum disjiciuntur; crura antrorſum et introrſum flectuntur; tibiae convexae ſunt, aliquando mirum in modum. Peculiari modo ambulare ſolent; nunc enim ad dextram, et alternatim ad ſiniſtram, anatum inſtar, vacillant.

In rachiticis dentitio admodum tarda et abnormis eſt, et, cum dentes ſeſe manifeſtarunt, cito carioſi fiunt et dilabuntur.

In rachiticis autem inſigne eſt acumen ingenii praematurum, judiciumque aetate majus.

Cutis in hoc morbo ſaepe aquam ſuffuſam habet; tumore vero decedente, laxa ſive flaccida et rugoſa fit.

Pulſus plerumque naturali tardior, niſi ſub finem, cum febris hectica jam acceſſerit.

Urina pallida et parca; alvus ut plurimum adſtricta; quandoque autem, et praecipue ſub finem, diarrhoea ſupervenit, cibique indigeſti redduntur. Etſi ſaepe cibi faſtidium et vomitio adeſt, haud raro tamen praeter naturam voracitas eſt, a vermibus aliquando ortum habens; accidit etiam quum nulli inventi ſunt, talique re circumſtante, cibus ſemper crudus excernitur.

Sub finem febris hectica, hydrops, convulſiones, et quandoque coma ſuperveniunt, et fere inter poſtrema ſigna numerantur, quum morbus morte terminetur.

Quandoque

Quandoque ſymptomata minus vehementer urgent, aegerque a viribus naturae aut artis morbum vincit, roboreque reſtaurato, deformitas corporiſque vitium gradatim evaneſcunt. Alias autem aegroti ab hocce effectu vel ſequelis ejuſdem multos per annos vexantur, tandemque miſeri fato ſuccumbunt.

In diſſectis cadaveribus tubus alimentarius ut plurimum cruda materie vermibuſque repletus aut flatu diſtenſus, invenitur. Hepar lienque multum adaucta; glandulae meſenterii infarctae; glandulae lymphaticae, praeſertim ſuper pulmones, ſimili modo, ut etiam thymus et glandula thyroides.

Venae fere omnes ampliores eſſe videntur, praeſertim jugulares; etiam arteriae carotides. Aqua in abdomine, thorace, et capite ſaepe accumulata eſt; tela celluloſa quoque aqua quandoque diſtenſa eſt. Muſculi laxi, pallidi, flaccidi. Oſſa nimis craſſa, mollia, ſpongioſa, ſi premantur facile cedentia, rubramque ſaniem quandoque effundunt.

CAUSÆ REMOTÆ.

Has cauſas ad tria capita referre liceat.

1. Ad eas quae pendent ex habitu parentum.
2. ———quae pendent ex habitu nutricis.
3. ———quibus infans ipſe ſubjici poteſt.

1. De his quae pendent ex habitu parentum.

Rachitis fere invadit liberos eorum, qui, poſt vitam luxurioſam et otioſam, habitum corporis laxum et debilitatum habent; qui potus tenues et relaxantes bibere aſſueti fuerunt. Van Swieten obſervat Batavos, qui vitam degunt ſedentariam, nimioſque tenues liquores, uti theam, coffaeam, &c. ingurgitare ſolent, conſtitutiones multum inde fractas habere; foeminas fluori albo, chloroſi, abortumque pati eſſe obnoxias, prolemque earum, etſi primum vultu ſano, paucos tamen poſt menſes emaciatam, laxam, rachiticamque fieri.

Prolem quoque eorum qui morbis, ſenio, venere, aut aliter corpora debilitarunt, adoritur; eſt enim veriſimilius, et inter omnes fere convenit, liberos infirmos, huic morbo praediſpoſitos, a talibus, potius quam robuſtis validiſque, generatos iri. Hoc Lycurgo legiſlatori Spartano adeo percognitum fuit, ut omni modo conſtitutiones juvenum utriuſque ſexus roborare conabatur, et, ne ſeſe nimia venere enervarent, novos nuptos diviſim habitare, nuptamque nuptum clam admittere, ſtatuit, ut amplexus eorum fervidiores eſſent.

Vulgo quoque acceptum eſt, ſobolem eorum, qui lue venerea graviter laborant, huic morbo obnoxiorem eſſe. Quod

 talium

talium proles infirmior fuerit, ſatis probabile eſt; ſed plurimi infantes hoc morbo naſcuntur, nec rachitidi magis obnoxii inveniuntur.

Rachitis congenita rariſſime conſpicitur, et infantes illo tempore penitus ſani, poſtea hoc morbo correpti ſunt, etſi nunquam lue venerea affecti, nec ulla ejus ſigna ad parentes referri poſſent. Quare haec cauſa non tantum valere videtur quantum vulgo opinantur.

2. De his cauſis quae pendent ex habitu nutricis.

Delectus nutricis magni eſt momenti, quoniam infantem maxime afficere obſervatur. Si ullis cauſarum antedictarum debilitata ſit, lactiſve ſani idoneam quantitatem non praebeat, infans debitum nutrimentum non poteſt accipere, et huic morbo a debilitate praediſpoſitus erit. Igitur optima ſanitate, mente ſerena, pollere debet, et exercitatione uti; ſi enim animo perturbetur, aut vehementibus animi affectibus obnoxia ſit, multumque lac ejus et infantem afficiet.

3. De his cauſis quibus infans ipſe ſubjici poteſt.

Hae vel ad morbos, vel caſus in regimine fortuitos, ad habitum infantis enervandum tendentes, referendae ſunt.

Poſt omnes morbos acutos, inflammatorios, aut contagioſos invadere ſolet, uti variolam et rubeolam; ſed Sydenhamus obſervat, eam poſt intermittentes autumnales praeſertim accidere, quae ſyſtema totum, ſed peculiariter canalem alimentarium, relaxant, quod tumefactione abdominis cognoſcere licet.

Poſt morbos quoque chronicos, qui, etſi tardi ſint, corporis habitum huic morbo obnoxium tandem inducunt. Item poſt haemorrhagias, diarrhoeam, aut ullam evacuationem quae robur imminuit, aptaeque digeſtioni obſtat, ſaepe evenit.

Multa mala quibus obnoxia eſt aetas infantilis, praeſertim dentitio difficilis, ejuſque ſequelae, convulſiones et debilitas, ſaepiſſime rachitidem excitant.

Herpes, tinea capitis, ſcabies, et omnia ulcera ſubita ſuppreſſa, pro cauſa hujus morbi habentur. Quandoque materies in tinea capitis per incuriam tam acris fit, ut non tantum tegumenta exulcerat, ſed etiam cranium perrodit. Talis acrimonia in ſyſtema abſorpta infantem multum debilitabit. Praeterea, cum diu aſſuetus ſit habitus huic evacuationi, abſque ea ſanitate non poteſt ſuſtiſtere; igitur cum ſubito ſuppreſſa ſit, varia mala gignuntur, quae eam reſtaurando curatio acceleratur.

Aliae res infantem afficientes originem ducant a diaeta, aere, exercitatione, munditiis, &c. Infantes, praeſertim pauperum, aquoſis, crudis, et minime fermentatis alimentis, ſaepe paſcuntur,

paſcuntur, quae concoctu difficillima et aceſcendum prona, tonum ventriculi delere, et exinde ſyſtema multum relaxare, tendunt, morbumque ſaltem augebunt, quamvis ad excitandum non ſufficiant.

Aer humidus et impurus, perſpirationem impediendo, fibraſque debilitando, multum corpus relaxat; hinc rachiticis abundat Londinum; infantes etiam pauperum, qui frigidas humidaſque caſas incolunt, ubi ſemper humori objiciuntur, veſtibuſque madentibus utuntur, invadit. Van Swieten memorat, morem infantes ſervandi ſellis perforatis incubantes, per quas excrementa dejiciant, ut frequentem hujus mali cauſam; morbos ſaltem ab eo ingraveſcit, et immunditiae cujuſcunque generis eundem adaugebunt. Fomentationes vel calida lavatio nimis frequenter adhibita corpus flaccidum reddunt, et morbum, ſi jam exortus ſit, augebunt.

Sed ante omnia, exercitationis idoneae defectus hunc morbum inducere tendit; haec enim omnibus muſculis vigorem tonumque impertit, circulationem digeſtionemque promovet, et praeter omnia conſtitutionem roborat duratque; a defectu hujus, infantes magnis in oppidis huic morbo magis obnoxii eſſe obſervantur.

CAUSA PROXIMA.

Quum oſſa infantum imperfecta ſint, quod ad numerum et partes, textura magis tenera, et quodammodo ſimilia mollibus partibus, eodem modo item affici poſſunt; inde aqua nimia inter fibras eorum penetrare, eaſque aeque ac muſculares fibras diſtendere, poteſt; ſed aqua remota muſculares fibrae tonum recuperant; oſſeae non ita ſeſe habent, quae ſemel extenſae, ex duritie majore poſitionem ſuam aliquo modo retinet.

Cauſae remotae hanc aquam exiſtere probari videntur, laxa et ſpongioſa textura oſſium eorum rachitide laborantium ita diſtenſa eſſe oſtendere videtur. Sed fortaſſe haec aqua pro effectu ex proxima cauſa ortum ducente, quam ipſa cauſa, potius habenda eſt; nam in omnibus aliis partibus corporis, ex nimia vaſorum laxitate, aqua effuſa eſt. In oſſibus quoque talem laxitatem, et exinde aquam, reperimus. Vitia autem in ſolidis vel vaſis jam formatis, quae non ſinunt oſſa recipere et poſſidere ſuam propriam duritiem, praecipua cauſa eſſe videtur.

Oſſa ſicut aliae corporis partes praeditae ſunt arteriis et venis, eodemque modo augentur; ſed oſſa recipiunt majorem copiam terrenae materiei quam aliae partes, quae a vaſis ſuis ſecernitur,

ſecernitur, interque vacua oſſium deponitur; quomodo ita ſeſe habet, eſt difficile probatu, etſi certum eſt.

In formatione epiphyſium, vel cartilaginis in os mutatione, haec ſpecialis actio apparet; dum pellucet nulla mutatio accidit; ſed ex quo tempore vaſa rubrum ſanguinem continentia in eo apparent, oſſificatio quoque incipit. Ex quibuſdam fortuitis hoc poteſt accidere, nempe, gravi compreſſione in ſpinam jumentorum facta, non ducens ortum ex fibris compactis, ſed ex ſpeciali introitu, vel actione rubrorum vaſorum et terra depoſita, quae tamen premendo facilius in os durum compingi poteſt.

Inflammatio vel irritatio, ſive ex morbo ſive caſu, perioſtio eandem conditionem inducit, ut apparet ex formatione callorum oſſibus fractis ſuperinductorum; perioſtium inflammatur, tumet, terraque ſtatim in parte inflammata deponi videtur.

Haec terrena pars quoque aſſidue abſorbetur, (propter quam cauſam eſt difficile dictu), et recens terra ſecernitur deponiturque; oſſa ſenum, ut aetas provehitur, leviora fieri obſervantur, quod hanc abſorptionem lucide demonſtrat.

Si haec terrena pars abeſt, oſſa duritiem aptam et neceſſariam recipere nequeunt. Hicce terrae defectus aut ex abſorptione ejus aucta, ſecretione eadem manente, aut ex ſecretione et depoſitione minutis, abſorptione naturali, ortum ducere poteſt. Oſſa etiam adultorum adeo mollia facta fuiſſe, ut ſcalpello incidi poſſent, exempla manifeſtarunt; unde morbus *oſſium incarnatio* nominatus eſt, exque ſcorbuto, diabete, largaque copia ſalis marini comeſta, oriatur. Num haec mollities oſſium ex deficiente ſecretione vel nimia abſorptione terrae oriatur, difficile eſt affirmatu; fortaſſe ex utraque; ſed poſterior confirmatur, ex eo quod tales aegroti multum urinae terreno vel gypſeo ſedimento commiſtae reddiderunt.

Sed quaecunque ſit vaſorum actio, quae terram ad os rite formandum et durandum ſecernit, eadem in rachitide certo certius deeſt; et quanquam modus explicatu difficilis eſt, tamen evidens eſt, cauſas remotas antedictas, totum ſyſtema laxando, et praecipue chylificationem impediendo, ad tale hujus actionis vitium inducendum valere.

Sed, re probata, rationes ſymptomatum nonnullorum, quae ex mollitie oſſium ducunt originem, explicari poſſunt.

RATIO SIGNORUM.

" Artus et extremitates oſſium primum tument craſſeſcuntque," quia in his partibus cancelli numeroſiores, et oſſeae lamellae tenuiores ſunt; quapropter, a firmitate harum partium minore,

minore, minus cauſae diſtendenti reſiſtunt, citiuſque prominent. " Tumefactio non ante tertium aut quartum menſem, ſaltem in extremis, evenit," quia hae partes fortaſſe in oſſa non adhuc vertuntur, ſed quadantenus cartilaginoſae ſunt.

" Diſtortio et contractio oſſium," a morbo media item oſſium afficiente accidit; quocirca pondere aliarum partium in ea incumbentium, muſculorum actione, aut aliis cauſis fortuitis, diſtorquentur.

" Caput magnum," quia incremento cerebri oſſa cranii cedunt. " Anterius maxime tumens," praeſertim fortaſſe ab inclinatione capitis in ſtatu relaxato ſpontanea, quod in aequipondio ad oſſis occipitis condylos non poſitum eſt; ſi quivis enim erecto corpore ſedens obdormiſcat, caput antrorſum labitur; igiturque cerebri pondus nonnullum hic effectum habet.

" Spina quandoque antice incurva fit," a corporis pondere antrorſum labentis, " nonnunquam in aliis directionibus, oblique," &c. a cauſis fortuitis, thoracibus nempe foeminarum arctis, in idem latus continua inclinatione. " Curvatura vix unquam ſimplex," quoniam in illo caſu aeger muſculis alterius lateris naturaliter agit, ut corporis pondus ſupra propriam baſin, inter crura, aut ſuper os ſacrum, cadat.

" Sternum admodum prominens et acutum eſt," quia coſtae deprimuntur, et ad juncturas cum ſterno tument. " Coſtae depreſſae" a pondere ſuperiorum extremorum pendet; quoniam, ubi extremorum oſſa introrſum flectuntur, ibidem coſtae cedunt. Aeris externi pondus, onuſque corporis decumbentis, nonnihil valeant. " Hinc thoracis diſtortio et ſpirandi difficultas," ſiquidem pulmones haud ſatis ſeſe expandere poſſunt.

" Clavicula naturalem curvationem adauctam habet," ab onere humeri ei incumbentis. Ab eadem cauſa, et corpore antrorſum inclinato, " ſcapula apud acromion trahitur antrorſum, et mediam prope partem protruſa, quaſi rotunda videtur," quod humeri antrorſum flectantur, aegerque prono corpore inclinetur, propendeat.

" Humerus introrſum et antrorſum flectitur," quia in cubitos puer recumbere ſolet, et hinc curvatura naturalis augetur; muſculi item effectum hic edunt, ut etiam in " radium et ulnam quae introrſum ab iis trahuntur," quia flexores muſculi fortius agunt.

" Oſſa ilia planiora fiunt," a viſcerum pondere. A corporis incumbente, oſſiſque femoris reactione, ab ejuſdem capite " acetabulum introrſum pellitur," ex quo etiam " pelvis anguſta fit."

Collo femoris corporis ponderi cedente, a directione obli-

qua

qua ſurſumque tendente diſcedit; "cum corpore ejuſdem rectum fere angulum format, aut aliquando ad duas uſque trochanteras deſcendit."

A pondere corporis, actione muſculorum, et poſitione inter ſedendum, "oſſis femoris curvatura naturalis antrorſum parumque extrorſum augetur." A colli corporiſque oſſis femoris curvatione, genua nimium inter ſe diſtarent, atqui natura, ad pondus in baſin anguſtam ferendum, ut puer abſque magna corporis jactatione ambulet, namque pedes etiam nimium a ſe diſtant, "genua valde introrſum flectit." Hinc antrorſum et introrſum oſſa cruralia flectuntur, unde "tibiae convexitas aliquando mirum in modum evenit.".

"Inſigne acumen ingenii praematurum, judiciumque aetate majus," quod fere domi permanent, provectiſque aetate confabulantur, et fortaſſe a mentis irritabilitate cum corporis ſimili ſtatu congruente.

"Abdomen tumidum," quoniam inteſtina debilitata ad cibum concoquendum haud valent; igitur a contentis et aere effuſo diſtenduntur.

"Caetera marceſcentia," a glandulis meſenterii infarctis, organiſque concoctionem efficientibus multum debilitatis, unde nutrimentum non rite peragitur. "Unde glandulae meſenterii et lymphaticae tumidae fiunt," difficile eſt dictu. Forſitan in hoc, ut in aliis caſibus, a quadam acrimonia in ſyſtemate exiſtente originem ducat, quaeque abſorpta ad has glandulas obſtruendum tendit. In hoc enimvero ſcrofulam refert; ſed quomodo in alterutro caſu gignitur, tam arduum eſt intellectu, ut hic loci nobis praetereundum eſt.

PROGNOSIS.

Haec vel a viribus cauſarum, robore et aetate aegroti, vel morbi impetu, inferenda eſt.

1. Si ex habitu parentum fracto originem habeat, curatio magis deſperanda eſt Si ex erroribus in diaeta, defectu exercitationis, aut aliis hujuſmodi cauſis quas medicare valeamus, meliorem eventum exſpectare licebit.

2. Si aetatem admodum teneram adoritur, difficilis eſt curatio; quoniam infans ejus impetui minus obſiſtere valet, et medicamenta vix accipere queat. Sed contra, ſi magis aetate provectus eſt, proſperiora promittere licet.

3. Quo magis vehemens diuque permanens, et quo major eſt diſtortio, eo magis aegri periculo obnoxii ſunt; et etiamſi adoleſcant morbumque effugiant, tamen ex vitalibus aliiſque organis

organis impeditis debilitatiſque in futurum, morbis pulmonum, abdominalium viſcerum, &c. obnoxiores ſint.

Si aquae in capite accumulatae ſigna adſint, infauſtus eventus metuendus eſt.

Quidam, eruptiones cutaneas, uti ſcabiem, &c. in hoc morbo bonum ſignum praebere arbitrati ſunt.

METHODUS MEDENDI.

Quoniam in hoc morbo aqua, per totum corpus abundans, non tantum partes molliores, ſed oſſa etiam, diſtendit, et quandoque morbidam acrimoniam acquirit, (ſaltem multi ita putarunt); hanc igitur, quam *colluviem ſeroſam* nominare ſolebant, removere praecipuum erat inter medicos propoſitum. Hoc autem a variis evacuantium generibus efficere conati ſunt; unde infantes multum mali patiebantur, morbuſque potius augebatur. Minime autem ſecum reputabant, hanc aquam morbi eſſe effectum, non vero cauſam proximam, quae a cauſis remotis ante perſpectis laxitas univerſa potius videbatur, et, hac etiam ablata, aqua eodem fere tempore abſorbetur. Etiamſi quandam acrimoniam adeſſe nobis pernotum eſſet, nobis tamen ſolummodo reſtaret, ſyſtemati inducere ſtatum, qui aut acrimoniae generationi obviam iret, aut effectus ejuſdem ſuperare poſſet.

Igitur in rachitide, totum corpus, praecipueque canalem alimentarium, firmare oportet; quum vero concoctio prae omnibus afficitur, virtuſque medicamentorum ab ea pendent, quaecunque ei nocent, amovere decet.

Hinc conſilia medendi tria ſunt.

I. Tubum alimentarium abſtergere.

II. Eundem, totumque corporis ſyſtema, coroborare.

III. Modis mechanicis, quouſque aequum eſt, deformitates corporis corrigere.

I. Tubum alimentarium abſtergere; fit,

1. Ab emeticis.

2. Laxantibus.

1. *Emetica*, ſtomachum et quandoque inteſtina evacuando, ſordes, aliaque cruda ibi retenta, abluunt, abſorptionem aquae effuſae promovent, motum periſtalticum adaugent, cibique naturalem appetentiam afferunt.

Quandocunque ſigna pravae concoctionis apparent, per totum morbi curſum emetica indicantur; ſaepius autem repetere haudquaquam licebit, ne tonus ſtomachi et inteſtinorum inde debilitetur, digeſtioque potius vitietur. Nec fortiora

 adhibere

adhibere aequum eſt; quoniam cum teneris admodum agendum eſt; igitur *ipecacuanha* omnibus anteponenda eſt; parva enim doſi unius, duorum, triumve granorum rei apte reſpondet, vinumque ipecac. cum ſacchari cryſtallini q. ſ ad gratam dulcedinem, formulam ſatis elegantem idoneamque praebet.

2. *Laxantia* eoſdem fere effectus exhibent, et praeſertim utilia ſunt, quia rachitici ſaepe plus devorare ſolent, quam rite concoquere valent.

Eadem, ac in emeticis, in his quoque adminiſtrandis cavere oportet, nempe rarius iteranda, mitioraque tantum adhibenda ſunt Omnibus autem *rhabarbarum* antecellit; nam, alvo ſoluta adſtringentes effectus exerens, tonum ſtomachi et inteſtinorum confirmat, concoctionique favet. Potu communi commiſcere licet, aut ſub forma vini rhei cum pauxillo ſacchari cryſtallini commodiſſime dari poteſt.

II. Tubum alimentarium totumque ſyſtema corroborare.

A. a Regimine corporis generali quod ad
- 1. Diaetam. { Cibum. Potum.
- 2. Aera.
- 3. Veſtimenta.
- 4. Exercitationem, frictionem.
- 5. Lavationem frigidam.

B. a Medicamentis tonicis.
- 1. Vegetabilibus.
- 2. Foſſilibus.
- 3. Animalibus.

A. Si malum radices jam altius infixerit, omneſque partes affecerit, eidem a medicamentis ſolis mederi non expectandum eſt, ſed *regimine*, quod totam corporis conſtitutionem in firmiorem mutare valeat.

1. *Diaeta.*—Pro *cibo*, pane fermentatione perquam ſubacto et biſcocto, uti debent; levis enim et concoctu facilis eſt, multumque etiam nutrit; non fermentatus autem, ut antea dictum eſt, aliter ſe habet, morbumque potius adauget. Cum eo grata quaedam aromatica ſeu aromata conjungere nonnunquam licebit, ut appetitus incitetur, digeſtioque acceleretur.

Carnes non pinguiores, ſuccidae tamen, tenerae, et nutrimenti boni plenae, utiliſſimae ſunt.

Juſcula minus idonea ſunt; corpus etenim in molle, et aquoſum nimis per ſe, tendit Jura tamen fortiora et condita, praeſertimque concreta vini pauxillo miſta, adhibere, perbonum eſt

Potus minime aquoſus, nutriens vero, pauloque ſtimulans, eſſe debet. Hinc cereviſia tenuis, aqua, etiamque lac in acidum

dum nimis pronum, evitanda ſunt. Cereviſia autem generoſa multum farinae continens, cujuſmodi eſt Brunſvicenſis (Angl. *mum*) a Van Swieten multum laudata, et quae fermentationem aegre ſubit, commodiſſime dari poteſt. Cereviſiae generoſiores item vernaculae idoneae ſunt; quoniam vero fermentationem ſubierunt, et meraciores ſunt, pauca tantum quantitate utendum erit. Ante omnes autem, cyathus unus aut alter vini rubri Gallici, aut etiam Portugallici, quotidie adhibitus, concoctionem adjuvat, vireſque nervoſas recreat. In eo panis biſcoctus molliri poteſt, idemque dilutum, et quandoque cinnamomo talibuſque grate conditum, pro potu uſitato offerre licet.

Etſi diaeta valentiſſima utamur, aliae tamen res in adminiſtratione notandae ſunt.

2. *Aer.*—Aer humidus et impurus pro cauſa recenſitus eſt. Infans igitur in aera ſiccum celſumque transferendus eſt; ſi hoc autem fieri nequit, in altioribus domicilii tabulatis, quae humori minus obnoxia ſunt, educari aut ſaltem dormire debet.

Hic fortaſſe memorandus eſt mos in quibuſdam regionibus laudatus, nempe rachiticos nudos, tecto capite, ſolis ardori objicere ſolent.

3. *Veſtimenta.*—Eaſdem propter cauſas, veſtimenta, quouſque fieri poteſt, ſicca et nitida ſunto, ut humor omnis ſudorque, qui cuti admoti malum inferrent, abſorbeantur; hinc lanea ſunt potiora. In *culcitis* etiam crinalibus aut paleatis, potius quam plumeis, ſomnum capere oportet; namque illae planiores et duriores corpori minus cedunt, fibraſque firmiores reddunt.

4. *Exercitatio* inſigni modo corpus roborat, concoctionique favet; primis igitur morbi initiis, aut ſi propter aetatem liceat, omnibus blandimentis et incitamentis ad ſeſe exercendum hortandi ſunt. Si vero, per aetatem morbive vehementiam, hoc fieri nequit, in rheda ab equo, aut nutrice geſtari, funiculis per aera jactari, aut navigare convenit.

Frictio locum exercitationis quodammodo ſupplet, tonum corroborat, et circulationem promovet. Cum pannis laneis ſicciſque modice fieri poteſt, ſuntque qui odoribus aromaticis haec fumificare volunt.

5. *Lavatio frigida* in hoc morbo valentiſſimum remedium eſt. Primo quidem ſuperficiem conſtringet; mox autem hicce ſpaſmus reſolvitur, actio cordis et arteriarum augetur, ruborque cutis jam apparet; et hinc tonus vaſorum multum roboratur: Affirmatque Floyerus, hunc morbum nunquam in Anglia comparuiſſe, dum balneo frigido uti ſolebant. Propter hujuſce uſum, nuperos per annos rachitis multo minores ſtra-

ges edidit; et eſt equidem probabile, hunc morbum nunquam vexaturum, ſi modo infantes teneris ab annis ei aſſuefacti erint. Oportet igitur quotidie in frigidam mergere, niſi infans admodum debilis ſit, ſtatimque pannis ſiccis fricare diligenter, unde multum commodi afferetur.

B. *Medicamenta Tonica.*

Etſi a victus regimine, aliaque adminiſtatione, plurimum in hoc morbo expectandum eſt; tamen ex uſu medicaminum apto multum boni orietur, et utriſque conjunctis meliora promittere licebit.

1. *Vegetabilia tonica.*—Ex his *amara* et *aromatica* uſitatiora fuerunt; et Sydenhamus in hoc morbo vinum aut cereviſiam, in qua abſinthium aliaque amara infuſa ſunt, aegrotis obtulit. *Cortex Peruvianus* prae omnibus eſt concelebratus; adſtringentes enim, amaras, et aromaticas virtutes exhibet, ſtomachum, omneſque partes corroborat, et multum rachiticis prodeſſet, ſi modo deglutire vellent. In ſubſtantia exhibitus, cum parte aequali extracti glycyrrhizae, aqua ſoluta, et pauxillo mucil. gum. Arab. vel commiſtus lacte ebutyrato, cum parva quantitate ſacchari rubri, invitis offerre fortaſſe potius eſt. Aliter etiam cum clyſteribus injicere. Externo corpori admotus, a quibuſdam extollitur; adhuc vero non confirmari videtur.

Aromatica, ut cinnamomum, macis, &c. grata et utilia ſunt, aliiſque medicamentis commodiſſime adjungi poſſunt.

2. *Foſſilia tonica.*—Horum praecipua ſunt metallica ex *ferro* et *cupro* parata.

Ferrum in rachitide, aliiſque chronicis morbis a laxitate, uſitatiſſimum et utiliſſimum remedium ſe praebet. Limaturae aut rubigo in vino cum cinnamomo, aliove grato aromatico, digeri poſſunt, ut in vino chalybeato; hujuſque cyathum unum aut alterum, pro aetate, offerre decet. Tincturae martis etiam aliquot guttas potu miſcere licet. Vinum dictamni albi Phar. Edin. nov. remedium quoque non aſpernandum ſe offert.

Cuprum interne ſumptum remedium eſt periculi plenum; mitioribus itaque praeparatis ſolummodo uti oportet.

Ens veneris Boylaei medicamen celeberrimum fuit; multis tamen placet idem eſſe, quod *flores martiales* nominare ſolent, ſcil. ex calce ferri, ſaleque ammoniaco ſublimatis. Non nobis eſt hic loci rem enodare; non eſt vero probabile, Boylaeum naturam vitrioli caerulei tantum ignoraſſe, ut ens veneris vocaret medicamentum a ferro paratum. Cum ammoniaco ſale conjunctum, ut in cupro ammoniaco Phar. nov. Edin. mitiſſimum

mitiſſimum ex hoc metallo paratum habemus, formulamque ejuſdem pilula caerulea aut cuprea ſupplet. Parva tamen a doſi incipiendum eſt, in teneris, ſcil. pilula una, quae grani dimidium praeparati continet, aut fortaſſe pilulae dimidium in aliis, ſatis erit.

Iu quibuſdam Angliae locis, in *aquis aluminoſis* lavare multum commodi attuliſſe dicitur.

3. *Tonica animalia.* Sub hac indicatione, fortaſſe memorare licebit, ſingularem huic morbo medendi modum, qui in ſeptentrionalibus Caledoniae partibus vulgatiſſimus eſt, nempe, corpora rachiticorum *oleo ſcatinae* inungunt. Methodus parandi et adminiſtrandi, ex literis medici ibi habitantis excerpta, ſequitur.

" Modus parandi Hocce oleum ex hepate raiae ſeu ſcatinae communis majoris plerumque paratur; ſed ſcatina minor clavata, quam hic loci *Thornback* dicimus, ſimile forſitan praebebit. Hepar in patina locatum ſervant, donec major pars ejus in oleum liqueſcat, unde admodum rancida fit; tunc decoquunt, purioreque parte utuntur. Rancidum potius quam recens decoquunt, quia plus olei praebet; minime vero dubium eſt, quin recens aequali virtute gauderet.

" Modus adminiſtrandi. Caute admodum utendum eſt initio; namque quantitas admodum parva febrim excitabit, quae, ſi vehemens, debilem infantem e medio fortaſſe tolleret.

" Prima nocte cubiti carpique juncturae eo leviter fricandae ſunt, unde febris ſtatim oritur, et per majorem noctis partem affligit; ante lucem vero remittit. Sequente nocte ſimiliter fit, febriſque reiteratur. Omni nocte perſeverandum eſt, donec febris concitari deſinit, quo tempore non ſolum carpi cubitique, ſed genua talique, inungenda ſunt. Hinc febris denuo gignitur, et perſeverandum eſt, ut antea, donec febris concitari nequit. Tunc tota ſpina coſtaeque illinendae ſunt, febris renovatur, frictioque item uſque ad febris diſceſſum continuanda eſt. Denique, lanea ſubucula oleo immerſa puer circumveſtiendus eſt; unde vehementior febris orietur, quae in duos aut tres uſque dies ante remiſſionem durabit; ſubucula, donec ſicca fiet, non amovenda eſt, et tunc temporis malum, ſi medicabile, profligatur.

" Haec operatio quatuor, quinque, aut ſex hebdomadas durabit, prout infans in primo, ſecundo, aut tertio morbi ſtadio verſetur, et quo citius incipitur, eo melius erit. Complures vidi hoc modo curatos, etſi admodum ingratus eſt, praeſertim nutricibus, quibus in eodem lecto cubare neceſſe eſt."

Hinc videtur, morbi medelam a febre concitata pendere; minime

minime enim perficitur, niſi febris ſaepius excitata in aliquod tempus duraverit. Quomodo autem agendi modus explicandus eſt? Quoniam cauſae et ſymptomata rachitidis ſyſtema a laxitate et debilitate perquam affici oſtendunt, non videtur vero abſimile, tonum vaſorum adauctum, per tempuſque non breve continuatum, huic morbo mederi.

Balneum frigidum, in hoc morbo tam utile remedium, febriculam perbrevem, aut auctam vaſorum actionem, huic quodammodo ſimilem, poſt ſe trahere videtur. Haud impari modo fortaſſe febres fortuito invadentes, morbos paralyticos, ante inſanabiles, penitus profligarunt.

Anne in aliis morbis chronicis aut cachecticis ſimilem curandi modum inferre licet?

Si autem oleo incaute inungatur, febris nimium exacerbata vires aegroti jamjam debiles opprimet; in febribus namque adultorum, actio vaſorum ſupra modum aucta, debilitatem tandem inducet.

Febris ergo moderanda eſt, ut leviter adaucta vaſorum actio continuetur.

Quorſum vero tendit hic tonus adauctus?

Proxima ſub cauſa obſervare contigit, quandam vaſorum conditionem ad oſſificationem, ſive ad oſſa generanda, neceſſariam eſſe. Fracto oſſe, inflammatio perioſtei, ad os formandum neceſſaria, circa locum incipit. In rachitide vero, haec vaſorum conditio naturalis nunquam incidit; ut in fractis itaque oſſibus, talem inflammationis gradum citius oſſa perfecta generaturum conjicere licet. Terrenae materiae defectus non tantum oſſibus, ſed aliis etiam ſolidis, aut fibris muſculoſis deeſſe videtur. Quare haec igitur rite deponatur, inflammatio, niſi nimia ſit, in cauſa erit, unde oſſa, et reliquae corporis partes in ſtatum naturae redibunt.

Haec tamen, quoad agendi modum, mere conjecturalia ſunt; rem enim attentius obſervare et experire, ad accuratam de ea ratiocinationem eſt neceſſarium.

III. Tertium medendi propoſitum erat, modis mechanicis, quouſque aequum eſt, deformitates corporis corrigere. In hoc autem faciendo periculum imminet, et corpori machinas fere nunquam aptare decet, ne comprimendo formam in pejorem potius mutaretur. Dum ſpinae curvatura formatur, contrariam corporis poſitionem injungere ſat erit, ut celeb. Monrones pater filiuſque nonnullis caſibus illuſtrarunt. Extremis partibus minore cum periculo, et majore cum fructu, ocreas quae diſtortionem mutent, alligare licet. Attamen mirabile dictu eſt, quam brevi tempore, poſt habitum confirmatum, haec omnia vitia a vi muſculorum ſola emendantur.

PRO-

PROPHYLAXIS.

Methodo medendi jam tractata, de morbo praecavendo minus dicere opus eſt. Omnibus patet, cauſas remotas diligenter admodum eſſe vitandas

De vitiis parentum nil dicendum eſt; quoniam Lycurgi inſtituta minime ad noſtra tempora attinent. Primum igitur, nutrix ſano et vegeto corpore eligenda eſt, cui mammae lacte repletae ſunt, ut infans rite nutriatur; neque hoc ſufficit, ſed alacris et nitida ſit, quae infantis animum oblectet, jactando, ambulando, &c. corpus ejus exerceat, veſtimenta ſaepe commutet, nec cruda unquam offerat, aut faſcias arcte liget.

2do, Si aer foedus aut humidus eſt, in ſicciorem migrare convenit, aut veſtimenta denſiora ſunto.

Inter ſextum vero aetatis menſem, uſque ad ſecundum tertiumve annum impletum, eadem cura exercenda eſt.

3tio, Denique, ante omnia corpus per totum hoc tempus corroborandum eſt, exercitatione continua, balneoque frigido, in quo ſi perſiſtatur, eſt ultra dubium fere, rachitidem unquam invaſurum. Si autem, hiſce omiſſis, morbus aggreditur, á quo tempore prima ſigna in hiſtoria recenſita, praecipueque tumores circa articulos ſeſe manifeſtant, ab uſu balnei frigidi ſine mora incipiendum, in eoque perſtandum, cum aliis in medela narratis, unde omnia proſpere eventura pro certo fere affirmari poteſt.

MORBI LOCALES.

DE ULCUSCULIS VENEREIS.

AUCTORE SNOWDEN WHITE.

DE MORBI IN EUROPA ORIGINE.

LUEM Veneream ex orbe occidentali in Hiſpaniam a Columbo nautiſque ſuis, anno ſalutis humanae 1493, primo invectam fuiſſe, inter fide dignos conſtat; illinc, anno ſequente, in Italiam, exinde in Galliam, Germaniam, Britanniam, aliaque loca, ita ſe diffudiſſe, ut anno quaſi 1497, vel paulo ante, Edinburgum acceſſiſſe feratur *.

DEFINITIO.

Ulcuſcula venerea, propriae naturae exulcerationem ponunt. Quippe quae plerumque ſummam cutem occupent, exiguum rotundum cavum efforment, margine calloſa cingantur, imaque albeſcentis muci ſpeciem praebeant; ſat certo non tamen dignoſcenda, niſi a labe venerea proveniſſe ſit compertum.

MORBI HISTORIA.

Poſt coitum immundum, naturalia, vel protinus, a veneno exeſis exiguorum vaſculorum oſculis, roduntur, et in ulcuſcula fatiſcunt; vel, quod conſuetius eſt, pruritus circa pudenda aliquamdiu, citiuſque aut tardius, pro veneni vehementia, aut partis teneritudine, prius perſentitur. Quem deinde ſenſum varus ruber, acutus, pruriens, cum calore ſequitur. Is exiguo in apice foramine, humorem viſcidum emittente, tandem aperitur. Qui rurſus humor marginem et fundum vari rodens, paulatim ulcuſculum margine calloſa, albidi muci ſpecie in imo apparente, cavo exiguo, tenax et viſcidum pus effundente, ut ſupra eſt dictum, efformat. Neque in naturalibus aut circa ea ſolum, ſed in aliis corporis locis quae illis non diſſimilia fabrica ſint, ut in papillis mammalariis, in labiis, in ore, in lingua, et faucibus, illa ulcuſcula graſſantur.

* Walſh.

Si

Si mitioris naturae virus eſt, aut exiguum ſolummodo parte receptum eſt, ulcuſcula minora, minus alte ſedentia, minus inflammata, aequalius rotunda, non multum marginibus calloſa, et bonae notae pus emittentia, facile ſanaſcunt. Contra, ſi idem illud acrius et pejus eſt, et magna copia parte laborante receptum eſt; tum ulcera numero plura, figurae inaequalioris, altiora, rubris, prominentibus, inflammatis et calloſis marginibus, humorem malum et ichoroſum profundentia, et in fundo mucoſa ſubfuſca materie denſe cooperta, cernuntur. Quod ubi fit, praeſertim ſi ulcuſcula, acrium eſcharoticorum frequentiore quam par eſt uſu, irritata ſunt, glans colis, et praeputium, aut naturalium labia, nymphae, clitoris, et carunculae myrtiformes, inflammata intumeſcent.

Harum partium tumores trium generum ſunt. Si tumor dolet, rubet, et prementi digito facile cedit, quo remoto, facile etiam reſurgit, ille inflammatus aut phlegmonoides adpellatur. Rurſus, ubi neque dolet, neque rubet, neque calet, nec digito adpreſſus cito reſurgit, et ſero pellucente repletur, ſeroſus aut oedematoſus nominatur. Poſtremo, ubi doloris, caloris, et rubedinis expers, prementi digito prorſus reſiſtit, durus ſeu ſcirrhoſus nuncupatur.

Aliquando praeputium tumeſcens ita arcte glandem totam obvolvens circumplectitur, ut id nulla ratione retrahi aut loco moveri poſſit, quod phymoſis dcitur; atque ulcera ita obtecta reconduntur, ut vix quicquid extrinſecus iis admoveri, aut ipſa munda ſervari poſſint. Simul urina infra praeputium penetrans glandem irritat, inflammat, et ulcera amplificat.

Nec raro praeputium intumeſcens, adeo pone coronam glandis in rugas arcte contrahitur, ut protrahi ad glandem tegendam nequeat; paraphymoſis hoc vocatur.

In utroque caſu urethra, adſtricto praeputio, coarctata, difficilem urinae tranſitum et dolore plenum reddit. Unde etiam partis inflammatio et tumor creſcunt.

Ab iiſdem tumoribus interdum aquoſae cryſtallinae veſicae oriuntur, quae diſrumpi ſolent, et ichoroſam lympham profundere.

Quae ubi fiunt, tanta inflammatio eſt, ut febrem concitet. Ipſa vero ulcuſcula ampla, patula, inaequalia, immunda, ac tandem nigreſcentis coloris, eſſe incipiunt. Quo facto, ſerpit gangraena et locum adflictum perdit. Quod quidem horum ulcerum, ubi tanquam partis morbus habentur, ſummum fit periculum.

Solutis iis tumoribus, atque ipſis ulcuſculis ſanatis, ſaepe tubercula dura, et quaſi chordae, ulcuſculorum veſtigia occupantia, item verrucae venereae ſuperſunt. Quae quidem

 multum

multum creſcentes ſaepe phymoſes et paraphymoſes permanſuras creant.

Varia praeterea poſt labem veneream in pudendis aut circa ea excreſcunt. Quae, pro ſitu aut facie diverſis, etiam diverſa nomina ſortiuntur; qualia pori, criſtae, fici, morae, et mariſcae, ſunt. Omnia ea, ſi creſcunt, ſi rubeſcunt, ſi caleſcunt, et dolorem jaculantem habent, verti in cancros periclitantur.

Verum prae caeteris extimeſcendi ſunt inguinum tumores; utpote qui omnium incommodorum frequentiſſime ulcuſcula venerea ſequantur Ii bubonum diro nomine, ipſi diri, vulgo adpellantur. Glandulae inguinales cum duritie primum, calore, rubore, inflammatione, et dolore, intumeſcunt. Qui tumor, indies increſcens, tandem apicem mollem et prominentem, jam ſuppuratis glandulis, edit. Sic incipiens creſcenſque tumor generis phlegmonoidis ſeu inflammati eſt; faciliſque vel ſolutu vel ad ſuppurationem perductu eſt. Contra, ſi tarde creſcit, neque multum ſive caleſcit, ſive dolet, ſive rubeſcit, et impreſſi digiti notam retinet, oedematoſus erit. Quod ſi durities primum adparens, nil remolleſcit, ſed ſine dolore, ſine inflammatione permanet, fit tumor durus.

Ex his tumoribus duo poſteriores difficile ad ſuppurationem aut reſolutionem perducuntur, et poſt ſe plerumque nucleos, eodem ubi ipſi fuerint loco, relinquunt. Qui nuclei, ſi molles et mobiles permanent, metui eſſe vix debent. Iidem, ſi fixi dolent, creſcunt, et calent, aliquando in cancros mutantur.

Hi tumores raro aut nunquam fiunt, quin noxae venereae aliquid per vaſa lymphifera in ſanguinem evadat. Ex quo fonte omnia luis venereae, ut gutturis, linguae, oris, nariumque ulcera, in cute maculae, artuum ac membrorum dolores, caries oſſium, poſtremo omnium actionum ſive vitalium, ſive animalium, quae dicuntur, affectus mali, promanant. Atque haec mala omnia mediis tumoribus naſcuntur. Verum,

Abſque glandularum inguinalium tumoribus, interdum labes venenoſa, abſorbentibus accepta, in ſanguinem protinus tranſit. Cujus mali prius latentis, ſanguiniſque infecti, primum ſignum dant gutturis et faucium ulcera, diverſis temporum ſpatiis, pro majore aut minore noxae vehementia hominiſque infecti robore, aut vitae vario genere, adparentia.

DISCRIMINA QUIBUS ULCUS VENEREUM DIGNOSCATUR.

Ad rem maxime eſſe videtur, ſigna et diſcrimina, quibus ulcus venereum a ſimilibus malis dignoſcatur, exponere. Primumque caſus ancipites, qui, licet venerei non ſint, tamen curantes

curantes pro venereis facile fallere poſſunt, attingemus. E quibus,

Glans colis, ſine veneno venereo, et exulcerari poteſt, et aliquando exulceratur; ſcilicet, ubi alicui rem cum muliere fluore albo laborante, quo tempore acerrimum eſt profluvium, forte habere contigit.

Item glandem abradere poteſt, vel concubitus cum muliere cujus vulva praeter ſolitum anguſta eſt, vel materia ſebacea, illic collecta, et morando acris reddita.

Quae ulcuſcula a venereis ita diſtingui poſſunt, quod in minimam altitudinem, latitudinem maximam, patent, inaequalis figurae ſunt, et marginibus calloſis, poſtremo albeſcentis in ima parte muci ſpecie, carent. Nec minus certo dignoſcuntur, quod vel ſua ſponte decedunt, vel adſtringentium et detergentium remediorum uſu brevi conglutinantur.

Contra, cum, ut ſupra commemoratum eſt, ulcuſcula venerea rotunda, aequalia, circumcirca calloſa, alte ſedeant, et aliquid muci albeſcentis inſtar in ima ſede recondant: ſi talia in genitalibus adparent, quin venerea ſint non erit dubitandi locus.

Sed aliud ulcerum genus ſaepenumero guttur obſidet. Ea ſunt quae in angina gangraenoſa cernuntur, et putridae naturae cum ſint, tamen venereis ſimillima fallunt. Ad quae a venereis diſtinguenda notae comitantes conſiderandae ſunt, et morborum genera, ſi qua per populum forte graſſantur, aut anni tempus adfert, diligenter contemplandae. Itaque, ſi ſigna febrilia, ſi tumores majores per guttur et tonſillas latius ſerpſerunt, ſi ulcuſcula magis in latitudinem quam altitudinem patent, et prae caeteris ſi putridae notae febres per multitudinem ſaeviunt; vix errabit, ſi quis talia ulcuſcula venerea eſſe negaverit.

Verum per omnia haec diſcrimina, vel prudentiſſimum et accerrimi judicii medicum falli poſſe, non eſt inficiandum; eoque magis, quod, dum alios pudor, alios religio, alios voluntas, ſive inſolita proloqui, ſive culpas fateri, ſive ea quae nolunt credere, prohibet, multis ſane temporibus exprimi verum nequit. Quoties vero aegrotans rogatus bona fide reſpondet, ea demum res ante omnia diſcrimina medico qualis ſit morbus, patefaciet.

Cognito tandem morbum venereum eſſe; proximum eſt, ſitne a vetere an nova contagione profectus, anquirere, utpote cum idoneae curationis ſummopere interſit, quamdiu mali cauſa intus delituerit, exploratum habere. Nam ſi vetuſta labes fuerit, primo quoque tempore auxilio opus erit

Si ulcuſcula fraenum aut carunculas myr[illegible] [illegible]runt, ſi malae notae ſunt, et rapide pro[illegible]

noxa orta ſunt habenda. E contrario, quae pauca numero et mitia ſunt, diuque neque multum in melius neque in pejus inclinant, et praeſertim, poſteaquam diſceſſerunt, rurſus redeunt; ſcire licet, e labe vetuſta veniſſe. Sed et hic quoque indicium candidi aegrotantis certiſſime ad verum ducet.

EVENTUS JUDICIUM.

Ulcuſcula venerea quae leniora ſunt et rite curantur, raro ſanatu difficilia ſunt. Quae vero malae notae ſunt, et multa numero inter ſe confunduntur, ea difficilius ſanaſcunt, praeſertim ubi glandis et praeputii tumor cum phymoſi aut paraphymoſi ſupervenerunt. Difficillime omnium ad ſanitatem perducuntur ea, quibus veſicae cryſtallinae et gangrenae periculum ſuperadduntur.

Attamen utut ſublatu facilia hujuſmodi ulcuſcula ſint, haud omittendum eſt, recente veneno nata, raro ſanguine intacto decedere; ubi vero eadem antiquior labes fecit, hanc in ſanguine latitare, indicio certo conſtat.

Poſtremo, non deſunt horum ulcuſculorum ad ſanitatem, nullo adhibito mercurio, reductorum exempla *.

ADFECTUUM EXPLICATIO.

Ulcuſcula venerea, veneno venereo parti admoto, naſcuntur. Nam in mulieris infectae concubitu, glans, praeputium, atque etiam tota coles, pure contagioſo a vaginae ulcuſculis profluente, infici periclitantur. Et e contrario, tota vagina ab ulcuſculis colis, totam explorantis, in pari periculo verſatur. Quae tamen ulcuſcula, niſi in glande colis et praeputii parte interna, aut in vaginae partibus interioribus, raro obſervantur. Item chirurgi, quibus inter haec ulcuſcula curanda digiti pure toti conſperguntur, niſi his inciſis forte, aut quomodocunque cuticula nudatis, labis omnis expertes evadunt. Unde diſci poteſt, in cuticulam noſtram, qualis in pleriſque ſummi corporis locis eſt, venereum virus non poſſe integram tranſire. Partes vero quae veneni contactui maxime objiciuntur, ut glans, praeputium interius, item interior vagina, ob fabricam praecipue laborant, et ad labem recipiendam accommodantur. Nam in his partibus cuticula tenuiſſima et tenerrima eſt; eaedemque inumerabilibus vaſis exilibus et exiguis

* Amicus quidam meus et bona fide, nec ab arte noſtra alienus, ſeſe bis ſatis acria ulcuſcula venerea, ſola tepida lactis et aquae lavatione, in ſeſe ſuſtuliſſe, ac neque vini potatione neque exercitatione interea abſtinuiſſe, perque multos annos ſecundiſſima valetudine uſum eſſe, haec mihi ſcribenti confirmat.

inſtructae ſunt Vaſa humorem ſebaceum, ad partes vicinas lubricandas, aſſidue apertis oſculis exhalant. Quae oſcula, inter concumbendum, apertiora ſolito ſint neceſſe eſt. Hinc aditus veneno, qua in vaſa promanet, datur. Quo facto, et collapſis rurſus hinc cole virili, illinc vulva muliebri, vaſorum oſcula iterum claudi, et venenum retinere, veriſimile eſt.

Jamque in iis vaſis conditum venenum eorum ora acri ſua natura rodit, inflammat, ſuppurationem inducit. Et ſic ulcuſcula formantur.

Alia cauſa, quare hae partes labem potiſſimum recipere putandae ſunt, ex ulcuſculorum, quae labes vetuſta fecit, ſede trahitur. Talia enim ulcuſcula vel ipſas has partes vel fabrica conſimiles, ut guttur, fauces, labia, et naſi membranam, ſemper fere occupant.

Parte ita ut dictum eſt exulcerata, ejuſdem inflammatio oritur Quae rurſus ſanguinem et lympham majori verſus ſe impetu et copia concitans, ſimul ulcuſculorum ipſorum callus, ſanguinis et humorum reditum prohibentia, ut vaſa obſtruantur, et intumeſcat pars, efficient. Cumque eadem vaſa communia glandi et praeputio ſint; quare alterius tumor ad alterum adeo facile perveniat, ratio in promptu erit. Itaque ſive glandis vaſa, ulcuſculis illic ſitis, magis obſtruuntur; ea quoque inflammata magis intumeſcet. Contra, ſi impedimenta in praeputii vaſis magis inciderunt, inflammatio et tumor ad praeputium magis pertinebunt.

Si ſanguis, adſtrictis venis et ſubſequentibus harum impedimentis, in minora vaſa lymphifera cogitur; tumor generis phlegmonoidis erit.

Si lympha, compreſſis ſuis vaſis, ſola impeditur; tumor oedematoſus naſcetur.

Quod ſi eadem lympha ſtagnando, craſſa et viſcida dureſcit, durus quoque tumor ſequetur.

Eidem ſtagnantis lymphae duritiei, duri quoque earundem partium quaſi funiculi, et phymata, debentur. Tenuioribus nempe lymphae partibus diſſipatis, reliqua addenſata dureſcit *.

His paulo diutius durantibus, humor partium calore acer reddetur; creſcentiaque uſque phymata dolores jaculantes creabunt: Fermenteſcenſque mox humor id acredinis adquiret, ut perroſis vaſis, viam ſibi foras faciat. Atque ſic cancer apertus formabitur.

Poſtremo, plurimae in his partibus papillae, veneno venereo inflammatae, majore muci copia adfluente replentur, du-

* Aſtruc.

reſcunt,

reſcunt, magnitudine creſcunt, et verrucis venereis initium tandem faciunt.

His omnibus, qua potui, explicatis, ulcerum inguinalium ex ulcuſculis ortorum, proxime, ratio ſequitur.

Earundem de quibus egimus partium vaſa abſorbentia, veneno venereo eroſa et exeſa, id recipiunt, et ad glandulas inguinales perferunt; ubi impedimenta prius, deinde tumores, creat. Sic enim, venenum ad eadem loca ab iiſdem perferri, eo credibile eſt, quod ſuperiores inguinis, quae lympham a naturalibus accipiunt, glandulas ſolas adit. Cumque alteras, quae ab imis artubus lympham accipiunt, idem non attingat; ea res, id non ſanguine circumlatum, ſed protinus, et recta via per vaſa abſorbentia, eo deferri, argumento eſt †. Et ob eandem cauſam, inguinum tumores, non a colis inflammatione vi nervoſa per arterias eo decurrere credendum eſt.

Porro, ubi inguinis glandulae non adeo obſarciuntur, ut veneni per vaſa abſorbentia ulteriorem tranſitum prohibeant; hoc ad ductum thoracicum perferri, et univerſo ſanguine miſceri, poteſt.

Saepe alterum inguen ſolummodo vitiatur; quod eo forſitan fit, quia ulcuſcula venerea ad ejus lateris vaſa ſola attineant.

Ubi virus non in eam altitudinem forſitan deſcendit, ut abſorbentibus vaſis noceat, vel copia humoris profluentis aufertur; tum ulcuſcula, tanquam partis ſolum vitium, intacto ſanguine, ſanabilia ſunt.

Contra, ſi virus adeo dilutum eſt, ut glandulas inguinis, quaſi obicem oppoſitas, libere, neque vaſis infarctis, tranſeat; protinus in ſanguinem, neque ulcere relicto, neque ſigno ullo dato, prodibit.

Ulcera gutturis, et alia luis conſummatae ſigna, eo fiunt, quia virus venereum cum ſanguine commixtum eſt. Eas autem ſedes occupat, quia earum fabrica talis eſt, ut hujuſmodi noxam potiſſimum recipiat, et ab eadem contaminetur.

Quae vero veneni venerei natura ſit, quove modo humores noſtros ita adficiat, ut ſua edat effecta, nihil certi aut explorati experimenta adhuc docent Solumque conſtat, hanc ei cum aliis humoribus contagioſis communem eſſe proprietatem, ut humores noſtros in ſuam vertat naturam, atque ita pro fermento agens, et vehementia ac ſaevitia uſque creſcens, donec corrigitur aut corpore prorſus expellitur, recentia ſemper et pejora mala gignat.

Cum non ſolum morbis praeſentibus mederi, ſed et venturis

† Monr. pract. anat.

occurrere,

occurrere, boni medici ſit; priuſquam curandi rationem adgrediar, haud alienum a propoſito erit quaſdam rationes, quibus in impuro coitu veneni venerei noxa prohibeatur, et dirum in primis ſaepe malum avertatur, proponere.

Multa ſane medicamenta extrinſecus admovenda; nam nihil intus acceptum quicquid agere ſperatum eſt, certa et nunquam ſpem fallentia futurae contagionis remedia, miro hominum ſtudio jactata ſunt. Quorum tamen omnium, ſi eventu judicandum eſt, nullum certo optatum finem contigit; neque repertum quicquam adhuc eſt, quod, explorata reque cognita virtute, Veneris ſive caſtra ſequentibus, ſive ſigna ferentibus, commodi tantum praeſtet. Verum licet proprium et perpetuum nullum hujuſmodi bonum inventum ſit, tamen, cum quaedam, ſi non ſemper, ſaepe ad ſententiam procedant, et, ut aliquando contagioni, alioquin incaſurae, occurrant; ita plerumque hanc, ubi incidit, mitiorem et leniorem, et morbum ſanatu faciliorem, reddant: De iis loqui pergam.

Prius vero quam medicamenta attingam, tempus et rationem quibus admovenda ſint, conſiderandum eſt.

Tempus admovendi medicamenta duplex eſt; ante et poſt concubitum.

Ratio admovendi ad duo conſilia redit: Primum eſt, venenum ne partes opportunas attingat, curare. Aut, ſi jam eas attigit, alterum conſilium eſt, ne illis noceat, aut morbum excitet, qua abluendo, qua corrigendo, cavere.

Quod ad primum conſilium attinet; aggredienda res eſt, partes oleoſa aut pingui aliqua re inungendo; hac ſcilicet ſpe, ut foramina virus recipientia occludantur, et illud introitu prohibeant. Quod ſi idem unguento mercuriali tentabitur; ſpes praeterea veneni corrigendi dabitur.

Secundum conſilium iis rebus perficitur, quae mucum aut humorem ſebaceum diſſolvendi, auferendi, aut profluentem percitandi, poteſtatem habent. Talis ipſa urina eſt. Neque praeter urinam, eandem ſpem non promittit lenis alkali cauſtici, aut etiam ſaponis, ſolutio; ubi oleo rodentem alkali naturam leniendi copia datur. Poſt quod uſui etiam eſt ſacchari ſaturni in aqua roris marini ſolutio mitis, aut unguento mercuriali partes ſuſpectas inungere. Supra dictis addendum eſt, hanc ſecundam curandi partem, quo maturius poſt amplexum, quoque diligentius et ſaepius modo memorata adhibeantur, eo magis efficacem et eventus certiorem futuram.

Atque haec omnia eo majore cum cura adgredienda et perficienda ſunt, quo major, ut ſupra praemonitum eſt, ſpes datur morbo, adhibitis iis, ſaepe occurri poſſe. Cum vero dubium non ſit, quin, ut morbum non prohibeant, tamen, et copia

copia et ſaevitie veneni imminutis, illum poſtea leniorem et ſublatu faciliorem reddant; ita hoc etiam nomine non eſt tantilli laboris, propoſito praemio, poenitendum.

CURATIO

In curatione eundem, quem hactenus, ordinem obſervabo: Primumque de ulcuſculis venereis quae recentiora ſint curandis; poſtea de ſaevioribus et effectibus eorum, item aliis ulcuſculis e vetuſta noxa pendentibus, verba faciam.

Ulcuſculorum recentium,—Ad ulcuſculis quae veneno nuper recepto nata ſunt medendum, triplex conſilium reputanti mihi ad animum accurrit: Primum ulcuſculorum calorem, dolorem, et inflammationem levare: tum virus quod ſanguine receptum eſſe poſſit, mutare, corrigere, aut corpore denique ejicere: poſtremo, primo ipſa ulcuſcula abluere, detergere, et purgare; ſecundo, callum eadem ambientem mollire, denique cicatricem bonam inducere, et vulnera conglutinare.

Ut ad primum redeam medendi conſilium; inflammationem et ejus effecta cum calore dolorem, ſi homo pleniore corpore eſt, ſanguinis, inciſa vena majore, detractio ſublevat Si minus plenus eſt, ex ipſa aegra parte, ſanguis, ſola, ut nonnullis placet, mittendus eſt. Neque in quolibet habitu haec ſanguinis demendi ratio non illi longe praeſtat; utpote cum in omni inflammatione perpetuum hoc ſit, ut, quo propius inflammationis ſedem ſanguis auferatur, eo plus pariatur levaminis.

Eidem conſilio, leniter refrigerantia, alvum ſolventia, ipſi loco laboranti quaedam admota, ut fomenta calida, cataplaſmata, et ſuſpenſa coles, accommodantur.

Secundum conſilium mercurio, de quo plenius poſtea verba fient, perficitur.

Ad primam tertii partem, nam in tres partes ſupra diviſum eſt, confert lactis et aquae conjunctae lavatio. Quae, quia parum ad mucum abluendum valet; ideo vitrioli caerulei aut ſacchari ſaturni, vel praecipitati rubri, cum unguento baſilico flavo conjuncti, ſolutione leni opus erit. Quibus tamen omnibus efficacius eſt, et ad ulcuſcula detergenda, et eorundem calloſam marginem molliendam, calomel ulcuſculo adſperſum, aut hoc cinnaberis fumo ſubjectum, et poſtea ſicco lino contectum. Quod ſi his quoque mala ulcuſculorum natura reſiſtit; tum vitriolo caeruleo, aut etiam lapide infernali, tangenda ſunt. Quae tamen, niſi parce et caute, non ſunt tractanda; periculoſus enim eſt talium eſcharoticorum uſus temerarius. Poſtremo, cum ulcuſcula jam bonam carnem reparare incipient,

ent, linimento Arcaei aut cerato vulgari perfici curationem oportebit.

Ulcuſculorum ſaevorum,—Ubi ulcuſcula pertinacia, et inflammatio magna, ſunt, jamque phymoſes vel paraphymoſes ſupervenerunt; haec oriuntur conſilia: Primum, inflammationem et tenſionem partium imminuere, et tumores diſſolvere, conari. Aut, ſi hoc fieri nequierit, tum gangraenae venienti occurrere, vel, ſi advenit, eam ſupprimere ,aut partem demum delere.

Ad primum horum conſiliorum, eſt ſanguinis, et e venis majoribus, et e parvulis partis adfectae, crebra miſſione opus; item mollientibus et antiphlogiſticis clyſteribus, ſolventibus et refrigerantibus fomentis, cataplaſmatibus continuatis, et corpore reclinato. Antiphlogiſtica quoque ore ſumenda; omnia eſcharotica et ſtimulantia medicamenta procul fugienda ſunt.

Si phymoſis eſt, diluta ſacchari ſaturni in aqua roſarum ſolutio ſubter praeputium immittatur; idemque hoc aqua tepida, cui lactis paululum adjectum ſit, crebro lavetur. Contra paraphymoſin, ulcuſcula abluta, ut ante praeceptum eſt, detergeantur, praeputii rugae cum cura explicentur et purgentur, eaeque partes quam maxime ab urina defendantur.

Quod ſi forte tumor et inflammatio remiſerint, praeputium ad priſtinam mollitiem, ſolventibus et diſcutientibus auxiliis, reſtituatur. Eodem, ubi multum jam illa imminuta fuerint, leniter reducto, ulcuſcula infra, pari ac ante ratione, conglutinentur. In paraphymoſi, praeputium, ubi ſatis jam remolleſcit, ſuper glandem traductum bene ablutum foveatur.

Quibus auxiliis ſi vis mali parum ceſſerit, ad cultrum decurrendum eſt. Et in phymoſi, praeputium ab utroque latere, nam in ſummo magna vaſa vitanda ſunt, dividendum: In paraphymoſi, tranſverſim rugae concidendae. Quo facto, vulnera ſolito more conglutinanda.

Si cryſtallinae veſiculae ſunt, iis inciſis lympha emittenda eſt; imaeque illae abluendae. Iiſdem ſi livor ſubeſt, caro concidenda, ſpirituque vinoſo camphorato lavandum.

Cui rerum faciei ſi vera gangraena ſupervenerit, inſana a ſanis ſeparentur, et eodem, quo in gangraena fieri ſolet, more tractentur

Eadem curatio muliebribus aeque ac virilibus convenit naturalibus, niſi ubi diverſam paulo, horum conformationis diverſitas, requirit.

Excreſcentium,—Omnia venerea excreſcentia ſub eodem capite recte comprehendere videor; ſiquidem eadem conſilia

 medendi

medendi omnibus fere accommodantur. Ea vero tria ſunt: Primum, excreſcentia reſolvendo tollere; tum, ne in cancros vertantur, curare, aut jam verſa, ut malum alioquin immedicabile, cultro recidere; poſtremo, cum ipſa haec excreſcentia plus labis venereae in corpore latitare indicent, id corpore expellere aut corrigere.

Ad primum conſilium reſpondent diſcutientia, quae dicuntur. Hujuſmodi ſunt unguentum mercuriale, calomelas, praecipitatus ruber, aut fumi cinnaberis. Quibus ſi reſiſtunt, vitriolo caeruleo aut lapide infernali tangantur.

Ut ad ſecundum conſilium tranſeatur Si in cancros excreſcentia degenerare videntur; his medicamentis omiſſis, ad leniter antiphlogiſtica reſolventia deveniendum eſt. Simul ea quae acrem ſanguinis habitum corrigant, et blandiorem ei naturam impertiant, intus dare utile eſt.

Quod ſi cancer jam manifeſto natus eſt, eum nulla mora cultro recidendi fit neceſſitas.

Tumorum inguinalium cum inflammatione,—Tumores inguinales, ut ulcuſculorum de quibus locutus ſum effecta, proxime ſunt tractandi. Adverſus quae haec tria conſilia ſurgunt: Primum, ulcera repellere atque reſolvere; tum ad ſuppurationem perducta cultro aperire; poſtremo, virus, quod inde in ſanguinem forte tranſierit, corpore ejicere aut corrigere.

Quorum conſiliorum duo priora multis argumentis commendata ſunt. Quibus omiſſis, rationem curandi in utraque exponam.

Primum, reſolventia, quae perperam diſcutientia vocantur, ſuper ipſum inguinis tumorem admota, requirit. Hujuſmodi ſunt unguentum mercuriale forte, magna copia et bene inunctum; cataplaſmata, quibus ſaccharum ſaturni adjectum ſit; ſanguis tum e magnis venis tum e parvis loci tumentis vaſis detractus; poſtremo, cathartica quae generis antiphlogiſtici, ſeu inflammationi reſiſtentis, ſint. Quae ſi mature admota ſunt, plerumque ad votum reſpondent.

Contra, ſi fruſtra fuerint; ſecundum exequendum erit conſilium. Cui lautus victus, ſive ciborum ſive potionum genus reſpicis, et cataplaſmata ſuppurationem adjuvantia, aptantur. Quorum uſu, pure jam facto, non prius deſiſtendum eſt, quam totam glandulam duram ſuppuratio tenuerit. Quo facto, tumor vel cultro vel cauſticis aperiendus eſt. E quibus poſteriora praeſtare videntur; cum et humori liberius exeundi poteſtatem faciant, et, quo minus margines calloſae fiant, prohibeant.

Jamque aperto ulcere, liber puris exitus ſervandus, vulnuſque, ſi qui ſinus forte ſubſint, altius explorandum eſt. Si hi

hi minores erunt, immiſſis liquoribus purgentur, et, ut pus ſuum emittant, curetur: Si majores, prius nulla ſanitatis ſpes reliqua eſt, quam cultro aperti omnem intus humorem profundant.

Si bonus corporis habitus eſt, ſolito more vulnus conglutinatum ſanaſcet.

Contra, ſi pervicax et marginibus calloſum eſſe incipit, detergendum eſt, et ſublimati corroſivi ſolutione lavandum; vel calomel aut praecipitatus ruber ſupra partem conſpergenda, aut cinnaberis fumi admovendi ſunt. Quibus ſi parum callus movetur, vulnuſque occallere magis incipit; tum lapide infernali id totum contingendum eſt. Hic quoque cortex Peruvianus, magna copia datus, multum prodeſſe ſolet, neque mercurii uſum impedit.

Poſtremo, ubi bona caro regenerari incipit, ad eam rem pulvis lapidis calaminaris, myrrha, et linimentum Arcaei, auxilio ſunt.

Ulcerum inguinalium oedematoſorum aut durorum,—Si ſupra praeceptis medicinis oedematoſa aut dura ulcera inguinalia neque ſolvi neque ſuppurari potuerint; nucleum, modo ne fixus ſit, delere, optimum factu eſt. Quod eſcharoticis quam cultro fieri praeſtat. Sic enim minus vaſa vulnerandi periculum eſt, et ſanaſcendi ſpes major. Quam utique rationem ſi aegrotans pati nolet; ne cancer ſubnaſcatur, proxima erit cura.

Quod ad noviſſimum medendi conſilium attinet; labes in corpore latitans corpore ejicienda aut corrigenda mercurii uſu eſt. Is vero a primo ulceris venientis conſpectu dari debet; ſiquidem et communem curationem maturat, et propriam non impedit. Cum autem labis ſanguine latentis, et hunc inficientis, certiſſimum indicium gutturis ulcera peragant; ab iis incipiens, de iis ita verba faciam, ut labem ſanguineam, eorum certam originem, ſolam comprehendam; et ſi qui adfectus ſingulares ab eadem labe pendent, eos, utpote de quibus aut jam ſatis peroratum ſit, quive a noſtro propoſito alieni ſint, omnes praetermittam.

Ulcerum gutturis,—Ulceribus guttur obſidentibus medendi duo ſunt conſilia. Primum idem eſt quod adverſus naturalium ulcera propoſitum eſt, et iiſdem remediis perficitur. Secundum conſilium, virus venereum, jam manifeſto ſanguine receptum, corpore ejiciendum aut corrigendum, ponit.

Huic cum mercurius ſolus reſpondeat, et ſolus efficax adverſus veneream noxam ſit repertus, ita de ſolo loquendum

N 2 cenſeo.

cenſeo. Ideo plenius hic utendi mercurii rationem, primumque quantum dandum ſit, dein qua ratione paratum, exponam.

Labem veneream ſanguinem corrumpentem inde, aeque ſine ſalivatione ac cum ea, ejici aut corrigi, jam inter omnes convenit, ut nihil magis conſtet. Cumque praeterea ſalivatio et moleſtiae et periculi plurimum habeat, dubium non eſt, quin jure repudianda ſit. Dandus igitur eo uſque mercurius eſt, donec aeneus ore ſapor ſentiatur, gingivae adficiantur, et ſaliva leniter profluat. Quo facto, ſaliva non amplius movenda. et medicina, excretionum alia aliqua concitata, e corpore eſt purganda.

Quod ad rationem parandi attinet, intus quae aſſumuntur unguento ante cellunt. Sic enim, quantum corpore recipiatur, dijudicatu facilius eſt. E formis vero quae intus accipiuntur, eae quae et leniſſimae ſunt, et potenter tamen agunt, potiſſimum deligantur. Hujuſmodi eſt mercurius mucilagine aut melle lenitus, et in pilularum formam confectus.

Si is ore alicui acceptus, nimis in inteſtina ruens, cum dejectionibus corpore ejicitur ; ei opiata conjungantur. Quod ſi neque ea ejus per alvum exitui occurrunt, tum ad unguentum neceſſario decurritur. Cui tamen magna cum cura inſiſtendum eſt.

Quoties ulcera non ita gravia ſunt, ut aliquid ſecus minitentur, neque ea protinus conglutinandi ſubſit neceſſitas ; optimum factu eſt ea munda gargarizando ſervare, et mercurium, dum illa ſanaſcant, dare non deſiſtere. Sic enim certis eſſe licet, ſanatis ulceribus nihil noxae in toto corpore ſupereſſe.

Si, ut nonnunquam factum eſt, mercurius ſolus ulcera non ſuſtulerit, lignorum praeparationes, praeque caeteris ſarſaparillae, aſſidue bibantur. Item, cortex Peruvianus, praeſertim in habitibus ſcorbuticis, adverſus veneream noxam efficax repertus eſt.

Abſoluta, quantum in medicamentis eſt, morbi curatione, qualis victus eſſe, quoque modo inter ſupra memoratas medicinas ſe gerere aegrotans, debeat, paucis commonſtrare haud alienum videtur.

Olim accuratiſſime ſe curare, et ſeveras ſequi leges, infecti ſunt coacti. Verum intra paucos annos medentes de moleſta illa ſeveritate multum remiſerunt. Jamque inter pleroſque et optimos ſive medicos ſive chirurgos, nam in utrorumque manibus, et modo in horum, modo in illorum, pro aliorum aegrotantium alio arbitrio, res eſt, convenit, ſolitum vitae genus alias non eſſe mutandum, niſi ut aromatibus, cibis conditis, et vini ſpirituumve multo, demptis inguinum ulceribus

ſuppuraturis

ſuppuraturis quae hunc ipſum victum quam maxime requirunt, ſit abſtinendum; victui lacteo, juſculis, et carnibus quae materiae levioris ſint, potiſſimum inſiſtendum; calori corporis mediocri, hibernis diebus cubiculo mediocriter calefacto, conſulendum: Poſtremo, aer nocturnus, et omnes ſubitae tempeſtatum et coeli temperiei viciſſitudines aeſtate ſint vitandae. Quibus praeceptis, minime arduis, qui paruerit, is morbi vi et mercurii actione minus debilitabitur, citiuſque ad priſtinum robur, et valetudinis integritatem, reſtituetur.

Quam quo certius recuperet, ſublato quamvis morbo, victus tamen quam maxime alens leniſque, item cortex Peruvianus, aquae chalybeatae, exercitatio, et aeris mutatio, quaerenda.

DE LUIS VENEREAE STADIO CONFIRMATO.

AUCTORE P. P. WALSH.

DE MORBI PROPAGATIONE QUÆDAM.

MORBUS hicce, nunc ſaltem dierum, ſemper contagione propagatur; hinc quidem bifariam tantummodo communicari poteſt, nempe vel viro ad quandam corporis partem directe applicando, vel ex parentibus ad foetus haereditarius defluendo. Modo de priore pauci admodum lites moverunt; ideoque ut certa ſit contagio, tum ex tegumentorum partium, quibus applicatur virus, ſtatu, tum ex temporis longinquitate quo manet corporis cuilibet parti admotum, et fortaſſe ex viri ipſius acrimonia, ſemper pendebit: Hinc quare alios, parteſque prae aliis alias citius certiuſque inficiat, colligere eſt; et quare morbus varie communicatus, coitu nempe, oſculatione, nutrici infecto ex infante, et ubi morbus ſuperficiem invadat, puta in ſpecie Scotis *Sibbens* * vocata, in eodem quo impurus lecto cubando, differat ſolummodo ratione partium quas virus attingat. Nonne veriſimile, infantem eodem illo modo, et non ex lacte infecta, a nutrice inquinari? Hoc confirmari videtur, reputando illuſt. Young ex periculis quam accuratiſſime hunc in finem inſtitutis, lac humanum nec *mercurio*, nec *rubia tinctorum*, inter ſubtiliſſima licet ab omnibus fere habitis, afficere nequiſſe; et multa eſſe nutricum exempla hoc

* Vide Hill's Caſes in Surgery; unde hunc morbum Lui Venereae omnino ſimilem eſſe, liquido conſtat. Frambaeſia ejuſdem fere indolis eſſe videtur, et ſic a Culleno cel. definitur, "Fungi, mori, vel rubi idaei fructus referentes, in variis cutis partibus enatis."

morbo

morbo graviſſime laborantium, quae tamen lactentes, quamdiu corporis ſuperficies et mammae integrae permaneant, non inficiant; prius enim infans virus non recta attingit.

Sunt qui infantem in partu infici opinantur; ideoque morbum ex procreatione ortum haereditarii nomen ſibi vindicare non poſſe. In horum autem ſententiam nullatenus ire poſſumus, ſi abortus frequentes, foetuſque plerumque ſine cuticula ejectos, ulceribuſque aperte venereis obductos, inter ſigna in gravidis rariſſime fallentia reputemus, morbumque ſeſe poſt partum aliis, praeter eas, partibus, quae in partu viro ſunt obnoxiae, manifeſtare, et exemplum a Profeſſore Young recenſitum, unde generoſam quandam, ad tertium uſque partum, ſemper abortum feciſſe, poſtea vero ad nonum liberos, etiamnum viventes, ſemper autem morbo *lui* conſimillimo, et *hydrargyro* ſoli cedente laborantes, peperiſſe, matrem tamen, non niſi poſt nonum praeteritum, tum demum ulcere venereo faucibus correptam, contagii ſigna habuiſſe conſtat.

His admodum paucis praefatis, nunc ad gradum confirmatum, propoſitum, redeamus. Hic vulgo contagionis ſecundae ſibi nomen obtinuit; malum enim praecedens, quandam ſolummodo partem infeſtans, utplurimum excipit. Quibuſdam tamen in exemplis pro prima haberi debere veriſimile videtur; quibus puta haereditarius evadit morbus, quibus etiam virus, quamvis per genitalia exceptum, primo tamen partibus ab his longe diverſis, labe univerſa ſubeunte, ſuboritur. Plerumque vero hanc praenunciant *gonorrhoea virulenta*, ulcuſcula venerea, &c. eſto enim prior a *ſyphilide*, toto coelo diverſa*, in eodem tamen infecto ſimul exiſtere poſſe, inter omnes convenit; ideoque, ſi quid tale ſignorum generalium nuncium ſe in medium protulerit, quaerere ſemper magni dubitantium refert.

CHARACTER†.

Morbus contagioſus, nonnunquam haereditarius, caeteris in omnibus exemplis poſt contactum, partiumque ſaepius, quibus directo applicetur virus, morbum, ulcera *tonſillarum*; cutis, praeſertim ad marginem *capillitii*, *papulae corymboſae* in cruſtas et in ulcera cruſtoſa abeuntes, dolores *oſtocopi*, *exoſtoſes*.

SIGNORUM ENARRATIO.

In ſignis hujus ſtadii enumerandis, celeberrimi Profeſſoris Home, cum ob accurationem, tum ob calamum ſuum caſtum nitidumque, veſtigia meo preſſi pede:

* Vide Tom. I. p. 341. † Magna ex parte Culleni.

" Recrudeſcunt

"Recrudeſcunt omnia praeter gonorrhaeam ſymptomata localia, uti ulcuſcula in pudendis, tumores teſtium, bubones, tubercula penis et ani.

"Palatum, fauces, membrana Sneideriana infeſtantur inflammationibus, ulceribuſque cum albo et calloſo margine. Hinc deglutitio impeditur, oſſa carie eroduntur, raucitas ſequitur, anima foetet, et naſus ipſe corruit.

"Quando corpus in lecto incaluit, tunc oriuntur per totum corpus dolores atrociſſimi, lancinantes, dilacerantes, ſed praecipue in medio tibiae humerique; aurora appropinquante deſinunt, vel miteſcunt Aliquando tumor et ſuppuratio in locis dolentibus, aliquando nulla evenit.

"Cutis deturpatur maculis latis, rotundis, flaveſcentibus vel purpureis, ab omnibus aliis diſtinguendis Circa frontem et tempora et pilorum radices confertim haerent puſtulae ſcabioſae, quibus nomen Corona Veneris. In volis manuum, plantiſque pedum, apparent fiſſurae ichorem ſeparantes. In cute per totum corpus oriuntur inflammationes et ulcera, in latitudine ſerpentia, muſculos denudantia, pus viride-flavum, inſtar ſevi ſplendeſcens, ſeparantia, cum orificiis parvis, complanatis, pallidis.

"Glandulae diverſae infarciuntur, indurantur, tument in variis locis. Hae ſecundum varios duritiei gradus varia ſortiuntur nomina. A tendinibus, nervis, ligamentis oriuntur nodi, ganglia, tophi.

"Ab oſſibus elevantur exoſtoſes, acutiſſime dolentes, modo durae, modo molles, et in ſuppurationem tendentes. Oſſa ipſa carie tentantur, ulcera ibi foetida maligna producuntur. Medulla corrumpitur, graveolens acriſque devenit, et excitat graviſſimos dolores. Capita oſſium intumeſcunt cum dolore; inde anchyloſis. Oſſa nonnunquam fragilia ad minimum ictum, nonnunquam mollia, inſtar ſevi, deveniunt.

"Palpebrae inflammantur, ulcerantur; oculi caecantur ſuffuſione, ductus lachrymalis clauditur, et fiſtula producitur. In aurium penetralibus, inflammatio, abſceſſus, caries fit. Tympanum eroditur, et pus defluit; inde tinnitus, murmur, ſurditas.

"Functiones animales afficiuntur; corripitur aeger cephalalgia, hemicrania, vertigine, epilepſia, ſpaſmis, tremoribus, paralyſi. Vitales functiones labem ſentiunt; oritur dyſpnoea, aſthma, haemoptoe, tuſſis, phthiſis, palpitatio cordis, ſyncope, intermiſſio pulſus. Labefactantur quoque functiones naturales; appetitus nullus, digeſtio proſtrata, affectiones hypochondriacae, hydrops, obſtructiones, diarrhoea ſuperveniunt.

"Effoeto

" Effoeto corpore, pallet facies, adoritur febris hectica colliquativa, ulceribus graveolentibus tabeſcit; tandemque, poſt ſummos excruciatus, lenta et miſerrima morte perit.

" Foeminae ſua propria ſymptomata habent, viz. ſcirrhos, ulcera, cancros in mammis et utero; fluxum nimium vel ſuppreſſionem menſtruorum; abortum, foetuſque rubentes ſine cuticula."

Signa nunc pauca morbi infantes adorientis quodammodo propria, modo dictis ſubjungere operae pretium videtur; in his enim, quarta quaſi poſt partum ſeptimana, maculis quibuſdam rubicundis cutem, primo genitalium partiumque circumdatarum, illico autem totius fere corporis foedantibus, ſeſe manifeſtare ſolet.

DE LUIS VENEREÆ STADIO CONFIRMATO, TAM A SIGNIS VENEREIS LOCALIBUS, QUAM AB ALIIS MORBIS DISTINGUENDO.

In *diagnoſi luis venereae confirmatae* indaganda, obſervandum, inter varia ejus ſigna multa huic cum aliis morbis adeo communia eſſe, ut aliis certioribuſque non comitantibus, morbi pro certo diſtinguendi locus minime praebeatur. Hoc vero ex eo pendere videtur, quod huic aeque ac quibuſdam aliis *cachecticis*, has partes quas vitia priora tentabant prae aliis inficiendi, et morborum quibus hoc laborantes procliviores ſunt, ſpeciem prae ſe ferendi ineſt poteſtas. His ſecum reputatis celeb. ille Aſtruc ſigna in tria capita, *pathognomonica* nempe, *dubia*, et *commemorativa*, diſponenda duxit; quem ordinem, quantum intra hujus chartulae fines fieri poteſt, ſequendum putavi; obſervationibus enim accuratis omni contemplatione ſemota, ſuſtinetur.

Inter prima, aliquem ſanum, nullo, eodem tempore, vitio *locali* occurrente, inficiendi poteſtas merito annumeratur; ſic enim olim bene monuit Baerhaave, " Neque a non infecto vel non infecta eodem hoc morbo, unquam orta (lues) deprehenſa eſt." Eodem referuntur in mulieribus abortus frequentes, ſeptimum vel octavum circiter graviditatis menſem, citius aut paulo ſerius occurrentes, nulla eodem tempore cauſa cur eveniant apparente, vel quae tales prius induxerit; ita ut tanquam habitu inducto exorti non ſunt habendi; hoc etiam ex infantibus hiſce cuticula tenui et abraſa, ulceribuſque coopertis, veriſimilius fit. Huc pariter noxae variae, praecipue ulcuſcula venerea (ſhankers), *bubones* pertinaces in ulcera *mali moris* ſaepiſſime degenerantia, ut et teſtes tumidi et indurati, febre *acuta* minime comitante, cum multis aliis quamvis a labe initio

partem

partem ſolummodo corporis, nequaquam vero univerſum tentante, originem trahentes, modo tamen diuturniora evadant, vel ſemel amota iterum, nullo recenti contagio excitante, recurrant, referri debent. Maculae venereae, aeque ac alia cutem foedantia, dum nihil viri partes affectas recta attigerit, vitii etiam univerſi certiſſimis pro ſignis habenda. Has vero cutis foeditates ex natura ſua maligna ſyphilide oriundas dijudicare poſſumus; nulla enim cauſa videnda augeſcunt, nullaque anni tempeſtate evaneſcunt: Ex quibuſdam aliis ſignis venereis eas praecedentibus vel comitantibus: Ex ſitu; cum enim diu permanſerint, marginem utplurimum, vel etiam totum caput externum, *coronae veneris* ſpeciem pre ſe ferentes, occupant: Ex pruritu, ut in *lepra* accidit, illas nequaquam comitante: Ex cuticula, ſicut in *lepra*, laminis magnis majores ad articulos cubiti praecipue et genuum, non deſquamanda. In exemplis tamen, multiplicibus praeſertim, etiam his ab omnibus notis eruptionis naturam veram detegere difficillimum eſſe confitendum.

Ad hunc locum etiam pertinent ulcera *faucium tonſillarum*, *veli penduli*, et *palati*, *naſi*. Facile dignoſcuntur a ſcorbuticis ulcera faucium venerea; illa enim primo *gingivas*, haec vero rariſſime, donec *velum pendulum* eroſerint, adoriuntur. Specie etiam inter ſe multum diſcrepant ulcera; venerea enim profundiora, ad imum materia albicante vel ſubflava obducta, et ad oras calloſa; ſcorbutica autem parte ab infima in fungos eriguntur, ad oras vero livida et putrida apparent; corporis etiam totius habitus longe alius cum haec quam cum illa adſint: *aſtheniam* enim ſcorbutici fere ſemper, ſyphilitici vero nunquam, conqueruntur.

Dolores nocturni, modo ex labe venerea oriantur, inter ſigna morbi confirmati merito enumerari ſolent. Hi cum doloribus rheumaticis vel arthriticis minime confundendi; venerei enim media fere ſemper oſſa ſolidiora, *cranium* puta, *tibiamque* tentant; illi vero ſuperficiem propius ſedem vulgo tenent, articuloſque infeſtant, *podagra* minimos, *rheumatiſmus* vero majores. Dolores podagroſi praeterea per intervalla ſubeunt, et ſaepe cum ventriculi aliarumque partium debilitatis ſignis alternant; rheumatici vero muſculorum tractum ſequuntur, cum febre utplurimum incipiunt, genubus, aliiſque articulis tumidis, dolentibus, rubicundis cito ſtipantur, atque ab externa et plerumque evidente cauſa, frigore puta, oriuntur. Quidam vero dolores vagi, pauca de quibus poſtea dicenda ſunt, quamvis aegros quondam lue venerea diu multumque vexatos tentent, nequaquam tamen ſignum vitii venerei corpus adhuc infeſtantis habendi, potius vero partibus nimis facile irritandis tribuendi ſunt. Inter hos vero dolo-

reſque venereos veros diſtinctio ſatis facilis videtur; quamvis enim ambo noctu praecipue ſaeviant, falſi tamen calore lecti vel alio externo levantur, veri, e contra, calore externo augeſcunt, magiſque profundi, diuturni, et graves evadunt.

Inter haec ſigna etiam *nodi*, *tophi*, et *ganglia* utplurimum habentur, et facile ab aliorum morborum ſignis diſtinguenda videntur. Quaedam *tophis* ſimilia ex materia in *arthritide* depoſita oriri poſſunt; horum vero cauſa adeſt manifeſta, ideoque non eſt cur diverſa ab origine nata ſuſpicemur. *Nodis* autem et *gangliis*, ut nonnulli volunt, quaedam vi externa exorta ſpecie congruunt; ideoque ad ſigna comitantia animum intendere aliquando operae pretium eſt.

Exoſtoſis pro ſigno *luis confirmatae* certiſſimo, ſi nulla ab alia cauſa manifeſta vel noxa primaria appareat, ſemper habenda.

Hyperoſtoſis, quamvis ex labe venerea oriri detecta, luis inveteratae *pathognomonica* ſit, cum *rachitica* tamen, *ſcrofuloſa* aliiſque confundi poteſt. Rachitis vero infantes ſolos, totiuſque oſſa corporis eodem tempore tentat; hinc caput magnum anterius maxime tumens, coſtas depreſſas aliaque ſigna ſimul gignit. Origo ſua ex ſcrofula ſemper ad vitium vetuſtum, cujus alia ſigna ſedulo quaerenti cito apparent, referri poteſt. Scorbutus rariſſime hujus in cauſa eſt, niſi ad maxillae inferioris angulum, quo, ex vitio partium vicinarum ſibi communicato, nonnunquam oritur. Ab arthritide oriunda vulgo pedis digitos pro ſede agnoſcit, ſimulque concretiones calcariae aliaque ſigna arthritica adſunt.

Caries variis ex fontibus profluere poteſt; ad veneream autem tribuenda labem univerſam certe indicat. Ex *lue* vero, modo pertinace ab ulcere venereo exoriatur, vel nodum, medium cranium, tibiamve occupantem excipiat, genitam colligigimus: Si forte, ut nonnunquam evenit, extrema oſſa adoriatur, quamvis excitans *lui*, cauſa tamen praediſponens ſcrofulae, rite tribuenda eſt.

Abſceſſus oſſium interni (quos, ex doloribus partem cruciantibus abſque inflammationis externae indicio, horroribuſque *pus* intus exoriens ſedulo comitantibus, necnon ex veſpertina febre exacerbata, adeſſe ſuſpicamur), teſtante Aſtruc, quacunque ex irritatione inflammationem, eamque ſequentia, partibus in hiſce gignente, induci poſſunt; ad talia vero, cum referri nequeant nec ſcrofulae veſtigia ſe in corpore manifeſtant, nemini vitio vertendum ſi illos *lui* tribuat.

Fracturae ſpontaneae, vel ſaltem ex leviſſima quidem cauſa, quamvis ſcrofula, ut nonnulli volunt, vel ſcorbuto nonnunquam

quam exoriantur, nullis tamen horum ſignis morborum videndis, *lue* etiam maxime inveterata, exortae pro certo habendae.

Inter ſigna, duce Aſtruc, *dubia* poſita, quaedam *pathognomonicis* admodum affinia; alia vero adeo incerta ſunt, ut, *commemorativis* excluſis, *lue* habitum infeſtari credendi locum minime praebeant. Priora inter, quaedam oculos vexantia, et non raro *ophthalmiam*, quaſi ab aliis cauſis ortam ſimulantia, comitantibus ulcuſculis tuberculiſque palpebrarum, una cum *cornea* exulcerata, et, ex inflammatione ad *puncta lachrymalia* provecta, *fiſtula lachrymali*, utplurimum annumerari ſolent. Haec vero omnia, etiamſi quandoque venerea, et ex hoc fonte certo profluere comperta, certiſſima quidem *luis* ſigna, ſaepius tamen alia vitia pro cauſa agnoſcunt; ideoque, dum ſunt ſolitaria, non eſt cur morbum pro venereo habeamus.

Huc pertinent etiam organi auditus noxae, ſurditas puta, quam inflammatio, caries, abſceſſus externum vel internum *meatum auditorium* occupantes, comitari ſolent. Verum enimvero haec etiam caſu oriri, multoſque alios, quam noſtrum, morbos ſequi poſſunt; venerea autem ſtipant ulcera faucium, aliaque ſigna de quibus ante commemoravi. Nonne *tubae Euſtachianae* orae cohaerentes, quibuſdam in exemplis ſurditatis hujuſce cauſae evadunt? Hoc enim ut eveniat ex ulceribus vicinis ſaepe admodum neceſſe eſt, et quamvis ex periculis quibuſdam ab ill. Monro factis, hanc tubam in ſono tranſmittendo nequaquam directo inſervire, concludere liceat; ad organum tamen ſtatu in ſano ſervandum, eam non parum conferre ex multis conſtat; ideoque, ni fallor, hoc nonnunquam ſurditatis eſſe cauſam ſemper medicum in memoria habere oportet.

Capitis mala, qualia *cephalaea*, doloreſque *clavem hyſtericam* referentes, magis adhuc a *pathognomonicis* abeſſe videntur.

His etiam minore fide digni ſunt dolores vagi, qui nunc muſculos, nunc articulos, moleſtia afficiunt.

Phthiſis etiam, *febriſque hectica*, quamvis ex *ſyphilide* in longum provecta ſaepiſſime oriundae, hac tamen ſuper re omnino certiores nos reddere non valent; *lues* vero rarius adeo progreditur, nullis aliis et inter *pathognomonica* rite enumerandis ſeſe ſimul in lucem prodentibus.

Commemorativa inter, vel quae, memoria praeteritorum, ſpeciebus praeſentibus ſemotis, pendent, gonorrhoea, ut ante innuere contigit, nunquam non enumeranda, quamvis ſponte fortaſſe, nullo aegri periculo videndo, diu abhinc, ſed praecipue ſi ex injectionibus adſtringentibus ſubito abierit.

In inguine tumores, potiſſimum qui glandulas ſuperiores, in quas pro comperto habent anatomici genitalium lymphatica

ſeſe exonerare, infeſtarunt, ſumma egent indagatione, dummodo *hydrargyro* minime exhibito evanuerint, aegrumque nec tentarit his partibus carcinoma, nec alius qui tales excitarit morbus. *Bubones* etiam, quamvis ad *ſuppurationem* perducti, minime tamen habitum, ut quidam perperam crediderunt, omnino viri immunem conſervant. Licet enim venenum inflammationem glandulae excitans, de quo dubitari poteſt, hoc modo ex toto ſit effuſum, recordandum tamen vaſa abſorbentia, antequam glandulas ineant, ſe in ramulos, quorum alii glandulas adeunt, alii vero, et ii non raro majores, eas omnino praetereunt, dividere. Hinc, dum veneni altera pars glandularum inflammationem moveat, altera directo *ductum* ad *thoracicum* facile pertranſire poteſt; ideoque ad haec, aeque ac ad alia omnia ſigna, quae prius ſe obtulerunt, animum intendere operae pretium eſt. In morbi igitur praeſentia ſtabilienda, ubicunque titubare eſt, ſigna varia inter ſe componenda ſunt: Dum enim dubia per ſe attentionis parum merentur, ipſa etiam pathognomonica, commemorativis una aſſumptis, baſi adhuc firmiore ſtabilientur. Interdum ad medendi rationem, cui obſequitur malum, animus intendendus. Hoc celeberrimo Young obſervaſſe contigit; multis enim et validis, eo judice, argumentis obſtantibus, luem quibuſdam in aegris abortûs in cauſa fuiſſe, ut crederet adduci non potuit, donec mercurio, ad tempus uſque quo abortui ſubjici ſolebant, modice adhibito, eas graviditatis curſum complere deprehenderit.

C A U S Æ.

Nullum hujus morbi ſeminium naturale corpore in humano unquam exiſtere videtur.

Cauſas inter morbum venereum localem citiſſime in univerſum mutantes, ſunt omnia vel extrinſecus vel intrinſecus noxas locales irritantia vel citiſſime exſiccantia, mercurio eodem tempore non exhibito, qualia ſunt injectiones gonorrhoeam virulentam ſubito compeſcentes, bubonum repulſio *, ſtimuli varii ulcuſculis venereis admoti, cum multis aliis, quae nunc perſcribere longum eſt.

Cauſa proxima contagio ſpecifica eſt.

SIGNORUM EXPLICATIO.

A viro venereo in ſanguinem aſſumpto, et ſic totum per habitum meante, ſigna plurima facile deducenda; ſic enim variis ſecretionibus effunditur, et, quamvis totam per maſſam fluidorum diffuſum, effectus proprios edere non poſſet, varios

* Celeb. Home Principia Medicinae.

tamen

tamen ductus ad excernentes collectum, atque liquore ibi ſecreto ſolummodo ſuſpenſum, eorum inflammationem, et inde glandularum ipſarum, citiſſime inducit: Hinc cum muco faucium, naſi, &c. ſimul egeſtum hiſce in partibus ulcera oriri facit. Simili ab effectu glandulis in ſebaceis edito, puſtula et cutis ulcuſcula inducendi poteſtas exponenda. Quomodo etiam oſſa ipſa tentet hoc modo explicari poteſt; quomodo autem tibiam, craniumque prae aliis, atque haec media tantum, adhuc tenebris obrutum manſit. Fonte omnino ſimili profluunt oculorum noxae; aurium vero, vel ex viro cerumini commiſto, vel ex inflammatione vicinis ab ulceribus per iter a palato ad aurem recepta. Dolores veros, ex veneni partibus in affectis collecti ſtimulo, exponere haud abſurdum videtur; irritatio inde orta, ſi modo augeatur, tumores, exoſtoſes, tophoſque his partibus facile procreat. Doloris aucti ex aucto calore ratio reddi poteſt ex ſanguine inde extenuato, ejuſque impetu aucto; aut fortaſſe ex eo quod calor ſtimulo partium, vel propria ſtimulandi, vel eam quae viro aliter ineſt augendi poteſtate, addit aliquantum, ejuſque remiſſio mane verſus, partim legi corporis humani generali, partim vero tranſpirationi tunc temporis uberius fluenti, tribui poteſt. Compertum eſt enim, ex vaporibus quoquomodo productis, ignearum particularum multum conſumi; cum autem tranſpiratio ſola corpore in humano talem ob formam indutam poteſtati calorem gignenti repugnat, hinc, hac aucta, et exinde calore prius minuto, dolor levior evadat neceſſe eſt. Paroxyſmi epileptici, ſpaſmi, aliaque ſigna nervoſa, a cerebri compreſſione vel irritatione oriuntur.

PROGNOSIS.

Is eſt morbus de quo agitur, ut indiciis quamvis levibus vitii corporis univerſi ſtipatus, maxima tamen attentione ſemper mereatur; nunquam enim, quantum audire mihi quidem contigit, fauſtum ad exitum ſolis naturae viribus perducitur, ſemper autem in pejus ruit ad ultimum uſque finem: A prima enim origine venenum ipſius miteſcere nullatenus concludere licet, quamvis rariſſime quidem, eo laborantes tam miſeros quam olim fuiſſe dicuntur, nunc dierum videre eſt. Hoc autem potius ex morbi curſu hodie mature repreſſo, eo quod hydrargyri viribus, atque hujus morbi naturae dudum lux adeo affulſit, deducendum videtur. Nihilominus tamen inter hodiernos quidem exempla, quibus non ſolum febrem hecticam induxerit, ſed etiam cur crines et ungues deciderint in cauſa fuerit, invenire aliquando eſt.

Que

Quo recentior ſit labes, eo tutior. Quod ad aetatem ſpectat, juvenili minus incommodi quam ſenili vel aetati infantili adferre dicitur: Haec autem affirmatio, quamvis magni facta medicos inter antiquiores, plerumque tamen inter hodiernos minore attentione digna habetur; et fortaſſe ex mercurii in praeſentia exhibendi modo, cel. Young affirmantis lactentibus, quam aetate provectioribus, multo facilius mederi, ſententiae conſentire haud abſurdum videtur. Quoad ſexum, muliebris, Aſtruc judice, dummodo, ut decet, fluant menſes, virili anteponendus; an vero experientia, an hypotheſi cauſa de ultira fluxus hujuſce, duce, hoc in medium protulerit, haud meum eſt dijudicare; hoc tantum aſſerere liceat, gravidae ne abortum faciant nunquam non metuendum.

Laborantis ſtatum quam maxime conſideremus; ſi enim, ſimilem ob cauſam, antehac ſaepenumero mercurius fuerit adhibitus, praecipue autem ſi eodem tempore quo lue, ſcrofula etiam, ſcorbuto, vel quibuſdam ex neuroſibus dictis tentetur, ſemper eſt quod dubitemus; non deſunt enim exempla quibus haemorrhagiae ſcorbuto, animi deliquia neuroſibus, luem comitantibus, aegrum, mercurio adhibito, citiſſime e medio ſuſtulerunt. Inteſtina praeterea totumque corpus fracti ad diarrhoeam adeo proclives ſunt, ut antidotum hanc ſemper, fortaſſe aucta ſucci pancreatici ſecretione, exacerbans, morbum aegre evincere poſſit. Quo pejora ſigna ſecum adfert, eo majus morbi periculum. Nunc vero dierum rarius aegris eſt exitio; hoc tamen ab lamellae cranii internae exoſtoſibus, durae matris gummatis, fortaſſe etiam cerebri ipſius ſuppuratione vel ſcirrho, cephalaeis gravibus et diuturnis, paralyſi, epilepſia, &c. comitantibus, quibuſdam obſervaſſe contigit. Si (forſan in praediſpoſitis) pulmonibus inſederit, hiſque tubercula vel vomicam, et inde febrem hecticam, incitaverit, ſi ex viſceribus obſtructis hydrops ſeſe manifeſtarit, ſi carcinoma uteri, vel medulla oſſium corrupta ſubfuerit, ſemper in anguſto ſpes eſt: Phthiſis ex ſyphilide autem, exitum rarius lethalem, quam quacunque ab alia cauſa profluens, affert.

Nonnulla inveniuntur ſigna mercurio non vel minime quidem cedentia, imo potius exinde exacerbata: Hujuſmodi ſunt gonorrhoea non virulenta, ex eventu pertinaciſſima nunquam non habenda, urethrae conſtrictiones, ſtranguriae, ſaepiſſime etiam cephalaeae, cutis mala, doloreſque nocturni, et nonnunquam perioſtei etiam noxae, nodi dicti. Haec omnia autem medicamentis aliis quodammodo obediunt; proxime vero enumeranda vix ullis adhuc compertis cedunt, quod ex textura partium deleta plerumque oriri videtur: Talia ſunt teſtes chordaeque ſpermaticae indurata atque tumefacta, longum

per

per tempus poſt inflammationem initio ea comitantem amotam perſtantia, et quaedam oſſium mala, hyperoſtoſes puta, et exoſtoſes magnae, ulcera quaedam venerea etiam, quamvis minime ſpeciem mali moris prae ſe ferentia, carcinoma tamen pertinacitate ſaltem adeo referunt, ut nulla adhuc inventa progreſſum vel minime ſiſtere poſſunt. Hujuſmodi mihi exemplum in noſocomio Edinenſi unicum, miſerrimum quidem, ſpectaſſe contigit. Plura autem in Actis Medicis Londinenſibus retulit clarus ille D. Monro; quibus ex omnibus manifeſtum videretur, hydrargyrum, quantitate nimia adhibitum, ad haec gignenda maximum contuliſſe.

MEDENDI RATIO.

Mercurium, princeps illud remedium, initio fere morbi in Europa graſſantis uſurpatum, ab antiquioribus colligere poſſumus; ex hydrargyri enim virtute in aliis corporis externi morbis etiam tunc temporis bene nota, facilis erat propter morborum ſimilitudinem in luem veneream tranſitus. Medici vero rationales mercurii naturam parum calluerunt, utpote quorum unguentum quadrageſima vix hujus parte conſtabat; contra autem empiricis vires ejus nocivae adeo non curae fuerunt, ut ab his tractati ſemper habitus fracti evaſerint, quinimo ſaepe e medio ſublati fuerint; ab illis vero vix ullum quidem morbi levamen adepti. Hanc ob cauſam, ad modum rationalem habitum a multis confugitur, quo, regimine antiphlogiſtico, evacuantibus atque detergentibus, ut vocabant, longum quidem per tempus adhibitis, morbum depellere conabantur; hinc hydrargyrum omnino fere oblivione exinde aliquod per tempus obrutum, et rerum variarum terris a longinguis allatarum laudes tam avide receptas fuiſſe, non mirum videtur. Quum vero nec lignum guaiacum nec radicem chinae, nec etiam ſarſaparillae, ſola metam optatam attigiſſe *, triſti admodum ab experientia compertum eſt, iterum ad mercurium confugiendum cenſuerunt, modumque aliorum inter temeritatem aliorumque timiditatem ſectantes, dotes ejus, hoc ſaltem in morbo, ſtupendas demum in medium protulerunt. Abhinc itaque morbi extirpandi remedium fere unicum remanſit †; timore autem aliquandiu interne non adhibuerunt. Chemia

* Lobelia ſyphilitica, quamvis Americanos inter morbum pellere fertur, noſtro tamen coelo fortaſſe etiam inutilis foret. Gratiola, nuper Vindobonae multum laudata, fortaſſe vix majore attentione meretur; hoc vero cel. Profeſſori Home, ſuis in clinicis experimentis, decidendum relinquo.

† Nunc ſaltem dierum unicum, re vera, eſſe videtur; medicamenta enim omnia, quae empirici falſis nominibus quotidie venditant, mercurio praecipue conſtare

Chemia tamen tunc temporis adeo rudis erat et inculta, ſcientiaque unde hydrargyri in corpus humanum agendi poteſtas pendet tam anguſta, ut formis variis torſerint, et brevi formulam periculis propriis compertam prae aliis quiſque laudibus cumulaverit. Harum autem, ne longum foret, nec partem aliquam recenſere, nec de ipſius operandi modo lites dirimere juvat: Numne ſcil. ſtimulandi, ac proinde evacuandi vi, luem ſubmoveat, an virus mercurio commiſtum iners exinde evadat, vel in corpus introductus neceſſe ſit, hydrargyrus partibus in affectis colligatur, et eventus locales ſolummodo edat, vel, denique, ſtimulo proprio viri ſtimulum obtundat, vel etiam quomodo prae aliis glandulas ſalivam excernentes petat: Nemo enim mihi vitio vertere poteſt, ſi, cum celeb. Profeſſore Monro, " Nullius addicto jurare in verba magiſtri," afferam, hujus rei rationem nunquam nos reddituros, donec quare bilem ſemper, nunquam vero ſalivam, excernat hepar, invenerimus.

Huic morbo medendi conſilia nunc ponenda haud inutilia exiſtimavi:

1mo, Veneni corpus afficientis viribus occurrere.

2do, Iis quae progrediente curatione oriantur, et ſignis morbi ipſius quibuſdam ire obviam, vel eadem amovere.

3tio, Morbum ſequentibus, poſt vim viri omnino deletam, ſuccurrere, quantum medici eſt, quantumve patitur partium textura ſuperſtes.

Ad horum primum praeſtandum his in regionibus, nunc fides nulli remedio praeter mercurio habetur; quippe qui ſolus, vel ſaltem regimine apto * ſimul conjuncto, exemplis in omnibus, quibus uſui ſuo commodo nil omnino obſtat, mor-

conſtare videntur; ſyrupus enim vegetabilis Velno cujuſdam multis in exemplis ſalivationem incitavit, atque Rob Antiſyphiliticum apud Pariſios multum laudatum, ex mer. ſub. cor. muco vegetabilium melleque obducto, periculis hunc in finem factis, confici invenitur.

* De regimine inter huic morbo medendum uſurpando, multum inter ſe diſcrepant medici; dum enim alii ſuos aegros frigus externum, diaetam lautam, vinumque omnino fere evitare jubent; alii, e contra, haec omnia, frigore excepto, curationem multum adjuvare, frigusque ipſum hanc vix tardare, contendunt. Inter hos quidem lites dirimendi nec tempus nec locus eſt. Obſervatu vero non indignum videtur, diaetam pro morbi ſignis variari debere; quis enim ſanus, aegris debilitate ſumma exinanitionibuſque colliqueſcentibus fere confectis, tenuem, vel plethoricis robuſtiſque, quibus mercurius ad inflammationes proclivitatem ſemper adauget, athleticum victum, unquam praeſcriberet?

De frigore evitando, pauca poſtea dicturum, nunc in hoc vix animadvertere juvat. Ex obſervationibus vero bene multis, regimen, ab empiricis praecipue, nonnulliſque medicis rationalibus ſingulares ſe reddend' ſtudio, nimis neglectum, ad dolores nocturnos graves, ulcera pertinaciſſima, aliaque ſigna diriſſima, poſt mercurium larga quantitate aſſumptum, ſuſtentanda, vel etiam producenda multum facere, tenuemque, ni aegri debilitas, &c. vetet, diaetae pleniori utplurimum praeſtare concludere adducor.

bum

bum abigere poteſt. Quaedam vero res aliae, poſtea memorandae, operationi ejus non parum opitulantur.

Hoc vero in remedio praeſtantiſſimo exhibendo, quanto ſalivationi praeſtat modus per extinctionem dictus, nunc memorare, ſupervacaneum videtur: Hoc ſaltem obſervare liceat, multos lue confirmata atque admodum inveterata fere confectos, hoc ſanitatem priſtinam recuperare, illo vero habitus labefactos exinanitioni neceſſario ſuccumbere, vel, morte vix evitata, vitam per ſignorum nervoſorum catervam, comites medendi rationis hujuſmodi non minus frequentes quam moleſtas, teſtante ill. Gregorio patre, degere vexatam.

Argenti vivi praeparata tria ad capita redigi ſolent (crudum enim corpus intrare nequiſſe omnibus bene notum). Horum mitiſſima ſunt, quae corpus permeandi poteſtatem ex tritura accipiunt. His lenitate ſecunda ex metallo in calcem reducto fiunt. Poſtrema acerrimaque * ſales mercuriales comprehendunt. Ex his tribus claſſibus varii variis praeparationibus, quarum aliae externe, aliae vero interne adhibendae, laudem tribuerunt; adeo ut vix dici poſſit, quae cui palmam praeripuerit; tam vero ob morbi formam nonnunquam indutam, quam ob aegris quibuſdam peculiaria, aliae aliis aliquando anteferendae ſunt.

Quando curam in mercurio extinguendo adhibitam juſtam fuiſſe conſtat, pilula pharmacopoeiae Edinenſis votis bene reſpondet Huic tamen quaedam objici poſſunt; ex pharmacopolae enim induſtria vires ejus omnino fere pendent. Porro, exempla ſaepenumero in morbi ſtadio de quo agitur videre eſt, quae medicaminis quantum ſine diarrhoea inducta exhiberi nequit, exigunt. His in omnibus, unguentum mercuriale huic anteponendum, inter plurimos conſtat; quippe quod citius ſaturat, morbumque aeque ac ullum aliud certe depellit: Unguentum tamen ipſum, cum ob negligentiam, tum propter materias irritantes ſaepiſſime ad metallum extinguendum adhibitas, male confici etiam poteſt. Praeterea, hic modus ſemper non parum curae, ne ſubito oriatur ſalivatio, meretur. Cum autem hanc rationem aliis anteferendam ſtatuerimus, animum quibuſdam ſequentibus intendendum videtur: Si per otium liceat paucos ante dies, quam ſe inungere incipiat, balneum in tepidum aegrum deſcendere oportet; hoc ſemper in noſocomio Monſpelienſi morbo noſtro laborantibus, et, quantum mihi ſcire contigit, exitu etiam feliciſſimo, ſuadere ſolent: Sic citius certiuſque remedium vaſa abſorbentia inire

* Haec affirmatio certis finibus coarctata intelligi debet, ſicut poſtea demonſtrare conabimur.

invenitur, et fortaſſe paulum ad diarrhoeam praecavendam conducit. Omnibus praecipue inteſtina debilitatis frigus externum evitare convenit; quamvis enim non eſt cur cubiculi temperies tam calida eſſet, quam medicis praeſertim antiquioribus placuerit; nihilominus tamen, frigus quoquomodo admiſſum mercurio introducendo non minus obſtare, quam jam vaſa permeantem ad inteſtina adigere, recordandum; unde aeger debilis medicamentum vero inutile evadunt. Hujuſmodi exemplum ill. G. Huntero videre contigit: Juvenis diu empiricorum dolis lactatus, tandem totum corpus adeo fractus erat, ut leviſſima quidem cauſa diarrhoea ſanguinolenta vexaretur, vixque ulla patrio coelo revaleſcendi ſpe amplius relicta, tandem Luſitaniam adire ſtatuit; caſu autem Hunterus obviam factus, audito ejus dolore, ne in itinere perſiſteret, ſuaſit, et mercurio per cutem tranſiniſſo morbum depellere tentavit: Semper autem, diarrhoea gravi excitata, donec induſiis laneis aeger circumdatus, atque ſemper in lecto decumbens cito exinde convaluit. Hinc laneam ſubuculam non parum ad ſanitatem recuperandam facere, rite concludere licet. Frictio eandem ad partem longum per tempus nunquam peragenda; hoc enim vi abſorbenti maxime adverſum; quippe cutis ſpiracula ſic obturentur neceſſe eſt; ac ſi cel. Cruikſhanks, vim abſorbentem ex ſtimulo ad vaſorum lymphaticorum oſcula admoto pendere, conſentire liceat, hujus rationem alteram facillime reddere poſſumus: Omnibus enim bene notum eſt, quo longius aliquid fibram eandem muſculoſam ſtimulat, eo tardius, caeteris paribus, eam ad actionem excitare. Singulis vicibus ſedulo peragenda frictio; exinde enim certius res ex ſententia cedet. Induſia lanea totam per curationem, ni aliquid improviſum vetet, rarius mutanda; ſic enim aeger ad frigus contrahendum minus proclivis evadet. Talia ſunt praeparata leniſſima inter prae aliis vulgo adhibita, et ab antedictis non eſt quin concludamus, pilulam * utplurimum unguento praeſtare, quippe quae minus incommodi ſemper ſecum adfert.

Praeter has vero, et alia praeparatio multum meritoque celebrata, qua nempe argentum vivum ſolutione gummi Arabici tritum, ab ea ſuſpenſum retineatur, adhuc animadvertenda reſtat: Haec quidem morbo in extirpando nulli ſecunda; ac ſi unquam medicamenti, quo utuntur, naturam ab aegris ce-

* In mercurio ad maſſam pilularum formandam extinguendo, teſtante cel. Beaume, pulvis crem. tartar. mercurii quantitate dimidia melli conjunctus, non parum adjuvat, ipſiuſque ſententiam ex periculis quibuſdam a me factis credere adducor.

lare

lare haud inutile ſit, hac formula ſine ullo incommodo morbus fauſtum ad eventum jucunde citoque perduci poteſt.

Quoad caput ſecundum, quamvis Londinenſium quamplurimi mercurium praecipitatum per ſe non parvi aeſtiment, quomodo tamen caeteris praeſtat, nunquam mihi adhuc innotuit.

Claſſis ultima, etſi ſupra acerrima dicta ſit, illa tamen affirmatio quibuſdam tantum exemplis pro rata habenda; quantum enim ſcio, ſal ex acido vegetabili et hydrargyro factus minime ad illam tendit confirmandam. Hujus autem claſſis praeparatio uſitatiſſima, ex acido muriatico metallo conjuncto fit. Haec propter vim, etiamſi mitioribus in exemplis rarius uſurpanda, quibuſdam tamen omnibus aliis antecedit; etenim, ex ejus prae aliis totum corpus ſtimulandi poteſtate, multo aptior ad fluida ſuperficiem verſus propellenda videtur, quippe modo exinanitione eventus proſperos mercurius edat, exitum viro commodiſſimum ſic patefacit; utrum vero ſic agit necne, iis aegris quibus ſuperficies hoc morbo praecipue conſpurcetur, ut in ſpecie Sibbens dicta videre eſt, hujuſmodi effectus utcunque ſalútiferi exiſtimantur: In hoc autem adhibendo, eventus tales, non niſi frigore externo defenſo, talique ſuperficiem verſus proclivitate recte ſervata, ſperandi. Hunc ad finem, balneum tepidum petat aeger, largiſque ſe liquoris diluentis cujuſdam hauſtibus ingurgitet. Hic autem monendum, mercurium ſublimatum corroſivum, propter fluidi naturam quo ſuſpendi ſolet, ſaepiſſime fallacem; aqua enim et ſpiritus ard. acidi aliquid ſemper ſubtrahunt, ac proinde neque medicamenti portionem aſſumptam neque eventus ejus pro ratis habere poſſumus. Hoc inclytum Cullenum non fugit; ideoque ſale ammoniaco crudo ſimul cum ſublimato corroſivo aqua ſoluto praecavit; formula haec aliarum omnium mihi ſaltem cognitarum, longe praeſtantiſſima ex ſolutione gummi Arabici, vel quodam decocto communi portione ſingulis diebus, quanta ſemigranum * ſalis mercurialis ſuſpenſum teneat, accipi debet. Acidi muriatici guttae aliquot, etiam mercurium ſub. cor. magis ſolutu facilem reddunt; medicaminis vero doſis nequaquam hic tam certe ſtabilire poteſt, ac ſi ſal amoniacus uſurpatus fuiſſet.

Turpethum minerale nunquam, niſi pro emetico, interne adhibitum mihi contigit vidiſſe; ſed, ex obſervationibus quibuſdam, hanc praeparationem etiam interne ad morbum venereum medendum aſſumi poſſe conſtat †.

Quaedam aliae ſaepiſſime uſurpatae ſilentio nequaquam

* Hanc medicamenti portionem ex larga apti vehiculi quantitate, partitis vicibus, aſſumi debere, monendum videtur.

† Vid. Med. Eſſ. vol. iv. Lond. Med. Obſerv. vol. i.

praetereundae, et hoc ſub capite praecipue memorandae, quippe quae ſales referre quodammodo exiſtimantur: Nunc vero ex multis quidem, duos tantum calomelana ſcilicet et mercurium praecipitatum cinereum * expendere ſufficiat. Harum prior, quamvis inter noſtrates, Dublini praecipue, etiam ad ptyaliſmum excitandum prae aliis uſurpata; ad alvum tamen dejiciendum, utpote ſolutu difficilior, potius quam effectum alium producendum, apta videtur; poſterior vero omnino fere ex tritura factis ſimilis habetur, quibus autem eventus minore quantitate et certius edendo praeſtat, ita ut cel. Saunders, periculis quam accuratiſſimis factis, gr. xii. hujus praecipitati, drachmam argenti vivi in gummi Arabici ſolutionis drachmis duobus extinctam, viribus aequare repererit; axungiae vero commiſtum unguentum fortaſſe praeſtantiſſimum conficeret; gummi autem ſolutione vel ſyrupo ſuſpenſum infantibus, omnibuſque quibus medicamenti adhibiti naturam patefacere nolumus, valde convenit.

Praeparatis ſaltem praecipuis nunc leviter tractatis, ſummatim obſervandum, quodcunque ex iis utendum videatur, hoc, non niſi pulſu pleno duroque, gingiviſque, ſapore quodam metallico excitato, teneris redditis, eſſe derelinquendum (utrum vero exinanitionem ullam ſenſibus perſpicuam eodem tempore commode incitaret, adhuc ambigitur †), et nequaquam, niſi ſignis viri corpus afficientis omnino depulſis, ex toto ſiſtendum, quorundam vero mercurio minime cedentium, ideoque uſum ejus amplius ſervandum nequaquam indicantium, ratione ſemper habita; haec enim, licet a viro initio inducta, nihilominus tamen quoddam poſt tempus ab eo minime aluntur.

His omnibus praedictis ſedulo obſervatis, et regimine antiphlogiſtico nihil ex inproviſo vetante, ſimul adhibito, omnibuſque non-naturalibus ad artis normam ſervatis, rariſſime ſpe excidemus.

Altera mercurii in corpus humanum introducendi ratio nuper edita calamelanos frictionem internam ad malam complectitur. Huic a cel. Huntero, aliiſque ingenio doctrinaque inſignibus non parum collaudatae, talem nequaquam obtrectare decet. Pauca tamen hic ſubjungere liceat; modus enim et praeparatio uſurpata habent ſua quaeque incommoda; ex eo quod nullum ſit certum indicium mercurii ſatis eſſe in corpore, donec gingivas parteſque circumdatas afficere incipiat: Hujuſmodi autem medendi rationem hoc indicium omnino fere nobis praeripere, ſatis nuper traditis conſtat; ſtatim enim praeter auctam ſalivae excretionem, ob ductus in ſalivales actionem directam jure timendam, os fere totum te-

* Nigricantem potius. † Fordyce's Practice of Phyſic.

nerunt

nerum reddidit. Quoad medicamentum ipſum, utpote ſolutu difficilius, aliis praeparatis longe ſecundum videtur. Si hic propriam ſententiam in medium proponere liceat, mihi ſalem, ex metallo acido vegetabili conjuncto, compoſitum caeteris multum praeſtare videatur; acerrima enim inter mitiſſimum evadit, ſalibuſque omnibus non perfectis ſolvendi facilitate antecedit.

De mercurii vaporibus utendis, pauca admodum nunc dicere juvat; hunc enim medicamenti adhibendi modum ad morbum venereum medendum nunquam, et ad ſigna quaedam ejuſdem amovenda rarius, uſurpatum mihi contigit vidiſſe. Auctores praeterea vix aliquid narratu dignum hac de re nobis ſuppeditarunt. M. Lalouette de fumigandi uſu ex profeſſo nuper tractaſſe fateor; praeparatio autem aliis omnibus ſe judice praeſtans, adeo paratu difficilis videtur, ut vix ullum medicamentarium, qui medici juſſa in hac praeparanda exequeretur, inveniendum ſperarem; argumenta vero quibus Lalouette hunc aliis fere omnibus mercurii adhibendi modis praeſtare comprobare conatur, adeo experientiae repugnant, ut quin refutentur vix legi poſſint: Teſtante inſuper Aſtruc, unguentum etiam ad ſalivationem uſurpatum, ſemper modo de quo agitur tutius jucundiuſque, ideoque quando ſalivatio ſummis viribus praecavenda ſit, multo magis evadet. Hinc mercurii vapores, niſi ad ſigna quaedam, ulcera pertinaciſſima puta, quae nonnunquam, aliis modis deficientibus, mirifice ſanant, lavanda, vel ad morbum ipſum paucis in aegris, quibus, propter quaedam peculiaria, aut mercurium ante ſaepiſſime adhibitum, formulae uſitatiſſimae nihil proſunt, extirpandum, nunquam uſurpandas concludere licet: His vero in exemplis cinnaberis fortaſſe praeparationem a Lalouette laudatam viribus adaequabit.

Mox ad ſecundum conſilium progrediendum: Antequam vero ad rem perveniatur, exempla omnia huc pertinentia praecavenda, potius quam amovenda, obſervatu dignum videtur; itaque inflammationi, ptyaliſmo, haemorrhagiis, et diarrhoeae ire obviam, potius quam ingruentia mitigare, oportet Inflammationi vero, forte temere accerſitae, diaeta tenui, ſanguinis detractione, et alvum moventibus, ſemper autem caute adhibitis, ne inteſtina debiliora vel nimis irritabilia, et exinde mercurii viribus praecipue opportuna evaderent, medetur; fauces inflammatione, ut ſaepiſſime evenit, prae aliis partibus tentatas, panno laneo tegi, et oleo volatili, vel ex rubefacientibus quodam alio, perfricari ſemper utile.

Haemorrhagiis ſiſtendis propria ad remedia confugiendum. Salivationi, utpote ſubortae amotu difficili, praecavere ſtudeamus,

deamus, mercurio paulatim inferendo, et omnibus, quae vel glandulas ſalivales, vel earum ductus excernentes, ſtimulent, nec non ſtimulantibus generalibus, frigori puta (id enim non minus quam exceſſus alter, propter totum corpus tunc temporis irritabile, effectum talem ſaepeadmodum edit), occurrendo; a mercurii uſu paululum abſtinendo; denique, aegrum ab aere, induſiis, ſtragulisque vaporibus metallicis onuſtis, quam citiſſime amovendo. De hujuſmodi aeris poteſtate, ex quamplurimis in noſocomio Monſpelienſi obſervatis ſatis conſtat; omnes enim lue tentatos, ſed praecipue debiliores, vel eodem tempore ſcorbuto laborantes, conclavia in arcta receptos, nihil etiamnum mercurii adhuc ingeſto, corripuit ſalivatio. Ptyalyſmum, hac licet cura adhibita exortum, alvum moventia, et praecipue ſulphur quibuſdam in exemplis, cito compeſcunt Ad hunc finem pariter multum conferunt epiſpaſtica; ſedantia etiam, quorum camphoram praecipue, multi laudarunt; ita ut unguentum ex hujus ſcrupulis duobus et uncia una unguenti mercurii fortis confectum, apud Pariſios iterum iterumque adhibitum, nunquam fere, etiam irritabilioribus, ſalivae excretionem auxiſſe feratur: Haec tamen inter remedia nulli ſatis confidendum; compluribus enim in exemplis ſecretionem auctam lenire tantum, vix autem coercere poſſumus. Cum vero ita ſe res habeat, judice ill. Geo. Fordyce, his in omnibus ſuum ſalivationi arbitrium, mercurio ut ante modice adhibito, permittendum.

Ad diarrhoeam compeſcendam, quae ſuperficiem verſus dirigunt praecipue conveniunt, qualia anodyna antimonio conjuncta, quae, debita per intervalla inter mercurio utendum uſurpata, vel etiam mercurio ipſi commiſta, tale ſignum, quo minus longius progrediatur, ſemper fere impediunt. Si vero unquam eſt quod, praeparationem internam, nulla fluidorum inteſtina verſus proclivitate inſolita, cauſam excitantem ſuſpicemur, ejus tunc vicem optime ſupplebit extrinſecus appoſita.

Inter morbum ſequentia, pauca admodum, ne longior ſim, referre licet. Primo vero de gonorrhoea benigna quaedam differere ſtatui: Aliquid huic ſimile ulceratis organis urinae ortum ſaepe invenitur; hoc autem ſemper ſtipant ſigna pejora, citoque vera ipſius natura ex eventu deprehenditur. De quo autem nunc agitur omnino, ut videtur, debilitate, nunc totum habitum, ſaepius vero et praecipue glandulas urethrae mucum ſecernentes tentante, pendet: Morbus utplurimum ſine ullo incommodo diu perſtiturus, ſemper quidem natura pertinax, et non raro medicinae opprobrium, aegrum nonnunquam pedetentim de medio tollere dicitur. Ad hunc amovendum, varii varia celebrarunt; inter omnes vero, tonica

nica multum prodeſſe, conſtat: Haec inter eminent exercitatio modica, diaeta plena, cortex Peruvianus, merum, balneumque frigidum *, omnia etiam corpus debilitantia evitare prodeſt.

Superius memorata, utpote corpori univerſo vigorem priſtinum reſtituentia, inutilia non ſunt; ſtillicidium vero, etiam ſanitate optata reſtituta, partium debilitas non raro ſuſtentat. His in exemplis, ad remedia has partes ſtimulantia, quorum alia externa, alia vero interna, confugi ſolet. Priora inter injectiones aſtringentes atque ſtimulantes recenſendae. Inflammatio etiam partium equitatione vehemente, contagio recente, ſimilibuſque cauſis proveniens, nonnunquam morbo mederi dicitur. Inter poſteriora, non parvi nominis ſunt balſama vegetabilia nativa, quae veſicam urinae parteſque vicinas ſtimulandi vi eventus edere videntur †; ſimilique ab actione, tinctura cantharidum praecipue prodeſt ‡ Haec tamen omnia acerrima remedia cautiſſime, vel nunquam fortaſſe, niſi tonicis deficientibus, adhibenda ||.

Alia non rarius hunc morbum ſequentia ſunt dolores noctu graſſantes, oſſaque torquentes, quos ſaepiſſime perioſteum tumidum induratumque comitatur. Haec, experientia duce, cortici radicis Mezerei cedere praecipue inveniuntur: Nec deſunt magni quidem nominis, qui hoc medicamentum, poſt mercurium quantitate debita aſſumptum, nunquam fallax ſtatuunt. Hucuſque ſub decocti formam Mezereon aſſumere mos erat; attamen corticis pulvis (cel. Duncan teſtante) aptius votis reſpondere videtur: Hujus virium ſic adhibiti exemplum inſigne non ita pridem mihi vidiſſe contigit; aegrum enim omnino fere graviſſimis doloribus nocturnis nodiſque liberavit. Cum autem ſigna eadem, ex medicamento debito citius neglecto, iterum rediiſſent, iterum ad Mezereon, quod celeriter dolores nunquam poſtea reverſos abegit, confugitum. De ipſius tumores alios induratos amovendi poteſtate, experimentis a celeb. Home in noſocomio noſtro ſuſceptis, ſatis conſtat §; ideoque praeter nodos aliis hujuſmodi tumoribus non parum ſolatii exinde ſperandum. Corticis vero in pulverem redacti pauca tantum grana, ergo non niſi in vehiculo exhibenda. Ad hoc glycyrrhizae pulvis bene inſervit; cum autem ſarſaparillae pulvis nuper inter Londinenſes magni eſſet, ex eo quantum utilitatis fieri poteſt

* Teſtante vero Geo Fordyce, hoc interdum profluvium adauget.

† Vid. Home's Clinical Experiments. Quibus aegri exemplum narrat auctor, cui ol. tereb. ſtranguriam induxit.

‡ Scintillae electricae ex urethrae tractu elicitae hoc in caſu multum a cel. Duncan laudantur.

|| Vid. Tom. I. p. 349. § Vide Clinical Experiments.

amplectendum,

amplectendum, ideoque illi hic anteferendus. Interea diluentia nequaquam aſpernanda.

Balneum tepidum, ſed praecipue vaporis, maxima etiam vi pollet; quibuſdam enim in exemplis, cum eruptiones cutaneas, tum dolores nocturnos, venerea, poſt Mezereon ſine commodo adhibitum amoviſſe fertur. In doloribus vero vagis, partibuſque nimis irritabilibus pendentibus, amovendis, cicuta larga manu adhibita omnibus aliis remediis longe praeſtare videtur *.

Faucium ulcera gargariſmatis, tam adſtringentibus, quam ſtimulantibus, ſananda, atque ſic aerugo aeris his vulgo adhibitis, non ſine maximo commodo adjungitur; hic quoque mercurii ſub. cor. ſolutio multum facit.

Ulcera fere omnia, quacunque corporis parte, modo magna, cortice Peruviano non parce, ſimul cum mercurio, adhibito, tractanda ſunt. Eadem quoque ratio omnibus lue et ſcorbuto ſimul laborantibus, regionibuſque calidioribus degentibus, teſtante celeb. Clark, praecipue convenit. Mezereon ulceribus internis medendi virtute nunquam negligendum; e contra, decoctum pro potu communi ſemper commodiſſime adhiberi poteſt.

* Home Praelect. Clin.

DE SCIRRHO ET CARCINOMATE.

AUCTORE F. HOPKINS.

HISTORIA MORBI.

PARTES corporis huic morbo magis obnoxiae ſunt glandulae, quarum nomine intelliguntur corpora ita conſtructa, ut vim habeant tranſmutandi, et poſtea ab maſſa ſanguinis ſecernendi, varia et diverſae naturae fluida, quae huic immixta reperiuntur, et quae, poſt ſecretionem, vel penitus a ſyſtemate eliminantur, vel iterum in ſyſtema relabuntur: Cujus generis ſunt urina, bilis, cum caeteris quamplurimis.

Quandoquidem internae haud minus quam externae corporis partes glandulis ſint obſitae, ſequitur hinc, has etiam in eoſdem morbos eſſe proclives. Quapropter, enumeratis phaenomenis, quatenus haec ſenſibus externis ſunt obvia, nonnulla deinceps ſigna recenſebimus in medio poſita, quibus liceat de

praeſentia

praeſentia carcinomatis, quatenus interne lateat, veriſimili ſaltem ratione judicare.

Hic morbus praecipue infeſtat oculos, nares, labia, feminarum mammas et axillas, quaſdam inguinum partes, teſtes, penem, &c. et eas denique partes ubicunque glandulis maxime ſcatent. In his aliiſque partibus viſui et tactui obviis, primo quidam nodulus *, piſi vel nucis avellanae molem adaequans, percipitur. Hujus figura ſubrotunda; motu quodam orbiculari ſupra eas quas obſidet partes circumvolvitur, vel potius partes ipſae circa moleculae ſuperficiem undequaque moveri ſentiuntur; duritiem firmam et quaſi corneam plerumque obtinens, nullum fere doloris ſenſum excitat: Et haec moleculae conditio per menſes ſaepe et annos, interdum etiam uſque ad obitum, durare obſervatur; ſaepius tamen accidit ut aliter res eveniat. Sine dolore molis magnitudo augetur; vix autem quid incommodi aeger a ſcirrho patitur, ni caeteroquin ſanitas laeſa fuerit, donec paulatim, mole multum adaucta, vaſa, nervi, et glandulae vicinae comprimuntur, unde non ſolum induratae partis functiones laeduntur, ſed, aliis quoque partibus laeſis, et a ſcirrho compreſſis, hae quoque in officiis ſuis impediuntur. Hoc modo primum ſuum ſtadium percurrit hic morbus †.

Carcinoma futurum antevenit pruritus quidam ſenſus, cum levi dolore in parte affecta, cui ſuccedit calor, et aliqua quaſi puncta circa locum ſentiuntur, cum doloribus certis intervallis redeuntibus. Tandem tumor creſcens colorem rubicundum ac nitentem induit; et quo magis hic tumor inturgeſcit, eo magis cutis tenditur.

Jamque omnia ingraveſcunt ſymptomata. Dolores, qui prius lenes et moderati fuerunt, fiunt indies acerbiores, et diutius commorantur, et nunc pungentes, fodientes, pulſantes, acres, urentes, et, ſub finem, fere intolerandi evadunt. Color partis morbidae primum non multum variatur; mox vero rubicundus, lividus, vel etiam nigreſcens fit. Varicibus ſimiles venae circumpoſitae tumeſcunt, rigeſcunt, et liveſcunt: Circa tumentem partem quamplurimum inflantur, et quaſi recurvatae apparent.

Supra vel juxta primariam intumeſcentiam haud raro minores cernuntur tumores. Glandulae vicinae etiam intumeſcentes ſummo dolore excruciantur. Nec noctu, nec interdiu,

* Hiſtoria ſupra tradita, ut lectori erudito manifeſtum erit, mulierum affectiones mammarum praecipue reſpicit, quia apud eas crebriores, quam apud viros, tales accidunt.

† In tria enim ſtadia, ſcirrhum ſcilicet, carcinoma latens, et carcinoma apertum, vulgo dividitur tota affectio.

 quieſcit

quieſcit aeger propter doloris acerbitatem, qui ferro ardenti, aut ſerpentis morſui, aſſimilari poteſt.

Dum circa partem affectam tegumentum adhuc manet integrum, carcinoma latens vulgo appellatur; cum vero extra cutem ſe prodit, apertum dicitur: Hinc exoritur tertium ultimum morbi ſtadium a miſero aegro jamdudum deſideratum, qua in re ſaepe infelix fallitur. Dum hinc dolorem leniendum ſperat, et, per caſus ſimiles, hoc certo eventurum judicat, omnia tamen in pejus relabuntur. Velamentum illud, quo ſcirrhus comprehenditur, et quod a glandulae tunica ortum videtur, nec non ſupremam cutem exurere et corrodere incipit. Ex ulcere ejicitur humor putridus, et teterrimi odoris, et tunc morbus in verum ac apertum carcinoma convertitur. Ex hoc teterrimo ac omnium foediſſimo ulcere effunditur tenuis, cruenti, exedentis copia puris, ſi tale nomen meretur materies plane venenoſa. Hujus virulentae materiae tanta eſt vis, ut ei obſiſtere nec ipſa valeant oſſa, quod compertum habemus per varia exempla, a clariſſimo Monro in ſuis praelectionibus tradita. Quibuſcunque partibus admovetur, omnes corrodit et depredatur, ut ipſa quandoque linamenta velut ab aqua forti aut muribus exeſa atque arroſa videantur *. Peſſimus et aliquando vix tolerandus, praeſertim non adſuetis, eſt odor ejus, tamque aegre coercendus, ut ab ipſis ſandapilis nonnunquam emittatur †. Vitium ulceris ſemper latius graſſatur, cujus orae vehementer tument, mirumque in modum diſtortae ac inverſae, nunc pallent, nunc rubeſcunt, nunc luridum, viridem, lividum, nigrum, vel et variegatum colorem induunt.

Progreſſu horum ſymptomatum, quae ſatis de ſe dira videntur, inſequitur corporis totius macor et tabes; interit tam animi quam membrorum ſolitus vigor; exercitii, ſodalitatis, potus cibique appetitus perit. Odorandi ‡ quoque facultas omnino deperditur. Debilis et parvus, ſed frequens eſt pullus. Somnus, miſerorum levamen, aegros fugit, nec ſine hauſtu ſoporifero conciliari poteſt. Mortem futuram indicant tumores pedum, animi deliquia, pulſus parvus et intermittens, palpitationes cordis, ſudores frigidi, liqueſcentes, et per quaſdam ſolummodo partes diffuſi; et hanc calamitoſam miſeramque ſcenam diarrhoea communiter abſolvit. Subinde autem ſanguinis profuſio aegrum interimit, cum ex vena, vel arteria morbo corroſa, et latius patente, cum impetu proſiliat, nec ſupprimi poſſit.

Haec ſymptomata ſtudium noſtrum imprimis merentur, quae,

* Heiſt. Inſt. Chir. tom. i. p. 343. † Gooch. Surg. vol. ii. pag. 129.
‡ Vide Boer. Aphor. 499. et V. Swiet. Com. in eund. Aphoriſ.

quae, pro viribus, in medium proferre jam conati ſumus, et quorum rationem ulterius explicare conabimur. Sed, priuſquam huic hiſtoriae parti finem imponamus, alterius cancri ſpeciei mentionem faciamus; ubi, nullo praeeunte ſcirrho, nihilominus carcinoma exoritur. Hoc ſub nares, vel circa os, frequentius accidit. Talis affectionis plenam et accuratam tradidit hiſtoriam Dominus Hill chirurgus Dumfriſienſis: "There is another ſpecies of cancer," ait Hill *, "which never riſes above the ſkin, or thruſts out any fungus, but eats or conſumes the neighbouring parts. At firſt ſight, this may be miſtaken for an herpes exedens. But the herpes is always compoſed of a number of ſpots, and makes a very rapid progreſs; whereas, in this ſpecies, there is never more than a ſingle ſpot, and its progreſs is more ſlow and gradual. It firſt appears like a thick ſcale, which is generally occaſioned by too much heat applied to the ſkin, as by meaſling, or ſome other accident. After ſome time, the ſcale caſts off, and leaves the ſkin entire, excepting a few ſmall mealy ſcales which are left behind. Theſe are ſucceeded by a thicker and larger ſcale, which, after caſting off and renewing ſeveral times, at long intervals, at laſt turns into a cruſty ſcab. After this ſcab comes off, inſtead of dry mealy ſcabs as formerly, an oozing moiſture remains on the ſkin, which ſoon turns into a flat cancerous ulcer."

Ad ſecundam hiſtoriae partem jam libet deſcendere, in qua ſymptomata nonnulla in medium proferre ſtatuimus, unde de vero cancro interius in corpore latenti facilius et verius judicemus.

Imprimis, obſervandae ſunt, viſceris, cui morbus inſidet, laeſae et depravatae functiones. Si cor laboret, ſuccedunt palpitationes pulſuſque inaequalis; et, vitiato ventriculo, ingeſta ſurſum propelluntur; jecur vel peſſimam gignit bilem, vel juſta hujus ſecretio impeditur, et pariter, mutatis mutandis, de caeterorum viſcerum functionibus laeſis differendum videtur. Oppreſſionis etiam et ponderis ſenſus circa partem affectam ſentitur. Nonnunquam plenitudo, vel etiam tumor, ſenſibus externis clare percipitur, ſaepius forſan in hepate quam in aliis viſceribus. Deinde fluidorum pravitas notanda eſt, quae a viſceribus morbidis ſecernuntur, ut urinae, ſi renes ſint morbi ſedes. Praeterea, initio morbi, dolores ſentiuntur mites, ut in externis affectionibus, mox vero acres, pungentes ſtimuli partem morbide laborantem obſident. Ubicunque excretiones fiunt, ut ex alvo, ſi carcinoma ſit, materies ejecta ſanguinolenta, putrida, et odore non ferendo. Tumores et

* Caſes in Surgery, p. 31.

viroſa ulcera, in aliis partibus, in lucem ſe prodere incipiunt. Anxietas, irrequies, animi deliquia, totius ſyſtematis tabes, aliaeque affectiones, iis, quas ſupra memoravimus, conſimiles, inſequuntur. Cum primum haec ſymptomata ſe prodant, et quo major horum ſit numerus, eo gravius erit periculum, ne ex carcinomate interno ortum ducant.

Hanc morbi hiſtoriam finire jam libet, ſymptomata enumerando uteri carcinomatis, quae huic proprie conveniunt: Nec aliunde quidem magis elegantem et accuratam hujuſce rei contexere poſſumus, quam a celeberrimo Hoffmanno, qui pleriſque, ſi non omnibus medicinam ſyſtematicam pertractantibus, hucuſque fortaſſe palmam eripuit. Hujuſcemodi ſeſe habet;

"Primo, dolor oritur in inguine continuus, qui ſenſim paulatimque totum hypogaſtrium, ab oſſe pubis ad umbilicum uſque, occupat; hunc poſtea ſequitur glandularum, circa collum uteri, et maxime orificium ejus internum conſidentium, tumor durus, compreſſioni renitens, rotundus, inaequalis, qui, ſi contrectetur, ad aegrae ſenſum dolore pungitivo moleſtus eſt. Urina redditur craſſa, conſuſa, et alvus, ingeſtis minus reſpondens, adſtricta eſt. Si inflammatio accedit ulceroſa, crebra ad lypothymias, utut leviores, adeſt propenſio, materia profluit putrida, foetida, et ſanioſa, flavi et cineritii coloris, cum ſanguine mixta, quae adeo acris eſt, ut non modo uteri membranas arrodat, ſed et, ad inteſtinum rectum deſcendens, hoc exedat, ut ſtercora cum fluore uterino prodeant. Ingraveſcente demum malo, pulſus fit magnus et celer; accedit tabida corporis conſumptio, ſeu atrophia; jungitur febris hectica, et tandem, omnium miſeriarum finis, mors*."

Ex ſymptomatum enumeratione jam tradita, quae, juxta opinionem ſummae fidei auctorum, frequentius occurrunt, necnon experientiae noſtrae ſunt conſentanea, magis nunc parati et idonei ſumus definitionem proponere, quae ſcirrhum et carcinoma in unum et conjunctim complectatur.

CHARACTER.

Partis, plerumque glandulae, tumor durus, initio nec dolens nec ſuppurans; poſtea vero, praegreſſis doloribus maximis, in ulcus mali moris abiens; aliquando autem, nullo primario ſcirrho antecedente, ſub formam ulceris depaſcentis evadens.

* Hoffmanni opera omnia, tom. iii. p. 447.

DIAG-

DIAGNOSIS.

Imprimis morbus eſt glandularum quaedam affectio uſitatiſſime, ſed improprie, appellata; ſcrofulam intelligo. Et de hoc quidem morbo obſervare licet, quod raro puberes aggrediatur, et plerumque colli, aut collo vicinas glandulas, invadat. "Glandularum conglobatarum, praeſertim in collo, tumores; labium ſuperius et columna naſi tumida; facies florida, cutis levis, tumidum abdomen *." Haec ſunt ſigna, ut illuſtriſſimo Culleno videtur, ſcrofulae ſupervenientis: Sed in carcinomate, ſaltem ineunte morbo, affectio eſt localis. Praeterea, in ſcrofula tumores haud adeo duri ſunt, ſicuti in cancro reperiuntur, molles potius ac uvidi videntur, materie caſeo haud abſimili profluente. Nec dolor tam acerbus, nec tam teter odor, in ſcrofula deprehenditur, ut fit in ulceribus cancroſis; et, ubi ad pubertatem acceſſerit aeger, illa ſaneſcunt, haec autem omnibus fere medicamentis reſiſtunt. Denique, ad vitium haereditarium ſcrofula facilius, quam carcinoma, refertur.

Nonnunquam fortaſſe pro lue venerea haberi poteſt hic carcinomatis morbus. Sed ab illa facile diſtinguatur, ſi ad ſequentia attendamus. Quando concubitus impurus in vitio eſt, oriri ſolent circa pudenda quaedam ulcuſcula; et in inguinum glandulis tumores naſcuntur, qui parva mora medicamentis cedunt, in ſuppurationem vel reſolutionem tranſeuntes. Rariſſime autem reſolutionem ſubit ſcirrhus cancroſus, nec unquam ſuppurationem benignam patitur; ſed, ut ſuperius obſervatum eſt, peſſimis corroſivis qualitatibus praeditus, omnia circum ſe depaſcit et adurit. Quando vero a lue venerea totum corporis ſyſtema opprimitur, notatu dignum videtur, totum ſimul corpus doloribus occupari, et tandem, in tonſillis praecipue, ulcera procreantur; ſed in carcinomate aliter ſe res habet; affectio eſt localis, initio leves ſunt dolores, et ſenſim cum ſumma malignitate ad acerbiſſimos cruciatus perveniunt.

Omnibus innoteſcit, tumores duros, qui in puerperarum mammis interdum oriuntur, multum doloris et incommodi gignere. Sed hic notandum eſt, tumores multo majores eſſe quam in ſcirrho ad carcinoma tendente, cum interdum anſeris ovum mole adaequant. Si his addere libeat, hujuſcemodi inflammationem in ſuppurationem terminari, unum ab altero morbum parvo negotio ſecernemus.

Hic quoque alios quoſdam tumores meminiſſe juvaret, quales

* Cull. Gen. Morb. p. 367.

ſunt

ſunt meliceris, atheroma, ſteatoma, aliaeque his ſimiles affectiones: Sed hae caeteraeque tumorum ſpecies quam plurimae tam late diſcrepant a carcinomate, ut plus temporis aut operae in hac re conterere prorſus inutile arbitremur. Sed nequaquam hic inficiandum eſt, hos alioſque tumores, ſarcoma praeſertim, in carcinoma ſaepius terminari; quod poſtquam evenerit, manifeſte patet, hos tumores, in medendi ratione, nullatenus a vero et primario cancro differre.

RATIO SYMPTOMATUM.

Hac in parte longa et prolixa diſquiſitione non eſt opus, cum praecipuorum ſymptomatum explicationem inter cauſas tranſtulimus, cum quibus neceſſario congruunt, et cum haec diſſertationis pars plus curioſitatis, quam verae utilitatis, habere videatur.

Caloris localis ſenſus in parte affecta, a generali cauſa caloris animalis, in majori quodam gradu adaucta, proficiſcitur. Generalis caloris cauſa a variis auctoribus et ex variis principiis jamdudum explicata eſt, quarum explicationum pleraeque innumeris patent difficultatibus. Cum ingenioſo et vere erudito Doctore Duncan opinamur, caloris animalis cauſam derivandam eſſe a phlogiſti ex ſanguinis maſſa evolutione, quae ſanguiferorum vaſorum actionem conſequitur.

Hoc poſito principio, aequabilis, caeteris paribus, per totam corporis ſuperficiem caloris ratio reddi poteſt. Partialis etiam caloris, in quacunque parte, eadem cauſa aſſignanda eſt. Hic enim partialis ſtimuli effectus eſt; veluti, cum quis erubeſcit, manifeſta ſanguinis determinatio ad genas fit, in quibus vaſorum actione praeter ſolitum aucta, calor etiam in eadem ratione augetur. Pari modo, calor augetur in cancro; ubi ſanguine nimium accumulato, ut poſtea, cum de cauſis diſſerendum erit, fuſius demonſtrabitur, calorem etiam in eodem gradu augeri neceſſe eſt.

Pruritus ſenſus tumoris auctae moli tribuendus videtur, unde nervi ambientes leniter diſtenduntur; aut fortaſſe acrimoniae fluidorum inſequenti, unde novo leni ſtimulo ſollicitantur. Hae cauſae vehementius adauctae doloris acerbitatem tandem producunt, qui hanc affectionem ſemper comitatur.

Glandularum vicinarum intumeſcentia procul dubio exoritur a materie vaſis lymphaticis abſorpta, qui a parte affecta per tales tranſeunt. Hinc opinantur nonnulli radices quoſdam a ſcirrho creviſſe, qui ſolummodo pro lymphaticis induratis haberi deberent.

Ultimum

Ultimum quod hoc loco proponimus ſymptoma eſt, venarum, quibus tumor undique circumdatur, turgeſcens et varicoſa ſpecies. Hoc raro prius contigit quam tumor in molem magnopere excreverit; unde venarum plurimae compreſſae et coarctatae motum ſanguinis, per has fluentis, impediunt. Hinc, ſanguine accumulato, turgeſcunt vaſa continentia.

SEMINIA SEU CAUSÆ PRÆDISPONENTES MORBI.

Glandulae arteriales, quae pro ſede propria ſcirrhi idiopathici habentur, cum ſint terminationes, ideoque ſyſtematis arterialis partes, caeterarum partium more ſunt irritabiles. Nihilominus, quia longius a corde diſtant, et earum ſtructura multum implicatur, harum actio, vel nullo modo, vel parum admodum, a corde et arteriis promovetur. Quare motus glandularum, qui ab ipſarum irritabilitate unice proficiſcitur, nec ullo alio ſtimulo, niſi fluidis ipſis per glandulas tranſeuntibus, ſuſtentatur: Hic, inquam, motus lentior neceſſario fit, quam in aliis vaſculoſi ſyſtematis partibus. Nam, licet fieri poſſit, ut nonnullum glandulis arterialibus incitamentum adveniat a pulſatione arteriarum, et a vicinorum muſculorum contractione; tamen hae cauſae ad motum ſuſtentandum minus ſunt in his partibus idoneae, quam in lymphaticis et rubris venis propter contortam et convolutam iſtarum partium conſtructionem.

Hac igitur ratione ſupponere liceat, quod etiam facto et experientia pro certo habendum videtur, arterialium glandularum motum lentiſſimum eſſe, etiamſi in naturali ſtatu et in ſalutari corporis conditione reperiantur.

Hoc itaque poſito, ſequitur, ſi quae cauſae in ſyſtemate forte oriantur, quae motum hunc in glandulis plus aequo lentum reddant, et ultra quod earum natura in ſalubri ſtatu requirat, has cauſas glandularum conditionem immutare in morbidum ſeminium; et morbus, cui hoc ſeminium viam ſternit, eſt ſcirrhus. Jam in eas cauſas inquiramus, quae ad ſeminium iſtud producendum per ſe ſint idoneae.

Quandoquidem nec cor, nec arteriae agunt in glandulas, vel, ſi agunt, parum admodum, manifeſte liquet, illorum motus diminutionem haud agere poſſe motum harum minuendo. Quid igitur ſpectandum eſt, ut cauſa ad ſcirrhum praediſponens? Cum corporis habitum ſpectemus, ubi hic oritur morbus, quem nec plethoricum nec inflammatorium, ubi et cordis et arteriarum vis plurimum viget, reperimus, ſed potius ſyſtematis ſtatum huic contrarium, qui cachecticus nominari poteſt, quo in

in ſtatu cordis et arteriarum actio tonuſque, ut plerique conſentiunt, multum imminuuntur; hoc in caſu probabiliter indicandum videtur, hunc tonum imminutum, tam in corde quam in arteriis majoribus manifeſtum, ad glandulas uſque propaga... quae partes ſunt arterialis ſyſte...atis. Atque, congruente... cum priori noſtra aſſertione, glandularum, nempe, motum a cordis et arteriarum motu nequaquam pendere, aſſerimus generalem ſyſtematis tonum imminutum vel deperditum, partis etiam, de qua hic agimus, tonum ſimiliter pravum inferre. Hoc ſufficit ut explicare valeamus glandularum ſtatum ad ſcirrhum praediſponentem.

Haec toni depravatio denotat actionem diminutam, vel ſtatum irritabilitati contra poſitum, quem torporem dicimus

Praediſpoſitione igitur ad ſcirrhum hocce modo ſtabilita, cauſas hujuſmodi diſpoſitionis haud arduum erit aſſignare; eae omnes audiunt, quae cerebri actionem et vires laedunt, ſive directe, ſive indirecte hoc fiat, et uno nomine ſolent appellari, poteſtates nocentes antiphlogiſticae, ſeu ſedantes

Hae ad duo capita revocari poſſunt, poteſtates ſcilicet ſedantes, quae ita fiunt vaſa nimis exhauriendo et exinaniendo; et eas deinceps poteſtates, quibus actio et vires cerebri directe laeduntur.

Ad priorem claſſem ſpectat jejunium et parcus tenuiſque victus, quo nihil aut parum materiei ſanguini ſuppeditatur; unde evenit, ut victus concoctu difficilis, ſicut panis furfuraceus ſine fermento, caro fumo indurata, et alia ſimilis naturae, ad ſcirrhum gignendum ſint aptiſſima *. Huc quoque referri poteſt immoderata corporis et continuata exercitatio, qua, ſublatis juſtis quietis intervallis, perſpiratio ultra modum augetur, et, fluidorum motu nimio aequius accelerato, horum praeter ſolitum magnum in corpore fit diſpendium.

Alterum caput poteſtatum ſedantium, ea complectitur, quae nervoſi ſyſtematis vires et actiones directe minuunt; et huc referri poſſunt aliae ſubdiviſiones quamplurimae, quarum prima ſpectat ad ſedantia quae in ſenſuum organa agunt, aut ad ſolitas impreſſiones minori vi operantes. Hae fiunt poteſtates directe ſedantes, in eo, quod ſtimulum idoneum ſenſorio haud inſtruunt.

Comprehendit etiam hoc directe ſedantium caput, immodicum corporis motum, quo nervoſum ſyſtema debilitatur; atque etiam inertiam, unde minuuntur ſtimuli, qui a corporis debita exercitatione ſyſtemati ſubminiſtrantur. Hinc religioſae monaſteriis incluſae huic morbo, magis quam aliae, ſunt obnoxiae: Nam moderata corporis exercitatione, muſculari

* Vide Boerh. Aph. 485.

motu

motu ſimul excitato, ſanguinis impetus per totum ſyſtema promovetur.

Tertio, huc etiam ſpectant vehementiores animi affectus ſeu pathemata, quae, nimium propter ſtimulum, ſedantia fiunt. Quamobrem homines in violentam iram, gaudium, et dolorem proni, ſaepe etiam in ſcirrhum ſunt proclives. Ad hanc quoque tertiam ſubdiviſionem attinet facultatum animi exercitatio, quae, aut immoderatius adhibita, aut ultra modum remiſſa, aeque ſedans nociva poteſtas evadat. Ad quam ſententiam illuſtrandam, obſervare ſit ſatis, quam propenſi ſint in hoc malum, qui nimio ac perpetuo ſtudio ſunt dediti.

Quartum et ultimum directe ſedantium caput eas amplectitur poteſtates, quae aut in ventriculo, aut in tubo inteſtinali, ſuos edunt effectus; cui referuntur acida omnia, et quaecunque aciditate ſunt praedita; ideoque victus vegetabilis, qui ſedans fit, actionem fibrarum ventriculi muſcularium, vel minuendo, vel haud quantum par eſt excitando.

Haec omnia jam memorata operantur tonum minuendo, et perinde toti ſyſtemati torporem inferendo, iis partibus praeſertim, quae ſine laeſione aegre pati atoniam et torporem valent.

Quando ſcirrhi ſeminium ex una vel pluribus ex cauſis ſupra memoratis, ſenſim et gradatim operantibus, exordium ſumit, necdum hae cauſae ullum ſenſibilem effectum gignunt, pro cauſis praediſpoſitionis habendae ſunt; ſin autem magis repentino et vehementi motu ſaevire incipiunt, fiunt, quas ſupra diximus, poteſtates nocentes antiphlogiſticae, ſive ſedantes, vel cauſae occaſionales ſedantes.

CAUSÆ OCCASIONALES.

Cauſis ſuperius recenſitis addendae ſunt hae, quae, extrinſecus advenientes, immediatum et repentinum effectum in glandulis producant, et quas cauſas occaſionales hic nuncupamus.

Hae ad duo capita generalia referendae videntur; quorum in primo continentur omnes cauſae, quae modo et motu integre locali agunt; in ſecundo autem hae, quae, in univerſum corporis ſyſtema ſuam vim exercentes, in eas praecipue partes agunt, quae ſtructura ſua et textura morbidis effectibus minus obſiſtere queant.

Ad primum harum articulum ſpectat quaecunque externa vis aut injuria glandulis ſuperveniens: Quales ſunt naſi et narium puncturae, labri morſus, in pectore repentini et ictus violenti, atque etiam mammarum nimis arcta conſtrictio, ut

apud feminas accidit, quae pectus thorace nexili nimium coarctant. Fortium liquorum liberior et immoderatus uſus, ex omni parte conceditur, huic ſcirrhi morbo in abdominis viſceribus, jecore praeſertim, occaſionem praebuiſſe. Faeces quoque conſtipatae et obduratae, difficilis et tarda partura, in utero tumores et carcinomatis ſymptomata excitarunt. Quae omnia, ut nobis quidem videtur, mechanice operantur, comprimendo et vaſa contrahendo, unde morbidi et pravi ſequuntur congeſtus, qui cancro occaſionem praebent.

Cauſarum occaſionalium ſecundum caput eas, quae vi magis univerſali ſuos producunt effectus, comprehendit. Huc referenda eſt veri cancroſi viri in corporis ſyſtema receptio, cujus funeſti effectus in ſuis operibus nobis tradidit exemplum ingenioſus Dominus Gooch *. Evacuationes etiam ſolitae, ſi ſupprimantur, in cauſas occaſionales recenſeri poſſunt, cum hinc in fluidorum circuitu debitum tollatur aequilibrium, et in variis ſyſtematis partibus ſequatur eorundem fluidorum ſolito major accumulatio. Unde menſtrua ſuppreſſa, haemorrhoides cohibitae, repentina frigoris applicatio, et violenti irae impetus, propter ſpaſmos in ſuperficiem corporis hinc inductos, et circumfluentium fluidorum aequilibrium ſublatum, et ſimilia, ſecundum auctores ſummae fidelitatis, ſcirrho creando ſunt idonea.

Effectus itaque, qui ex his cauſis occaſionalibus exoritur, in corpore, per eas quas ſupra explicavimus cauſas, praediſpoſito, tertia erit cauſa, quae proxima nominatur.

CAUSA PROXIMA.

Ut varias auctorum ſententias, adeo inter ſe diſcrepantes, de ſcirrhi cauſa proxima, referre praetermittamus; noſtrum ſolummodo judicium hac de re in medium proferemus. Ex phaenomenis in morbi hiſtoria jam traditis, et cauſarum actione remotarum perſpecta, ut veriſimillimum judicamus, ſcirrhi cauſam proximam eſſe motum imminutum in alicujus glandulae fluido, qui indies tardior fit, donec fluidi progreſſus penitus tandem ſiſtatur. Unde fluidum ipſum ſtagnans vaſorum lateribus tenaciter adhaeret, et cum iis concreſcit in unam indiſtinctam maſſam et materiam inorganicam: Hinc caetera vaſa, per hanc partem affectam tranſeuntia, et nervi ipſi, ſua munera obire nequeunt. Quod clare ſatis explicat glandularum hebetudinem ſentiendi in ſcirrho, etiam ſtimulis admotis; et earum impenetrabilitatem per medicamenta in vivis, et quod etiam in mortuis omnes anatomicorum conatus injiciendi penitus

* Vid. Gooch's Surgery, vol. ii. p. 131.

nitus eludant: Quod in omni ſcirrho confirmato medici norunt contingere.

Sic igitur primo cancri ſtadio cauſam ſatis probabilem tribuimus. Reliquum nunc eſt, ut, caetera duo ſtadia percurrendo, cauſas eorum proximas aſſignemus.

Carcinoma tectum eſt ſcirrhus in ſtatu ſimplici inflammationis; cujus proxima cauſa eſt eadem quae in caeteris inflammationibus, congeſtio nempe in partis affectae arteriis rubris extremis, qua hae diſtentae ad majorem motum et actionem excitantur, et tumor ipſe, quoad magnitudinem, exinde augetur. Hic ſtatus ſedem obtinet, non in ipſius ſcirrhi tumore, quem diximus jam in unam inorganicam maſſam concreviſſe, ſed in vaſis hujus oras ambientibus, ubi ſanguinis liber tranſitus impeditur, a vaſis antea in tumore comprehenſis nunc clauſis et obſtructis.

Hinc, cum ſpatium, per quod ſanguis tranſit, contractum, eundem habeat effectum, ac ſi ipſius ſanguinis per partem tranſeuntis quantitas augeretur; ſigna inflammationis ex hac cauſa neceſſario oriuntur.

Et nunc de carcinomate aperto loquamur: Hic ſcirrhus eſt in abſceſſus ſtatu, cujus cauſa eadem videtur, quae aliorum abſceſſuum quaſcunque inflammationes conſequentium, ſolutio ſcilicet continua, ſic clarius exponenda. Diſtenſio, quam inflammationem comitari aſſeruimus, (ſtadio inflammationis morbi durante) perſtans ac creſcens vaſa rubra, quibus, ut diximus, affectio morbida praecipue inſidet, atque etiam his contigua vaſa exhalantia paulatim tendit, uſque dum materies exhalari ſolita, ſanguinis nempe ſeroſitas, et ſerum ipſum, in proximam concavitatem effunditur. Hoc ſerum quodam ſub calore ſtagnans, ſeroſitate ejus interim gradatim abſorpta, in ea, quae ſupereſt, parte, glutine ſcilicet, convertitur in fluidum illud pus dictum, cujus productionem ſubſequitur partium ambientium exitium. In abſceſſibus mitioris naturae hoc partium damnum nova regeneratione compenſatur, quod in aliis abſceſſibus moris peſſimi, praeſertim vero in cancri malo, vel raro vel nunquam contingit. Ut igitur reliquum cauſae proximae in hoc morbo perſequamur, difficilem nempe abſceſſus curationem, cui interdum nunquam mederi poſſumus; hoc, inquimus, tribuendum videtur, partim ipſius ulceris conditioni propriae, partim univerſi ſyſtematis generali temperamento et habitui. Quod huic generali temperamento effectus partim tribuendus ſit, patet ex medendi difficultate, quae in quotidianis plagis et ulceribus reperitur, quando corporis habitus aliunde depravatus ſit, et ex neceſſitate hunc habitum emendandi, ut illis facilius medicemur. Hinc chirurgi in univer-

 ſum,

ſum, ad puris laudabilis, ut loquuntur, formationem, in hoc caſu ad corticem Peruvianum confugiunt, qui plerumque ſecundum gignit effectum, cum cortici imprimis conveniat vis excitandi et tonum ſyſtematis roborandi. Et dum de univerſo ſyſtemate hic agitur, etiam partis affectae ſtatum melius explorare valemus, quem atonicum eſſe ſatis et plane conſtat. Nihilominus, praetermiſſa et univerſi ſyſtematis et partis affectae contemplatione, alia cauſa nobis ſe offert cancri tam pertinacis naturae; viz. inflammationis cauſae diuturna et continuata mora: Nam, perſtante ſcirrho, hujus immediatus effectus, inflammatio ſcilicet, aeque durat, et, hac durante, ſuppuratio, ut frequens hujus comes; et partium ſuppurantium deſtructio et conſumptio, ut etiam pariter perſiſtant et obdurent neceſſe eſt.

An his cauſis ſubjici etiam poſſit pravae et virulentae materiae praeſentis actio, omnia circumpoſita exedentis, pro certo affirmare vix auſim. Haec materies, vel ex ipſius habitus pravitate, vel ex continuata et diuturna ſaevitia ipſius ulceris, oriri poteſt, unde et ulcus medelam reſpuit, et ipſum ſyſtema nervoſum, modo quidem generali, ſed explicatu difficili, laeditur. Hoc igitur judicio lectorum permiſſo, hic tantummodo breviter referemus, quod huic opinioni favere videtur.

Quanquam experimenta a clariſſimo Gaber tentata dilucide evicerunt, in ſupra memoratis circumſtantiis, effuſionem ſeri ſuppurationis eſſe cauſam neceſſariam; attamen haud raro cernimus, tametſi haec effuſio ſubſecuta ſit, omnibus praedictis concurrentibus, nihilominus aliud fluidum ex alia parte ſuperveniens, aut ſuppurationem omnino tollere, aut ſaltem vitiatam reddere. Sic nonnunquam globuli rubri ſuperadditi ſuppurationem in gangraenae ſpeciem convertunt: Et, ut ſupra obſervatum eſt, in ſyſtemate cachectico, laudabilis loco puris, gignitur materies tenuis, vitioſa, vitiatam ſuppurationem referens. Ex his inferre liceat, praeter toni defectum ſeu in toto ſyſtemate ſeu in parte affecta, et praeter effectum a cauſae ſuppurantis continuatione orientem, nonnullum malae naturae fluidum et producere et ſuſtentare hunc cancri ſtatum pertinacem adeo et obduratum. His omnibus tandem adjici poteſt, externi aeris aditus et impulſus, qui, etiam in partibus ipſi raro patentibus, perniencioſiſſimos gignit effectus.

PROGNOSIS.

Ex iis, quae de natura et cauſis cancri jam diximus, cuicunque lectori prudenti judicare licebit, ſpem morbi feliciter terminandi incerto admodum fundamento niti; et tam medicis quam

quam chirurgis cavendum eſſe, ne prognoſin temere inſtituant.

Cum vero, ex quibuſdam adjectis circumſtantiis, periculum multum varietur, has indicare conabimur, quae ad quatuor ſequentia capita revocandae ſunt, ſcilicet periculi gradus aeſtimari debet,

1mo, Ex corporis ſtatu, et eo vitae ſtadio, quo morbus primum impetum fecit.

2do, Ex primis cauſis quae malo originem praebuerunt.

3tio, Ex peculiari morbi ſede.

4to, Ex ipſius tumoris ſtatu et natura, quantumque in afficiendo univerſo ſyſtemate progreſſum jam fecerit.

Primum, igitur, ex habitu ipſius corporis, et vitae ſtadio quo morbus aegrum adgreditur, de ejus eventu judicium inferre queamus. Si prius aegrotus morbo laborarit conſimilis naturae, ſicut ſcorbuto, ſcrofula, lue venerea, aut ſimilibus, unde corporis ſanitas ac robur infirmiora redduntur, et huic quantumvis levi de cauſa cancer ſuperveniat; ſi aeger eo uſque aetate ſit provectus, ut cordis et arteriarum vires, lege naturae, minuantur, et idcirco malignis hujus morbi aggreſſibus minus poſſint obſiſtere quam ſi robur tonuſque corporis magis valerent; hinc funeſtus et letifer eventus metuendus eſt.

Secundo, Cancri diſcrimen aeſtimandum eſt, ex iis cauſis unde primum oriebatur. Si quod appellare licet diatheſin ad carcinoma proclivem in ſyſtemate ſuſpicemur, aut materiae viroſae intromiſſionem, ut antea in hiſtoria monuimus; ſi corporis ſtatus cachecticus, quibuſcunque tandem cauſis exortus, huic malo ortum dederit; hic ſpes curationis aut medelae parvi eſt habenda.

Tertio, Pars conſideranda eſt, quae a cancro occupatur. Si quod viſcus vitale et nobilius laborare credatur, ut cor, ventriculus, hepar, uterus, aut partes his finitimae; ſi quis nervus aut majus vas ſanguiferum, aut iiſdem conjuncta et contigua premantur; ſi in ſuperficie deprehendi nequit, ſed altius in partibus ſubjacentibus latet; hoc in caſu funeſtam morbi terminationem unuſquiſque expectaret.

Quarto, Demum ſtatum et progreſſum tumoris intueamur. Si ab exiguo principio brevi tempore in magnam molem concreverit; ſi ad fixam duritiem et immobilem ſtatum cito pervenerit, primo abſque dolore, ſed mox graviſſimo cruciatu, quo aeger ſemper torquetur; ſi vicinae glandulae intumeſcant, et tumores circa partes adjacentes appareant, cum vagis doloribus extra partem affectam, unde judicare liceat morbum, ex locali, jam univerſalem evaſiſſe; ſi ad haec ulcus apertum ſubeat, ex quo materies ultra modum graveolens et foetida

foetida ſecernitur, proxima quaeque corrodens et exedens; quis hujus aegri caſum ancipitem ac periculoſum non jure praenunciaret?

Hae ſunt circumſtantiae magis notandae, quibus prudens medicus in praxi judicium ferat de infauſto morbi exitu, nec unquam infelici aegro cum famae ſuae diſpendio aduletur.

Si vero ſupra memoratis contraria accidant, in eadem ratione metus noſter leniri debet. Si enim tumor in ſuperficie poſitus, ab omni vitali organo, nervo, ac vaſe maximi momenti longius diſtet; ſi adhuc exiguus, mobilis, et dolore immunis exiſtat, nec ulla judicandi ratio ſit materiam in univerſale corporis ſyſtema intromitti ac abſorberi; ſi cauſae tantummodo locales, quales ſunt ictus, arcta in mulierum mammas ligamenta, aut ſimilia, huic morbo ortum praebuerunt; ſi aeger corporis habitu ſit ſano, valido, ac robuſto, ipſe quoque florente aetate; in hoc, inquam, caſu, ſecundus et felix eventus potius ſperandus eſt.

Hic tamen obſervare libet, quantumvis haec fauſta ſymptomata ſuperius enumerata pene omnia concurrunt, hinc radicalem morbi expulſionem nequaquam temere eſſe ſperandam; cum, e contrario, uno ſolummodo ſymptomate malignioris naturae pollente, ſpes nos ſaepe fallat, et funeſtus morbi exitus multoties conſequatur.

METHODUS MEDENDI.

Ad partem totius opuſculi maximi momenti et maxime neceſſariam tandem pervenimus, ordinem, ſcilicet, et methodum morbum tractandi. Sed, in ipſo exordio monere piget, nec aſſiduam peritorum diligentiam huic malo certa hactenus remedia reperiſſe, quae a ſcopo interdum non aberrent, nec phyſiologos aut pathologos cancri naturam ſatis exploraſſe, ut horum explicationes univerſim placeant.

Itaque, vix ſperandum eſt, indicationes medendi nos poſſe ad certum ordinem revocare, aut in partes, ad ſyſtema pertinentes, apte digerere; multo minus, hoc facto, remedia unicuique indicationi propria et convenientia praeſcribere. Quoad primum, igitur, noſtra in pathologiam diſceptatione, ut praecipuo fundamento, nitemur; in poſteriore vero ea ſequemur, quae experientia et commendatione peritorum maxime probantur.

Tractandi methodus, ut manifeſtum eſt, hiſce duobus capitibus continetur, nempe, ut morbus vel penitus expellatur, vel ſaltem ut quadantenus lenior ac mitior reddatur.

Ubi

Ubi univerſalem cancri expulſionem tentamus, ad hunc finem duae ſe indicationes offerunt, viz.

1mo, Partes morbidas ad firmam et ſanam conditionem reſtituere; ſi hac fieri nequit, tunc

2do, Partes ita affectas funditus delere.

Tantummodo ſcirrho incipiente prima indicatio locum obtinet, ut feliciter eveniat medelae applicatio. Et hic, ſi ſupponamus fluidorum commorationem oriri ab atonia et debilitate vaſorum glandulae affectae, curandum eſt imprimis horum vires et actionem inſtaurare, quo ſtagnans fluidum in propria receptacula tranſmitti poſſit.

Remedia huic fini convenientia, vel e foſſilium vel regno vegetabilium derivantur.

Prioris generis, quod maxime obſtructionibus obſiſtit, et apud medicos praecipue eſt in uſu, mercurius habetur. Hocce medicamentum ſumma vi ſtimulante praeditum eſſe, ex purgantibus, ac ejus emeticis effectibus, recte colligitur. Eodem, ut nobis viſum eſt, vel pari modo in glandulas etiam operatur. Nam in gyrum ſanguinis introſuſceptus mercurius exiguas glandularum arterias incitat et ſtimulat, quo ſtagnantis fluidi motus acceleratur. Qua de cauſa in ſcirrho primum incipiente mercurium haud parum conducere, ſatis eſt manifeſtum. Contra vero, ubi glandula in maſſam inorganicam concreſcens nil vel parum fluidi in ſe contineat, ſed unius ſolidi corporis inſtar ſe habeat; hoc, inquam, in caſu mercurius intromiſſus, excitata actione vaſorum glandulae circumjacentium, ipſum cancrum, cui mederi deſtinatur, poterit inducere. Ad uſum internum formula fortaſſe in pharmacopoeia Edinburgena, qua componuntur pilulae mercuriales, caeteris eſt praeferenda; vel, ſi pro cathartico adhibere velimus, ejus loco calomel recte ſubſtituitur. Doſis varianda eſt pro aegri aetate, ſexu, et temperamento corporis. In unguenti quoque forma adhiberi interdum poteſt, dummodo pars affecta inde non irritetur.

Alterum e mineralibus remedium ab auctore Gallico* multum effertur, internus, ſcilicet, et externus arſenici uſus; cujus brevis deſcriptio apud Commentaria Medica Edinburgena videri poteſt †. Haud alienum erit, hoc in loco ponderum et menſurarum varietatem apud Gallos obſervare, ut haec a noſtris differunt, quod in Commentariis praetermiſſum, in medicamento tanti diſcriminis, funeſti erroris cauſa eſſe poteſt. Libra ſeu pinta apud Gallos continet uncias triginta duas; apud Britannos tantummodo uncias ſedecem Deinceps, quoad pondera; apud illos grana quatuor propemodum grana

* Monſ. le Febure. † Vol. IV.

tria

tria cum ſemiſſe apud hos adaequant; vel grana ſex apud priores grana quinque cum Britannis aequiparant. Pro methodo hoc medicamentum componendi et adminiſtrandi, ad libellum ipſum hac de re in lucem editum, vel ad Commentaria Medica jam memorata, lector eſt remittendus. Non obſtante vero ipſius auctoris commendatione, pauci hactenus, utcunque nobis ſit compertum, novi hujuſce medicamenti periculum facere auſi ſunt: Egregius noſter Profeſſor Black me certiorem fecit, in occulto mammae cancro ſe quondam hoc adhibuiſſe; ſed, aegra febris hecticae ſymptomatibus correpta, conatu deſtitiſſe: Utrum hujus effectus arſenicum cauſa fuerit, an non, pro certo ſe haud ſtatuiſſe fatebatur.

Hujus operandi modus non multum forſan diſtat a mercurio, cujus ſupra meminimus: Si vero ſecundos ediderit effectus, quorum auctor D. Febure fidem ſuadet, alia quadam vi, et ex alio principio, operari videtur, cum in ſubmovendo cancro etiam aperto efficaciſſima ſaepius ſit reperta.

Ex vegetabilium regno multa ab auctoribus colliguntur medicamenta, quorum pauca hic ſubjiciemus.

Plerique jam norunt, cicutam pro remedio in hoc morbo praeſtantiſſimo magnifice praedicari a Doctore Stork. Quantum vero a jactatis laudibus, tam in Gallia quam apud nos, defecerit nemo eſt qui ignorat. Ne vero tanti viri famae detrahamus, fatemur ſane cicutam huic morbo ſaepe prodeſſe. Quod vero nonnunquam nos fefellerit, id Doctor Cullenus multis cauſis tribuendum arbitratur, cum ſcilicet cancris applicetur, quorum cauſae ab hoc medicamento repelli nequeunt; cum hujus extractum male forſan perſiſtitur *, &c. Subjicit etiam hic celeberrimus auctor, ſe felices hujus medicamenti effectus et vidiſſe, et teſtari poſſe; quibus et aliis quamplurimis proſperi effectus indiciis ad credendum ducemur, in quocunque cancro cujus cauſa eſt localis, vel etiam magis univerſalis, cicutam utiliter adhiberi poſſe.

Foliorum arefactorum pulvis extracto videtur anteferendus. Seminum quoque ſuccus inſpiſſatus, portione pulveris immixta, in pilulas compingi poteſt, quae ad quantitatem duarum vel etiam quatuor drachmarum indies adminiſtrari poſſunt, adhibita tamen cautione ut a parvis doſibus, tribus, ſcilicet, vel quatuor granis, ratione aetatis aegri, primum incipiamus. Cum interno cicutae uſu, fotus etiam et cataplaſmata quam plurimum laudantur.

Hi cicutae ſecundi effectus per ſyſtema nervoſum propagari videntur; nam interius ſumpta raro notabilem in parte affecta mutationem producit, donec prius ſenſorium afficiat.

* Lectures on the Materia Medica.

Sed,

Sed, cum hoc medicamentum et illud ſuperius memoratum, utrumque celebretur in cancri curatione, etiam maxime ulceroſi et peſſimae naturae, quis non merito ſuſpicetur, ab alia quadam cauſa hoc oriri, quam a ſola ſtimulante vi quae in his medicamentis reperitur?

Solanum quoque in remediis contra carcinoma laudatur. Egregius Cullenus hujus quoque felicem effectum ſe teſtatur vidiſſe *; cujus operandi modus idem videtur eſſe ac in caeteris quae jam notavimus.

Si quae ſint interna medicamenta, quibus fidere licet, profecto ſunt eae, quae jam diximus: Et, ſi primo ſpei noſtrae non reſpondeant, nec aegri caſum mutent, haud idcirco deſperandum eſt, ſed in iiſdem medicamentis diutius perſiſtendum.

In Commentariis Medicis caſum legimus, quo, ex repentino et improviſo fulgure, tumor in pectore ſcirrhoſus evanuit: Qua igitur fiducia, in ſimilis naturae caſibus, electricitatis vim experire licebit?

Secunda noſtra indicatio eſt exterminare tumorem

Ingenioſus et doctiſſimus vir Doctor Alexander Monro, qui nonnullis abhinc annis anatomiam in academia Edinburgena profeſſus eſt, quaeſtionem inſtituit, An tuto liceat carcinomata penitus exſcindere et delere †? Sed quae hac de re diſſeruit, nos ab hoc tentamine omnino abſterrerent. Le Dran, Sharp, et nonnulli alii recentiores chirurgi in eadem videntur ſententia: Sed his opponamus celeberrimorum opiniones virorum, necnon noſtri egregii Monro, et innumeros fere cauſas a Domino Hill, chirurgo celeberrimo, relatos. Horum uterque, ſepoſito periculo quod hanc operationem comitatur, et collato numero eorum, qui poſt operationem relapſi ſunt, cum iis qui convaluerunt, operationi omnino favent.

Nonnulla autem a perito medico et chirurgo attente conſideranda ſunt, priuſquam operatio tuto ſuſcipi poſſit; quorum praecipua ſunt tumoris ſtatus, corporis habitus, cauſae unde vitium primum oriebatur, et vitae ſtadium, quo aegrum primo aggreſſum eſt.

Si tumor in ſuperficie poſitus ſit, et undequaque circummoveri poſſit; ſi virulentae materiae in ſyſtema abſorptae nullum ſit indicium, etiam cancro ulcerato; ſi hujus cauſae locales fuerint, vel etiam magis generales, dummodo ſyſtema aliter vigeat ac valeat, nec aeger multum aetate provectus; hoc, inquam, in caſu, et ratio et experientia operationem ſuadent, ſi aut aegri ſanitatem, aut ſaltem doloris levamen, molia-

* Ibid. † Med. Eſſays, vol. 5.

mur. Noſtrum non eſt normam praeſcribere quam in hac operatione chirurgi perſequantur, cùm ad eos ipſos hoc ſpectet; monendum tamen eſt, quod, caeteris paribus, mitis coeli temperies eligenda ſit; et quod, poſt operationem peractam, antiphlogiſtico regimini aegro adſtricto, fonticuli inſtituantur, et nonnulla horum, quae de modo palliandi mox tradituri ſumus, adhibeantur, ut a morbi recurſu melius caveatur.

Praeter ſcalpelli uſum, ut partes morbidae diverſo modo exſecentur, a multis ſuadetur cauſticorum et ipſius cauterii applicatio. Ubi nonnullae partes morbidae cultellum eluſerint, haec praxis utiliter adhibeatur; ſed ad ingentem tumorem delendum ab ipſo principio, nemo eſt artis peritus qui prudenter haec ſuadeat. Cauſtici emplaſtri, quo utebatur, et quod adhuc uſurpat quidam Plunket in Hibernia degens, arſenicum baſis eſſe creditur: In paucis admodum caſibus feliciter evenit; ſed hic tumorem exiguum eſſe oportet, in ipſa ſuperficie extantem, et ab amplioribus vaſis ſanguiferis ac nervis longe diſtantem. Alii ſunt hiſtriones in eodem regno, qui morbo tam maligno et funeſto mederi conantur remediis his forſan ſimilibus: Ad tales empiricos miſeri aegrotantes ſeſe frequenter recipiunt; qui tutam, citam, ac morbi medelam jucundam, cujus cauſam et naturam penitus ignorant, ſumma fiducia polliceri non dubitant.

Si vero parti cuidam interiori morbus altius inſederit, et remedia interna parum aegro profuerint; ſi pro unico tumore in diverſis locis plures appareant; ſi aegri conditio et corporis habitus in vitium multum ſit prolapſus; ſi jam ſenuerit et acerbam operationem detrectet, ultra nihil reliqui eſt, ut morbum obtegere, et quam maxime mitem reddere, conemur.

Quo facilius hac in parte dirigamur, tria conſilia nobis proponenda ſunt:

1*mo*, Ut tumoris augeſcenti moli occurratur.

2*do*, Ut acris ſecretionis ſtatus in ulcere immutetur.

3*tio*, Ut ſymptomatibus novis et moleſtis, veluti dolori et inſomnio, quam ſedulo obſiſtatur.

Tumoris incrementum praevertitur, quantitatem et impetum fluidorum, ſive per univerſum corporis ſyſtema, ſive, quod maximum eſt, in ipſa parte laborante, minuendo.

Ad hunc finem ſanguinis detractio, cathartica, et fonticuli quam maxime conducunt.

Venaeſectio, univerſum corporis ſyſtema afficiendo, unamquamque ſyſtematis partem etiam afficere neceſſe eſt, et hinc in glandulas ipſas venaeſectionis beneficium derivatur: Siquidem autem a venaeſectione ſaepius repetita exoritur diſpoſitio ad

plethoram

plethoram, ſanguinis detractio per cucurbitulas aut hirudines juxta partem morbidam collocandas, anteferenda alteri videtur.

Cathartica purgantia, ductum inteſtinorum evacuantia, magnam fluidorum partem in has regiones derivant, ut in hydrope ſatis innoteſcit: Praeterea, eſt exinanitionis genus huic morbo apprime accommodatum, cum plethoram minus inducat. Sed laxantibus lenioris naturae utendum eſt, ut ſale polychreſto, Glauberi, rheo, ſena, tamarindis, et ſimilibus, quae leniori ſtimulo et irritatione partis operantur.

Fonticuli, in regione partis affectae appoſiti, fluidorum egreſſum promovendo, et idcirco quantitatem et impetum ſanguinis minuendo, huic morbo congruere jure creduntur, et multoties utiles reperti ſunt.

Secundus tumoris creſcentis cohibendi modus eſt, cauta earum cauſarum fuga, quae primam huic occaſionem praebuerunt. Ab externis injuriis partem tueri multum proderit, panno ſcilicet laneo tumorem obtegendo, emplaſtris emollientibus utendo, pectoris compreſſionem, per ligamenta quibus feminae vulgo utuntur, vitando. Si aeger ſodalitati et hilaritati indulgeat, quibus mens a curis et aegritudine avocatur, hoc quoque multum profuturum arbitramur.

Secundus de palliando morbo articulus ipſum ulcus ſpectat. Laudabilis puris effectio imprimis ſpectanda eſt; ad quem finem Peruviani corticis uſus, in aliorum ulcerum ſuppuratione adeo beneficus, hic quoque haud temere probatur. Ad ulcus immunditiis expurgandum, nil hactenus repertum magis efficax quam cataplaſmata e radicibus dauci hortenſis confecta, quae ſingulis diebus ſaepius ſunt renovanda. Cauſa hujus ſecundi effectus, ut veriſimile eſt, aeri debetur fixo, qui inter fermentandum a pultibus ſeparatus materiae vicem ab ipſo ulcere promanantis ſupplet. Hinc etiam cataplaſmata e farina triticea, aqua, et cereviſiae ſpuma confecta, eadem de cauſa probantur.

Conſilium tertium et ultimum eſt, ut novis ſymptomatibus ſedulo occurratur. Tanta eſt doloris vehementia, ut ad eum levandum totum medici ſtudium et diligentia deſiderentur. Ad hunc finem plumbi praeparationes, in ſtatu ſolutionis, parti dolenti ſunt admovendae; et, ob vim hujus metalli ſedantem, ad dolorem levandum commode adhiberi poſſit. Ex eodem fortaſſe principio, aqua lauro diſtillata nonnullum dolori breve ſubſidium, ut ex propria experientia conſtat, non raro attulit.

Non modo ad doloris vehementiam leniendam, ſed ad ſomnum

num conciliandum, ad anodyna confugiendum eſt. Sed, quo diutius noſmet ab his contineamus, eo melius. Nam, etſi primum votis noſtris reſpondere ſoleant, mox temere frequentiori uſu vires ſuas deperdunt; et ſyſtemati irritamen admoventia, morbum ad ultimum ſuum ſtadium maxime feſtinant.

His ex medicinae officina depromptis, nonnihil de regimine quam breviter adjiciemus, quod procul dubio methodo antiphlogiſtica conſtare debet. Diaeta potiſſimum e vegetantium genere eligatur oportet: fructus aceſcentes ſuis anni tempeſtatibus libere et copioſae adhibeantur: Potus ex aqua, vini exigua portione immixta, fiat: Tam in cibo quam in potu modus parcus et juſtum moderamen iterum atque iterum aegro ſuadetur. Hic rurſus mentio fiat moderati corporis exercitii, ſodalitii, hilaritatis, et caeterorum omnium, quae a nimia cura et anxietate animum revocare poſſunt.

DE MORBIS CUTANEIS.

AUCTORE JOS. DIMSDALE.

QUONIAM cutis affectiones adeo numeroſae ſunt, quoniam inter ſeſe tam magnopere diſcrepant, et ſanatu difficillimae ſaepius evadunt, cur medicorum attentionem potiſſimum ſibi vindicent, ſummaque cura ſint indagandae, haud opus eſt ut pluribus dicam. Pathologorum autem conamina in iiſdem inveſtigandis nondum feliciter ceſſiſſe fatendum eſt; quapropter minus accuratis inſigniuntur notis, nec idcirco adamuſſim a ſe invicem diſtinguuntur. Neque, mehercle, peculiaris eorum indoles cauſaque proxima huc uſque penitus intellectae fuerunt: Hinc neque regularis, neque uniformis, nec certis innixa eſt principiis, horum morborum medendi ratio.

Quamvis defectus tot tantoſque nos poſſe ſupplere minime ſperandum, attamen laude non indignum fore ejuſmodi molimen exiſtimamus; itaque, obſervationes quaſdam, quae huic propoſito accommodatae nobis viſae fuerunt, in medium proferre, in animum induximus.

Primo, errores quoſdam, in quos circa hanc rem inciderunt medici, indigitare; ſecundo, animadverſiones nonnullas, quae ad magis accuratam morborum cutaneorum diſtinctionem conducere poſſint, proferre conabimur.

Imprimis, abs re non erit adnotare, locum non deeſſe ſuſpicandi

ſpicandi partem affectam plerumque acri quadam infeſtari materie, quae vel tumori, vel ulceri, vel exſudationi, ex quibus morbus conflatur, ortum praebet. Aliquantulum tamen incerta eſt hujuſce acrimoniae origo, licet ſolennis apud pleroſque medicos obtinuerit opinio, hanc acrimoniam primum in ſanguine exſtitiſſe, et ex illo ad partem affectam devectam fuiſſe. Hanc tamen hypotheſin caduco ſaepiſſime fundamento inniti arbitramur; licet enim in ſingulari quadam parte ſeſe prodere videatur acrimonia, non tamen exinde ſequi eam revera exiſtere, vel prius totam ſanguinis maſſam infeciſſe, oſtendere tentabimus.

I. Quoniam ſecreta fluida in ipſis organis ſecretoriis quam ſaepiſſime formari novimus.

Quod plura ex illis ſpectat, ne minima quidem affertur probatio, ea in ſanguine formaliter praeexſtitiſſe; igitur, in eo ipſo per quod tranſeunt organo, et in cujus excretoriis tantummodo apparent, formentur neceſſe eſt. Illud abunde exinde confirmatur, quod varias fluidorum ſecretorum mutationes, a mutatione in organi ſecretorii conditione, ex irritationibus, vel relaxationis cauſis illi admotis, dum fluidorum in genere vel generalis circulationis ſtatus nequaquam mutatus fuiſſe videtur, pendere animadvertimus: Et, ex altera parte, ſaepe notabiles in generali circulationis ſtatu mutationes, dum fluida ſecreta eadem prorſus remanent, deprehendimus. Hujus exemplum ſit mucus, cujus tanta copia in ſyſtemate ſecernitur. Nullatenus probatur, hujuſmodi fluidum ſub hac larva in maſſa ſanguinea ſeſe abſcondere: E contra, aperte demonſtratur, mucum in folliculis ſibi propriis generari; et, ex mutationibus in horumce folliculorum conditione, varias induere formas, percipimus; ut cernere eſt in catarrho, coryza, gonorrhoea, &c.

Peculiare fluidum, particulari vaſorum, per quae fluidorum maſſa tranſeat, conſtitutione, formari poſſe, ex puris generatione, certo concludimus. Quis hoc in ſanguine ſemper praeſens eſſe contendat? In qualibet autem corporis parte cui vulnus aliquod infertur, vel quae inflammatur, gigni poſſe, nemo inficias ibit.

Acris igitur in quadam corporis parte materiei praeſentia, eandem ſanguini acrimoniam ineſſe, non teſtatur.

II. Quod ad cutem ipſam ſpeciatim attinet; acrimoniam, ſaltem phaenomena quae pro effectibus acrimoniae ſaepe habentur, in cute ex quibuſdam cauſis generari, per quas acrimoniam in ſanguine gigni ſuſpicari non licet, compertum eſt.

Ita non deſunt exempla eorum in quibus Gutta Roſea proruperit,

ruperit, propter id unum quod aqua pro potu communi uſi fuerint, quique, epotata cereviſia, ab illa immunes evaſerint.

Idem colligere poſſumus ex plurimis materiei ſpeciebus, quae, ſimulac in ventriculum accipiuntur, efflorefcentias in cute pariunt; quae tamen, quamprimum eaedem materiae ex ventriculo ejiciuntur, ſubito evaneſcunt. Huc pertinent variorum piſcium effectus, velut ſalmonis, halecis, aſtaci, &c. Sed nulli ſunt tam notatu digni, quam qui a V. Swiet. referuntur ex mytulis et cancrorum oculis fuiſſe producti. Hic ipſiſſima auctoris verba, quippe quae ſententiam noſtram mirum in modum confirment ac elucident, exſcribere liceat.

"Praeterea (inquit), docent obſervata, quandoque illud, quod pruritus et exanthemata facit, haerere in ventriculo, et circa praecordia; atque, hoc excuſſo, ſtatim iſta evaneſcere. Dum, mala fortuna, venenatum mytulum quis devoravit, ſumma ſequitur, nunc citius, nunc ſerius, anxietas; et paullo poſt, cum pruritu ſummo tota fere corporis cutis exanthematibus obſidetur; dato vitriolo albo vel ſimili alio emetico, quod illico vomitum facit, dum deglutitum eſt, ſi excutiantur contenta ventriculo, evaneſcunt brevi, una cum anxietate, hae efflorefcentiae: Neque credibile videtur, venenatam illam acrimoniam, ſanguini miſtam, ad cutim delatam fuiſſe, cum poſt vomitum illico ceſſent omnia mala. Novi hominem cui illico eadem ſymptomata contingunt, ſi lapides cancrorum ſumpſerit, ceſſantia pariter dum vomitu hos rejecerit."

Hinc obſervamus, morbos cutaneos a materia praeſente non ſemper deducendos, ſed a mutatione in ipſiuſmet ſanguinis diſtributione, prout majori minorive impetu ad vaſa cutis determinatur, prorſus pendere poſſe. Hujuſmodi mutationes, praeſertim quod cutem ſpectat, ad varias cauſas, ac, inter alias, ad animi pathemata, referri queant, quae effuſionibus vel ſtagnationibus locum praebent, ex quibus vel morbus ex toto oritur, vel acrimonia illiuſque ſubſequentes effectus profecto naſci poſſunt.

III. Si effectum mutationis in fluidorum determinatione attente perpendamus, facile occurremus argumento, quod vulgo ad opinionem acrimoniae quoſdam cutis morbos generantis ſuſtentandam allatum fuit; quo probare contendunt illius opinionis fautores, hanc genuinam ſanguinis eſſe prolem, eandemque ad natale ſolum reſorptione reverti. Petitur ex interrupta fonticulorum aliorumque veterum ulcerum evacuatione, atque ex repulſionis cutanearum eruptionum effectibus. Hoſce effectus a retentione acrimoniae prius e ſanguine expulſae, et ejuſdem ad alias corporis partes tranſlatione, edi complures putant. Hanc autem opinionem, in pleriſque caſibus,

bus, mere hypotheticam eſſe contendimus; ſaepiſſime enim ne minima quidem ex parte adeſſe dici poteſt quaelibet ſanguinis acrimonia. In fonticulis nihil certe praeſentem arguit dari acrimoniam, praeter eam quae quotidie ex partis conſtitutione generatur, ſtimuloque ad eam applicato producitur: Ablato autem ſtimulo, parteque ad priſtinum ſanitatis ſtatum revocata, ſiſtitur acris materiae formatio; ac proinde, nullus remanet contendendi locus, hanc vel retentam vel tranſlatam fuiſſe Veterum igitur fonticulorum, &c. exſiccatorum effectus ad mutationem in fluidorum determinatione prorſus referendos eſſe, negari non poteſt.

Effectus, qui ex hac diſtributionis mutatione proficiſci queunt, ex ſuppreſſione menſtrui in foeminis fluxus praeſertim intelligimus. Ibi dici nequit peculiare fluidum effuſum fuiſſe: Atqui tamen illius retentio innumera in aliis corporis partibus vitia gignit, quae utplurimum a commutata fluidorum diſtributione evidenter deducenda ſunt.

Quatenus quidam cutanei affectus ab hac fluidorum diſtributione, eorumque in vaſa cutis impetu adaucto, pendere poſſint, forſan exinde eruendum, quod in temperamentis ſanguineis, ad haemorrhagias proclivibus, Gutta Roſea perſaepe prorumpat; nec raro obſervamus nonnullos utriuſque ſexus, acmes tempore, id eſt, circa illam aetatem qua maximo plethorae gradu laborant, eruptionibus cutaneis obnoxios eſſe, quae tamen poſt paucos annos ſponte ſua decedunt.

Ex eis quae ſupra dicta ſunt, ſatis liquet, cutaneos affectus haudquaquam vitiata ſanguinis mole obtinere poſſe; ac revera de facto conſtat, complures hujuſmodi eruptiones hoc modo ſe manifeſtare. Hinc, inquam, aperte patet, licet per plures annos perſtiterint cutanei affectus, alia tamen ſyſtematis munia intacta ac illaeſa ſervata fuiſſe. Nec, utcunque vel ſanguinem ipſum, vel variarum excretionum conditionem, introſpiciamus, fluidorum ſtatum vel minimum a ſana ſua nativaque conditione aberraſſe, percipere poſſumus.

Denique, morbos cutis a communi ſanguinis craſi, vel a generali ſyſtematis affectu, rite deduci non poſſe, illi nulla dubitationis anſa relinquitur, quicunque animadverterit, hoſce cutis affectus ſaepe non internis remediis, ſed partis ipſius mutatione, et hac quidem ſola, ſanari. Sic nulla alia arte, praeterquam extirpandis capillorum bulbis, Capitis Tineae medemur: Et conjectura non improbabilis eſt, Lepram Ichthyoſin, quae perſaepe cum Tinea conjuncta eſt, idcirco ſanatu difficilem eſſe, quod eadem medendi ratio, in affectu tam late diffuſo, commode adhiberi nequeat.

Ulcera ſaepe nihil aliud ſunt quam cutanei affectus, quos, ſanie

ſanie ex illis profluente, ad ſanguinis vitium temere referimus. Sed nos perperam hic ratiocinari ex eo evincitur, quod ulcus, admota parva hydrargyri, cupri, vel aliorum medicamentorum topicorum, quantitate, abſque ullis internis remediis, conglutinetur. Praeparata igitur ex hiſce ſubſtantiis, ſive ad eorum indolem, ſive ad parvam qua ea exhibeamus quantitatem, aut ad eorundem applicationis modum, reſpiciamus, ea generalem ſanguinis craſin immutaſſe ſuſpicari non poterimus; ac ideo peractam fuiſſe ſanationem ſolius partis mutatione: Mutationem autem in eo conſiſtere, quod partis ipſius, a qua pendebat morbus, mutata fuerit conditio. Aliquando totus morbus dependenti partis poſiturae, et quidem nulli aliae cauſae, ortum debet; ſaltem remediis difficulter cedit. Hinc ulcerum cruris exempla exſtant, quae, cum omnibus remediis reſtiterint, horizontali crurum ſitu ſolo tandem ſanata fuerunt.

Ex eis omnibus concludi poteſt, vel acris materiei in cute praeſentiam, vel ibi phaenomena quae pro effectibus acrimoniae vulgo habentur, nequaquam ſemper acrem in ſanguine materiam exiſtere, atque ex illo ad cutem devectam fuiſſe, arguere: Et quo fortius apud medicos haec invaluerit opinio, eo ſaepius a vero ac genuino plurimorum morborum ingenio, illorumque proximis cauſis inveſtigandis, illos deterruit: Nec ſine probabilitatis ſpecie conjicere fas eſt, eos exinde impeditos fuiſſe quo minus idoneam, ac hiſce morbis maxime accommodatam, medendi rationem compererint.

Sed et ſimul a nimis generalibus cavendum eſt concluſionibus: Ideoque, licet cutanei morbi ſaepiſſime ad ſanguinis acrimoniam, tanquam ad illorum cauſam, perperam referantur; attamen nulla in nobis mora eſt quin acrimoniam, quibuſdam in caſibus, in ſanguine obtinere, ac morbos cutis manifeſto gignere, fateamur. Ita ſe res habent in ſcorbuto, in ſyphilitide, in ſcrofula, in exanthematis contagioſis, in venenis, per vulnera inflicta, cruori immixtis, ac tandem in cancere, aliiſque affectibus, abſorptionis ope, totum ſyſtema vitiantibus.

Sed, quanquam nullus ſit dubitandi locus, quin varii generis acrimonia in ſanguinem irrepere queat, et ad cutem devecta illam foedare poſſit; attamen obſervare oportet, vix unquam tam perſpectam planeque cognitam eſſe acrimoniae illius indolem, ut particularem ex hac notitia indicationem penes nos ſit deducere. Hic igitur generalem tantum indicationem ſequi fas eſt, cui diaetetica praecepta et evacuationes adauctae, diuque continuatae, totam ſanguinis molem immutantes, reſpondent.

Haud raro deprehendimus oeconomiam animalem quibuſdam

dam ſubſtantiis, quae caſu in circulationis curſum ſeſe inſinuarint, cito ejiciendis parem omnino eſſe. In variis contagioſis exanthematibus id obtinere novimus, in quibus, ad acrimoniae ingenium, quod eos lateat, nullatenus attendunt medici: Sed animadvertentes quonam modo ab illis extraneis corporibus ſeſe natura liberet, ad eundem perpendendum animos ſuos ex toto adjiciunt.

Plerumque accidit, ut nec acris hujus materiae indoles, nec illius expellendae ratio, innoteſcat: Ac proinde iſta parum curant medici, et ſolummodo ſatagunt, ut ejus effectibus, quamdiu in corpore maneat, obviam eant. Ita in rabie canina ſeſe gerunt. Itaque in univerſum, totius ſanguinis acrimoniam pro cutaneorum morborum cauſa habere, parum nobis in praxi prodeſſe, luculenter patet.

Enucleata generali cutaneorum morborum pathologia, confutataque, fere omnibus acceptiſſima, generalis acrimoniae doctrina; nunc ſupereſt, ut de diſcrimine quod inter cutaneos affectus interſit, et ſive ab hac ſive ab illa cauſa oriundi ſint, inquiramus.

Caſus affectuum cutaneorum, a praeſentia acrimoniae magis generalis vel topicae oriundorum, varios, inter ſeſe apertius diſtinguemus, ſi fontes unde profluant diverſos prius rite conſideravimus Imprimis, vitia cutanea per varios fontes unde materia acris efferatur, a ſeſe invicem ſecerni poſſunt.

Hi autem fontes ſunt *naturales* vel *praeternaturales*.

Quod ad priores attinet, examini ſubjicienda ſunt,

I. Solita perſpirationis organa.

II. Vaſa in bulbis pilorum excretoria.

III. Ductus ſebacearum glandularum excretorii.

Quanquam hi fontes utrique ſpecies cutaneorum affectuum, inter ſeſe diſtinctas, in genere dare queant; attamen fatendum eſt, eos aliquando ad unum eundemque effectum producendum evidenter concurrere poſſe: Morbos enim, ex illis fontibus ſeparatim ortos, inter ſeſe non raro commiſceri, revera notamus.

Nunc proprie de ſingulis agendum.

Materies perſpirabilis ſubter cuticulam, vapori ſimillima, diffunditur, atque ſub eadem forma ex epidermidis poris exhalat. Nonnunquam autem ſub liquidi forma ſe manifeſtat, vel, vaporis inſtar, tam celeriter effunditur, ut, antequam exhalari queat, in fluidum condenſetur; quod ubi fit, ſudor nuncupatur.

De hoc apud phyſiologos jamdudum convenit. A noſtro igitur propoſito alienum foret, phyſiologicam hanc quaeſtionem aggredi; quum hoc, ſive cuticulam pro organica vel inorganica

 haberemus,

haberemus, ad ratiocinia anatomicorum, de formatione ejuſdem. obſcuriora, nos plane deduceret. Satis erit igitur, ſi in praeſens adnotemus, ex microſcopicis Lewenhoeckii obſervationibus conſtare, cuticulae pororum, perſpirationi vel ſudori exitum praebentium, longe majorem eſſe numerum, quam ut extremis vaſis, quantumvis exigua eſſe ponantur, reſpondere valeant. Unde ſequeretur, haec fluida, per epidermidem, quaſi per cribrum, tranſire; minime vero per vaſa cutis verae ad cuticulam pertingentia, quorum aperta oſcula ſecretionem ſupra epidermidis ſuperficiem perficerent. Denique, analogia ex perſpiratione teſtarum ovi deducta, huic opinioni non parum favet.

Cum ſudorem tum perſpirationem acrimoniam quandam in ſemetipſis nunquam non continere veriſimile eſt: Illius autem acrimoniae indolem in apricum proferre, hic labor, hoc opus. Hoc unum certo novimus, acrimoniam, eamque ammoniaci generis ſalinam, in ſyſtemate quolibet, integerrima etiam ſanitate gaudente, ſponte naturae gigni; quod medicorum experientia clare probat. Haec materies ſalina cum fluidiſſimis corporis excretionibus, tanquam menſtruis ſibi accommodatis, ſeſe conſociat: Et idcirco magna illius copia per organa, ad urinam ſecernendam, vel perſpirationem et ſudorem foras eliminanda, deſtinata, viam ſibi patefacit.

Praeterea, cum ſudor et perſpiratio fluida ſint excrementitia, acrimonias alias, quae prius in ſanguine exſtiterint, quarumque natura nos huc uſque latuerit, una cum illis e corpore foras expelli, veriſimillimum eſſe videtur.

Contagia autem genere varia, exanthematibus ortum praebentia, immo, contagia quaedam et miaſmata febres gignentia, ſeu morbos exſuſcitant, ſeu affectus morbificos non producunt, ſed corpore illaeſo exeunt, quod quidem nonnunquam contingere videtur, per haec organa praecipue tranſmittantur neceſſe eſt. Sed de his fuſius infra.

Exhalationem perſpirationis, vel effuſionem ſudoris, materiam in extremis cutis vaſis, vel in illius ſuperficie, ſubter cuticulam, acrem ſaepe deponere poſſe, vel eandem in externa cuticulae ſuperficie coaleſcere, ex ſupra dictis ſatis apparet.

Ubicunque ſudoris formam induit effuſio, oportet ut ſimul acrior ſit, quippe quae majorem ſalinae materiae copiam contineat, et facilius, ob copiam et celerem ejus effuſionem, ſubter cuticulam detineatur, ibique ſuae acrimoniae effectus commonſtret.

Huic cauſae prorſus deberi videtur, ut quilibet, praedicta attente perpendens, fatebitur, quod regionum calidarum incolas, qui tam largo ſudoris profluvio aſſueti ſint, tam ſaepe adoriatur

adoriatur morbus Eſſera vocatus, pruritusque, Eſſerae perpetuus fere pediſſequus.

Quo magis ad iſta conſideranda animum adjungemus, eo facilius rationem cutaneorum morborum, regionum calidarum incolas invadentium, reddere poterimus.

Iiſdem cauſis effectum ſaepius obſervatum, Miliarem, nempe, Eruptionem, ſudorem in plurimis concomitari, lubenter aſſignarem. Nec improbabile videtur, hanc eruptionem, quam apud medicos plerosque ſub titulo Morbi Idiopathici, a contagio ſpecifico orientis, deſcriptam invenimus, nihil aliud praeter regiminis calidi ſudoriſque effectum eſſe. Ac reipſa quidem in illis partibus fere ſolis erumpit quae veſtibus obducuntur, ac ab externae atmoſphaerae injuriis proteguntur. Sic crebrius ſuos effectus edit ſudoris acrimonia, miliarem eruptionem, in veſiculas admodum exiguas celerrime abeuntem, producendo: Aliquando vero phlyctaenas numeroſiores, vel veſiculas magis prominentes, emergere facit; cujus cutanei affectus in Zona vel Zoſtero exemplum cernere eſt. Nobiſmet phlyctaenas videre accidit in caſu rheumatiſmi ſudore ſtipati, ubi hujuſcemodi eruptio, in eis tantummodo partibus quae panno laneo ſint opertae, conſpiciendum, nobis non parum mirantibus, ſeſe praebuit.

Cum acres materiae cuti admotae inflammationem ibi pariunt, vel exhalatio, vel effuſio, vel exſudatio quaedam, deprehenditur, quae quidem per ſolita perſpirationis vel ſudoris organa prorumpere dici poteſt; caeterum, ſimul per adauctam vaſorum illam fundentium actionem, mutationem aliquam ſubiiſſe videtur. Hinc non ſine probabilitatis ſpecie concludere fas eſt, hanc tanta craſſitie eſſe praeditam, ut exinde non amplius per poros cuticulae tranſire queat: quapropter illam ſubter accumulatur, amplaſque excitat veſiculas tenui fluido repletas; et hae quidem veſiculae a variis acribus materiis, corporis ſuperficiei admotis, quae primo inflammationem, deinde veſiculas, gignunt, procreantur.

Ad hujuſmodi acrimoniam, quae nonnunquam cauſis externis, perſaepe autem internis, debetur, Eryſipelas, quod quidem in veſiculas abire, et per illas terminari, omnibus notum eſt, referendum eſſe putamus.

Utrum aliarum veſicularum exempla, ſimili modo, acri materiae, cutis ſuperficiem infeſtanti, tribui debeant, non ita clare conſtat. Utrum, verbi gratia, in Pemphigo Caſtrenſi, et Pemphigo Helvetico Sauvageſii, primum ad cutis ſuperficiem deferatur materies, vel in vaſis ipſis ſuos exerceat effectus, nequaquam evincit manca et imperfecta horum morborum hiſtoria.

In Pemphigi ſpecie, quae in hac regione occurrit, haud maligne morbus graſſatur, parva admodum febre ſtipatur; et, quanquam non exiguae ſint veſiculae, ne unum quidem inflammationis ſignum apparet.

Num unquam cuticulae ipſius, perſpirationem difficilius emittentis, vitio adſcribi veſiculae poſſunt?

Puero decem annos nato, a primis incunabulis, plurimae corporis partes, manus potiſſimum et pedes, veſiculis, variae magnitudinis, quarum minimae molem grani ſinapis, maximae nucis avellanae, adaequabant, fere ſemper obtegebantur. Abſque praeeunte inflammatione veſiculae eruperunt, tenui ſero replebantur, et paucae ex minoribus tantum purulentam materiam continere viſae ſunt. Aliquot ab eruptione diebus elapſis, cuticula diſrupta, materiem effuderunt, quae nullam omnino acrimoniae ſpeciem prae ſeſe ferebat. nec ullam ulcerationem excitabat. Exhalata vel effuſa materia, nova epidermis protinus reſtituta eſt. Puer illibata alioquin ſanitate fruebatur, quamdiu perſtitit eruptio; itaque vix ulla cauſa eſt cur acrimoniam vel in parte affecta generari, vel in ſanguine invaleſcere, ſuſpicemur. Hiſce igitur ſupra propoſitis inducti, eruptionem cuticulae vitio potius referendam eſſe cenſemus.

Ut effuſiones ex inflammatione oriundae vel tenue ſerum haud facile in pus convertendum, vel materiam certam, quae poſt quandam ſtagnationem in abſceſſu, aut exhalationem in ulcere, quam promptiſſime in pus abeat, referunt; ſic idem diſcrimen in inflammationibus in cutis ſuperficie animadvertitur. Ita ex alio irritamento parti cuilibet admoto oritur veſicula ſero limpido referta; dum aliud irritamenti genus puſtulam, vel veſiculam pure repletam, producit.

In Variolis, ſubter cuticulam deponitur materies, movetur inflammatio, effuſione ſeri ſtipata, unde conflantur veſiculae, quarum materies in pus immutatur.

Id contingit, quandoque, in inſitione variolarum, materies, qua lanceolae apex imbutus eſt, cuticulae inſeritur: Et cum ex prima hac veſicula virus ſanguini per abſorptionem admiſtum fuit, illud ad alias cutis partes, per ſolita perſpirationis organa, advehi putamus; ac ſimili modo puſtulas producere videtur, ejuſdem fere generis, cujus prior veſicula, ab inſitione orta, fuerit.

Effuſionem infra cuticulam obtinere, ac in ſacculis hoc in caſu contineri, ſatis evincit praxis Indorum, apud quos mos eſt puſtulas aperire, unde data porta ruit materies; leve vulnus autem cito conglutinatur, ac extemplo rurſus replentur ſacculi: Et, licet duorum triumve dierum ſpatio ad ſextam

vel

vel ſeptimam vicem repetatur inciſio, unaquaque vice ejuſdem prorſus indolis materies effunditur.

Haec variolarum conſideratio nos docet, effuſionem, ſi mitis ſit, et cito in pus inſpiſſetur, puſtulis, quae brevi exſiccentur, nullaque cutem cicatrice deforment, excipi. Sin autem cicatrices adſint, materiem effuſam magis acrem fuiſſe non immerito ſuſpicamur: Et hoc praecipuum ſiſtit diſcretas inter et confluentes variolas diſcrimen. Hic tamen, effectus, a variolarum veneno generale ſyſtema afficiente oriundos, ſilentio praeteriiſſe monendum eſt.

Diligenter perſpecta hac variarum materierum indole, cur materies in veſiculis conſuetis, in eis, puta, quae ab epiſpaſticis excitantur, diverſa reperiatur, intelligimus. Hinc, inquam, diſcimus, cur, expulſa materie, nuda omnino relinquatur cutis ſuperficies, dum aliis in caſibus craſſius eſt hoc fluidum, magnamque gelatinoſae materiae, cutis ſuperficiei firmiter adhaereſcentem, copiam oſtendit.

Hinc operae pretium foret inquirere, Utrum cutis ſuperficies, poſtquam illi inflammatio ſupervenerit, eandem materiae ſpeciem, quae in ſuperficie internorum viſcerum quae corripuerit inflammatio, reperitur, exſudare queat; ac proinde, utrum haec materies, abſque eroſione, ex ipſiſmet perſpirationis organis profluat?

Rem ita ſe habere in inflammatione glandis penis, cujus tenuis admodum eſt cuticula, ſatis evidenter patet: Ac quidem in externa tumorum inflammatorum ſuperficie, cuticula, applicationum emollientium uſu, deſquamata, idem prorſus deprehenditur.

Si igitur hujuſcemodi fluidum cutis exſudare queat, ſatis veriſimile videbitur, materiam in perpetuis epiſpaſticis, eadem ratione ac in veſicula prima, abſque eroſione effundi.

II. In pilorum bulbis alterum fontem exſudationum vel effuſionum in corporis ſuperficiem habemus.

Ab illis exſudationem oriri, quae partim capillorum curſum ſequitur, partim ſuper cuticulae ſuperficiem diffunditur, neminem latet. Nec incredibile eſt, hanc, aeque ac alias corporis ſecretiones, ſaepe morbis eſſe obnoxiam. Quam hypotheſin ut fulciamus, pauca exempla, in quibus id evidenter obtinere videtur, referemus. Hujuſcemodi unum nobis, me judice, ſuppeditat Trichoma vel Plica Polonica *: Cum vero noſtriſmet oculis morbum hunc conſpicere non datum ſit, nihil certum de illo proferre poſſumus. † Tineam capitis, a mor-

* Morbus contagioſus, capilli ſolito craſſiores, in cirrhos et funiculos inextricabiles implicati. Cull. Gen. Morb.

† In cute capillata, ad radices capillorum, ulcuſcula humorem in cruſtam albam friabilem abeuntem fundentia. Ibid.

boſa

boſa in capillorum bulbis excretione facta proficiſci, confidentius affirmare licet; nam, ut ſupra obſervavimus, capillitium praecipue infeſtat, et, evulſis tantummodo capillis, ſicque penitus diruta vel immutata bulborum conditione, ſanatur. Sub cruſtarum admodum craſſarum forma ſeſe prodit Tinea; ſed in aliis corporis partibus, ubi exiliores pili, eorumque bulbi craſſo humori effundendo minus ſunt idonei, tenuis ac aliquantulum refulgens ſquama, circa partes quibus pili ſint inſerti, efformatur. Hic cutis affectus Lepra Ichthyoſis apud Sauvageſium audit, ac admodum frequenter tineae capitis adjungitur.

Prava hujuſce exſudationis conditio ſaepiſſime etiam in Scorbuto obſervatur, cujus diverſicolores maculas pilos fere ſemper circumdare Hulmius affirmavit.

III. Tertium fontem exſudationis in cutis ſuperficiem, in glandulis ſebaceis, unde nulli exoriantur pili, invenimus.

Varias cutis partes, in quibus hae glandulae collocentur, anatomicorum eſt adnotare. Quoniam autem de illorum exiſtentia apud nullos controverſia movetur, dubitari non poteſt quin depravatam aliquando materiem exſudare poſſint. Hujuſmodi exſudatio, quibuſdam in caſibus, magnas mutationes in corona glandis, vel tarſo palpebrarum, ſubiiſſe cernitur.

Utrum quidam cutis affectus, et nonnullae concretiones ſuper eandem formatae, a pilorum bulbis, vel a ſebaceis glandulis exoriantur, determinare ſaepenumero non leve negotium. Idoneus igitur hic eſt locus adnotare, acrem materiam, ſive ab uno ſive ad altero fonte derivetur, exſudari, unde pars irritatur, inflammatur, aliquando excoriatur: Quod ubi fit, craſſa ſimul exſudatur materies, quae coaleſcit, ac quodammodo favi ſpeciem prae ſeſe fert. Achor, ejuſque ſpecies Cruſta Lactea vocata, hujus exemplum luculentum nobis ſuppeditare videntur.

Acrimoniae ſpecies, quae hiſce in caſibus deprehenditur, contagioſa dici poteſt: Cum enim parvam tantummodo corporis ſuperficiem adorta eſt, pauxillum acris hujus materiei in partem ſuam delatum, affectum haud diſſimilem progenerabit; ſicque rationem reddere nos penes eſt, cur morbus hicce, a parte in qua ſua habuerit incunabula, poſtea tam late ſeſe diffundat. In parte forſitan prius affecta, ab interna ſolummodo cauſa, ortum ducit; poſteaque, in reliqua cute, acrimonia ad illam extrinſecus applicata, ſeſe oſtendit. De copia hujus acrimoniae in corporis penetralibus, ex morbi externa diffuſione, judicium non ſemper trahendum eſt.

Quandam tamen acrimoniam, intus exiſtentem, cum iſtis exſudationibus

exſudationibus ad foras erumpendum proclivem eſſe, non ſolum ex eis, quae de ſcorbuto ſupra adnotata fuerint, ſed etiam ex eo, quod hunc ſibi exitum eligere ſaepe animadvertatur Labes Syphilitica, concludimus. Validius hujuſce documentum vix habere poſſumus, quam quod lues venerea, ſaepe in corporis ſuperficie, quam ſaepiſſime in capillitii marginibus, ſe manifeſtat, ibique formam exſudationum concreſcentium, favo ſimillimam, induit; quod etiam in Achoribus evenit.

Supereſt ut aliquid dicamus de cutaneis morbis ab effuſione ex fontibus praeter naturam ortis, ut in variis eroſionibus ulceribuſque videre eſt. Varias illorum formas delineare non poſſumus; igitur, ad eos, qui de eis tractaverint, autores, lectorem relegemus neceſſe eſt.

Duo alia ſubjicere operae pretium erit.

Primo, Te fugere nequit, acrimoniae fontes, qui vel ſecundum vel praeter naturam exiſtunt, perſaepe commiſceri, et affectus exinde oriundos vario modo inter ſeſe conjungi. Saepe maximo cum emolumento quiſnam ſit affectus primarius inquiri poteſt. Caeterum hujuſcemodi quaeſtiones explicatu difficillimas eſſe omnes bene norunt.

Secundo, Magnam ulcerum partem nihil aliud praeter affectum prorſus localem eſſe, et generalem acrimoniam, hic, aeque immerito ac in pluribus aliorum morborum cutaneorum exemplis, incuſari. Quam parum hoc a vero diſtet, experientia quotidiana ſatis clare demonſtrat. Si enim generalibus remediis hoſce morbos depellere aggredieris, ſpes tibi ſaepe fallentur: Contra vero, medicamentis parti affectae admotis, eos brevi ſanabis.

RATIO MEDENDI.

Cum pathologia hujuſce argumenti tenebris tantis tamque ſpiſſis involuta ſit, conſilia curandi, ex toto abſoluta, et ſpeciei unicuique particulari prorſus accommodata, in medium proferri poſſe haudquaquam ſperandum; igitur paucul as tantum obſervationes generales, quas non inutiles fore ſperemus, tradere aggrediemur.

Primum, Cum multi affectus cutanei omnino topici ſint, curationem eorum, per remedia ſyſtema univerſum afficientia, tentare, operam tantum perdere foret. Vires aegrotantium, catharticis ſaepius reiteratis, aliiſque remediis generalibus, cum topica ſolum neceſſaria ſunt, et ſola proficere poſſunt, convellere, non tantum ſupervacaneum, ſed aliquando nocivum. Hujus exemplum, uti mihi videtur, in Pſora * ſatis luculentum ha-

* Puſtulae et ulcuſcula pruriginoſa, contagioſa, manus male habens. Ibid.

bemus:

bemus: Hic morbus enim ſulphure aut mercurio extrinſecus admoto facile ſanatur; prius vero interne datum, in morbum nihil omnino poteſt; et poſterior, interne ſumptus, in morbum tardius, quam externe applicatus, agit. Uſus acidi vitriolici internus, hoc in morbo, nuper laudatus fuit; quaenam vero illius ſit virtus et efficacia, experientia nondum ſatis plane perſpicueque demonſtravit.

Secundum, Nonnulli e morbis cutaneis non ſolum topici ſunt, ſed etiam in affectibus, quos in melius mutare neſciamus, conſiſtunt. Sola igitur curandi ratio eſt, partem morbidam delere, et defectum per aliquid ſanius et integrius naturae ſupplendum relinquere. Res ita ſeſe in Tinea habere conjicimus, cui, bulbis capillorum vitiatis radicitus evellendis, non medicamentis, ſuccurritur.

Tertium, Cum vitia cutanea ab acrimonia maſſae ſanguineae communis pendent, ea rarius per medicamenta alvum ducentia e corpore foras expelli poteſt. Morbos tamen cutaneos, alvum purgando, medici plerique tollere conati ſunt. Humores in ſuperficie corporea conſpicati, acrimoniam maſſae ſanguineae ineſſe, nimis frequenter et temerario ſibi in animum induxerunt; et, hoc poſito, inteſtina pro cloaca corporis communi perperam habuerunt, et omnem ſanguinis impuritatem per eandem evacuari debere putarunt Partem quidem acrimoniae in ſanguine ſubſiſtentis per hanc, licet alius exitus illi a natura deſtinatus ſit, foras expelli poſſe, non inficias ibimus. Tota hujuſcemodi acrimonia, purgationibus ſubinde interruptis, talia enim fere adhibentur, e corpore elici, et ea diarrhoea continua, quae hoc in propoſitum accommodata foret, abſque multis incommodis et periculo conſervari, nequit. Default, operationem mercurii ad inteſtina, quo venenum ſyphiliticum, per ſanguinem diffuſum, per eadem foras expelleret, prorſus determinare conatus eſt; quam praxin quoque aemulatus eſt Douglaſſius chirurgus Hic vero, licet hanc medendi rationem in ſcriptis ſuis magnopere laudaverit, in eandem tamen curandi viam, quantum mihi ſcire licuerit, nemo proceſſit; quoniam eſt difficilis, incommoda, ſaepe nociva, ſaepe parum efficax. Igitur alvi purgationem, in morbis cutaneis tam promiſcue adhibitam, fere inutilem et ſupervacaneam eſſe ducimus; unus tamen caſus eſt, in quo aliquid commodi exinde oriri videatur: Quandocunque enim affectus cutaneus in determinatione ad cutem phlogiſtica conſiſtit, vel eadem ſtipatur, laxantia refrigerantia non parum levaminis ſecum adferre conſueverunt.

Quartum, Succi ſcorbutici non tam frequenter, quam quidam ſunt opinati, conveniunt. Saeculo ſuperiore, per vocabulum

bulum Scorbutus, quamlibet acrimoniam ſanguini ineſſe exiſtimatam in genere medentes ſignificarunt; cumque documentum acrimoniae hujuſcemodi commune fuerit vitiorum cutaneorum eruptio, in his omnibus ſuccos antiſcorbuticos adhibuerunt, quos experientia in ſpeciem particularem tantum poſſe demonſtraverit Hae autem opiniones hodie plerumque ſunt emendatae. Vocabulum Scorbutus ad unam morbi ſpeciem indigitandam hodie ſolum adhibetur, in qua ſucci antiſcorbutici ſaepe proſunt; utrum vero contra affectus cutaneos reliquos, a vero ſcorbuto originem ſibi non deducentes, necne proficiant, admodum dubium eſſe videtur.

Quintum, Quaenam remedia, interne ſumpta, in morbis cutaneis, ſeu ab affectione topica, ſeu ab acrimonia per maſſam ſanguineam diffuſa, pendentibus, plurimum boni promittunt, ea ſunt diaphoretica. Haec, cum ad vaſa ſuperficiei corporeae determinentur, et circuitum ſanguinis ibidem promoveant, ad obſtructiones vaſculorum cutis removendas potiſſimum accommodari videntur; et eadem remedia, quoniam perſpirationem adaugent, acrimoniam e ſanguine, ante omnia alia, evacuant, cum organa perſpirationis ſint exitus praecipui huic conſilio a natura deſtinati. Cum effectus hujuſcemodi a diaphoreticis ſperare liceat, quaedam de delectu eorum habendo dicemus.

Aquae minerales in morbis cutaneis frequenter, et non abſque ſucceſſu proſpero, in uſum ſunt revocatae; et, licet e corpore, per vias urinarias, potiſſimum exeant, copia tamen non parva ad cutem quoque determinantur; et igitur vim diaphoreticam habere poſſunt.

Aqua haud dubie, per fluiditatem ſuam magnam, ad vaſa corporis humani minima ingredienda, et igitur ad unamquamque ſyſtematis ſecretionem et excretionem promovendam, accommodatur Per vaſa perſpirationem et urinam excernentia, quae, prae omnibus aliis, aperta ſunt, foras expellitur, et per haec acrimoniam ſanguinis, quae plerumque ſalina eſt, et ab aqua aptiſſime ſolvitur, una ſecum e corpore eliminat. Aqua ſimplex igitur, in ventriculum copioſe ingeſta, in multis morbis cutaneis prodeſſe poteſt; ſed haec ejus utilitas augeri poteſt, ſi eam materiis quibuſdam, quae vaſis excernentibus ad quae deferantur, ſtimulum inferant, prius impregnaveris. Praeſentior etiam in morbos cutaneos aqua hujuſcemodi reddi poteſt, ſi per balneum calidum ad cutem plenius determinetur. Aquae minerales affectibus ſyſtematis lymphatici probe conveniunt; et igitur ſcrofulae, quae illius ſyſtematis vitium eſt, et effectus in ſuperficie corporea ſuos frequenter oſtendit, eluendae, potiſſimum accommodantur.

Ex multis ſtimulantibus, quae pro diaphoreticis haberi queant, pauca tantum in morbis cutaneis in auxilium vocata, vel poteſtate acrimoniam ſanguinis evacuandi pollere exiſtimata ſunt, ſi ea quae, ſeculo ſuperiore labente, ob opiniones quorundam medicorum fallaces et a vero longe abludentes, Alexipharmaca audierint, excipias. Quae diaphoretica, in morbis cutaneis, hodie ſola adhibentur, ea ſunt guaiacum, et quaedam alia ligna et radices, quae partem fere decocti lignorum conſtituerunt. Quantum compluria ex hiſce remediis ſpectat: Cum adeo a practicis hodiernis deſpectui habeantur, quam inutilia ſint, hoc ex aliqua parte probat. Quorundam vero, quae nondum rejiciuntur, virtus aut dubia, aut non ſatis comperta eſt. Multum forſitan in nullo eorum, praeterquam in guaiaco ipſo, reponi poteſt. Reſinam hoc lignum continet, quae manifeſte virtute diaphoretica praedita eſt, et, per aquam, uti in decocto fit, diffuſa, acrimoniam eluendo, eandemque per ſpiracula cutis expellendo, proficere poteſt. Num vero aeque utilis ſit, ac multi aevo ſuperiore ſibi perſuaſerunt, admodum incertum eſſe videtur.

Diaphoretica hoc potentiora ſunt panaceae chemicorum, nempe, antimonium et mercurius. Antimonium, etiam crudum, facultatem pelles equinas eruptionibus foedis liberandi inſignem manifeſtat; et igitur effectum non longe diverſum in corpore humano editurum eſſe, non abſque cauſa ſperares: Hoc vero rarius adhuc eſt obſervatum. Modo ſequente praeparatum medicamentum efficacius, corporique humano utilius, evadit. Pars ejus regulina adeo a ſulphure antimonii crudi ſeparatur, ut acida ventriculi in regulum agere poſſint; vel pars regulina prius cum acidis quibuſdam, quam in ventriculum ingeratur, conjungitur. Haec ex antimonio praeparata contra quoſdam affectus cutaneos efficacia nonnunquam fuerunt; caeterum, cuinam ſpeciei potiſſimum conveniant, vel quaenam ratio eadem adminiſtrandi ſit optima, nondum compertum habemus.

Diaphoreticum magis efficax, et in auxilium morborum multo plurium promptum, eſt mercurius. Hic omnia ſyſtematis vaſa excernentia ſtimulat, et igitur humores tantopere evacuat, et obſtructiones reſolvit. Praeſertim in corpore, ſaltem largiter, nunquam accumulatur, quin per cutem copioſius foras eliminetur, et ita cum acrimoniam in genere expellat, tum in obſtructiones cutis quamplurimum poſſit. Attamen, ad acrimoniam tantum ſyphiliticam evacuandam potiſſimum accommodari novimus. Cuinam vero acrimoniae praeterea peculiariter conveniat, nos omnino latet. In acrimonia ſcorbutica plurimum nocet; in cancros et quoſdam alios affectus

ſectus nihil omnino poteſt; in ſcrofula de utilitate ejus multum ambigitur. Mercurius igitur haud remedium eſt univerſum; cuinam vero morbo cutaneo potiſſimum accommodetur, aliis quaerendum et ſtatuendum relinquo *.

* Ad iſtas eruptiones, cutim phlyctaenis vel ulcuſculis gregalibus, nunc humidis, nunc ſiccis, foedantes, ſanandas, cel. Home pilulas plummeri Ph. Ed. tincturae cantharidum, decocto ulmae, juri viperino, acido vitriolico omnibuſque aliis, anteponit. Balneum calidum et fonticuli pilularum effectus multum adjuvant. Vide Home's clinical experiments. Lotiones ſaturninae aut mercuriales, ut et acidum vitriolicum aut calx zinci cum axungia porcina, conjuncta, et partibus affectis adhibita, aliquando votis reſpondent. Tales affectus cutanei interdum regimini et medicamentis tonicis ſolum cedere videntur. Mundities ſemper neceſſaria, ſola ad ſalutem ſaepe ſatis.

DE ICTERO.

AUCTORE JOAN. WILLIS.

DEFINITIO.

"FLAVEDO oculorum et cutis; faeces albidae; urina obſcure rubra, immiſſa colore luteo tingens."

HISTORIA MORBI.

Hunc venire teſtatur dolor in regione jecoris obtuſus, quem brevi ſubſequuntur gravitatis tenſioniſque circa praecordia ſenſus, corporis univerſi torpor et laſſitudo, cutis pruritus et ariditas, ſitis aliquando magna. Deinde notae in definitione comprehenſae ſeſe oſtendunt. Has quidem non ſemper antecedunt ſigna modo poſita. Dolor hypochondrii dextri ſenſim augetur, laſſitudo corporis major fit, accedunt ſopor, ſpiritus difficilis, oris amaritudo, nauſea vomitionem plerumque ad extremum movens, ſumma praecordiorum anxietas. Flavedo non amplius albo oculorum continetur; ſed prius in cervices, deinde in totam corporis ſuperficiem, ſeſe diffundit. Urina nunc reddita aliquid craſſum ſubnigrumque deponit. Partes abdominis diverſae intrinſecus ſaepe dolent, et abdomen ipſum extrinſecus non raro intumeſcit. Reliqui tandem humores ſecreti non minus, quam urina, flaveſcunt, ſaliva, ex. gr. &c. Morbo quotidie ingraveſcente, flavedo non tantum corporis extrema tenet, ſed in intima etiam deſcendit, telae celluloſae, medullae oſſium, ter-

rae oſſium ipſi, &c. ſeſe admiſcens. Cutis ipſa nigreſcit, quod fecit ut morbus hoc per ſtadium Niger appellari conſueverit. Nonnullae quoque ſunt notae canalis alimentarii propriae. Alvus enim dura eſt, vis ventriculi concoctrix imminuitur, acor in eodem invaleſcit, plurimumque moleſtiae aegroto faceſſit. Quaecunque nonnulli aegri contemplantur, ea omnia iis flava videri dicuntur. Denique, ſi morbus non levatur, ſed diu manet, vires aegroto miſerando ex toto convelluntur, pedes ei tandem intumeſcunt, et alia hydropis ſummaeque debilitatis ſigna accedentia, ad extremum jam ventum eſſe demonſtrant.

DIAGNOSIS.

Nulli fere morbi ſunt, quos inter et icterum aliquid verae ſimilitudinis intercedit; et pauci tantum, qui ſpeciem morbi regii, etiam falſam, prae ſeſe ferunt. Hi autem, quantum reminiſcor, ſolummodo tres ſunt, febris nempe Indorum Occidentalium flava, chloroſis, morſuſque quorundam animalium venenati.

1. Quantum ad febrim Indorum Occidentalium flavam attinet, haec et icterus omnibus rebus, praeterquam colore cutis et urinae, inter ſeſe plane evidenterque differunt. In hoc nulla pyrexia unquam adeſt; niſi forſitan in illo exemplo, ſi revera tale eſt, ubi ab hepatitide proficiſcitur. Quod ſi incidit, febris non icteri, ſed hepatitidis, quae tantam forſitan hepatis diſtenſionem excitavit, quanta ductus biliarios comprimere potuit, haud dubie propria eſt. In hoc flavedo quoque in albo oculorum ſemper prius, deinde partibus in reliquis, ſeſe oſtendit. In illa, contra, tota corporis ſuperficies prius, deinde tunica oculi conjunctiva flaveſcere ſolet. Quinetiam faeces non albeſcunt, alvus ſoluta manet, et vomitus continuus et bilioſus adeſt. Quae notae febrim flavam ab ictero ſatis manifeſte ſecernunt. Denique, cauſa flavedinis in illa et hoc, ut multis placet, admodum diverſa eſt; in febri etenim a ſero ſanguinis diſſoluto, et ad putredinem vergente, non abſque ratione gravi, oriri creditur.

2. Quantum chloroſin ſpectat, ſuperficiem corpoream hac, omni alia cachexia, multiſque aliis praeterea morbis laborantibus, flaveſcere, aut ad flavedinem magis minuſve vergere, non diffitemur. Caeterum, flavedo hujuſmodi, relaxationis et debilitatis univerſae quodammodo propria, et, uti opinor, inexplicabilis, ab icterica magnopere differt; namque tunica oculi adnata parum tantum flaveſcit, et urina immiſſa colore luteo non tingit. Quinetiam alia ſigna non pauca, icteri propria, in chloroſi ſeſe nunquam oſtendunt.

3. Quod

3. Quod ad morſus quorundam animalium venenatos pertinet, in partibus, quibus multa animalia, velut viperae, araneae nonnullae, canes rabidi, &c. dentes illiſerint, flavedinem oriri minime negamus. Haec vero ab icterica toto coelo differt, a margine partis laeſae incipiens, et, in loca vicina interdumque corpus in univerſum ſeſe diffundens, et, ut ingenioſiſſimi phyſiologi opinantur, a bile nequaquam, ſed a ſero effuſo, quod ſaepe flavedine multas corporis partes impertitur, promanans. Inſuper, urina et tunica oculi adnata ejus omnino expertes manent.

Notas quoque, ſi modo fieri poſſit, quae cauſas diverſas morbum excitantes indicent, hoc in loco a ſe invicem ſecernendas puto; quamvis hoc, quod cauſas ipſas nondum ſum executus, mihi forſitan vitio verti poteſt.

Tumores autem hepatis ipſius partiumve vicinarum morbum facere conjicere licet, ſi aegrotus doloribus hypochondrii dextri vel epigaſtrii diu ante laboravit, quam morbus ſeſe oſtendit; ſi vultus, in modum cachexia colluctantis, ei aquoſe-pallidus, ſi ita loqui liceat, fuit; ſi notae dyſpepſiae ſubſtiterunt: ſi morbus, denique, ex quo primum ortus ſit, continuus fuit, nunquamque deceſſit.

Calculi an ſpaſmus morbum moveat, ſtatuere in primis difficile; namque illos et hunc eadem fere ſigna ſubſequuntur, dolor, nempe, loco proprius, vomitio, paroxyſmi reiterati, ſpatiumque horum incertum. Spaſmum autem in cauſa eſſe ſuſpicari licet, ſi paroxyſmus brevi decedat, ſi nullus calculus deſcendat, ſi affectus animi concitatiores paroxyſmum moveant; calculum, contra, in cauſa eſſe, ſi morbus cuilibet niſui vehementiori, equitationi, vomitioni, &c. quae calculum e veſica fellifera in ductum communem detrudere poſſunt, superveniat.

CAUSA PROXIMA.

Pro hac autem excretionem bilis impeditam, pleriſque in exemplis, habere non dubitamus.

Nonne vero ſecretio obſtructa vel impedita icterum nonnunquam continet, vel ut cauſa ejus proxima agit? Hanc in ſententiam quidem conceſſerunt nonnulli, ob notitiam rei medicae ſuam jure nobilitati, Boerhaavius, nempe, Morgagnius, et quidam alii. At hoc feciſſe videntur theoria fundamento parum ſtabili innixa adducti, quae omnes humores ſecretos in ſanguine, antequam glandulas ſecernentes attigerit, propria ſibi forma adeſſe ponit. Igitur, inquiunt viri celebres, ſi aliquod vitium hepati illatum bilem ſecerni impediat, ea in ſy-

ſtema

ſtema univerſum diffuſa icterum moveat oportet. Nonne vero, illis judicibus, ſanguini ſemper admiſta eſt? Quid igitur obſtat, quominus icterus perpetuus mortales exerceat? At, ſecretione aperta et libera, minus ejus cum ſanguine commiſceri fortaſſe reſpondebitur. Rem ita ſeſe habere ponas; quod vero minus eſt, id minorem, ſed aliquem tamen, effectum edet. Ceterum, ſi bilis propria ſua forma ſanguini inſit, nullos omnino, ſanitate ſubſtante, effectus edere conſuevit; igitur eam in ſanguine hoc modo exiſtere, omni dubitatione remota, negarem. Quod noſtram opinionem quam minime dubiam reddit, eſt hoc, quod ſanguis cuilibet corporis vaſi detractus nullas particulas amaras bilioſaſve continere videtur. E vena etiam portarum, ubi, quaſi in penu ſuo, particulas hujuſmodi offendere ſperares, emiſſus nullam, ut multa experimenta teſtantur, ſpeciem bilis omnino prae ſeſe fert, eam nec colore, nec ſapore, nec quibuſlibet aliis dotibus, reddens.

Quam vero mutationem partibus in glanduloſis ſubeat ſanguis, eam alii ſtructurae organorum ſecernentium ſoli, alii mutationi alicui miſturae chemicae, tribuerunt. Qualis autem mutatio ſit, et unde pendeat, utrum a ſtructura partis ſecernentis, an ab aliqua forſitan fermentatione, magna ex parte ignoramus; namque anatomicos hujuſce ſeculi perſpicacis optimos non parum latuit glandularum textura.

Denique, quod ſententiam, in quam ivimus, in primis ſuſtentat, hoc eſt, quod exempla ſcirrho extinctorum innumera non deſunt, in quibus ſecretio bilis ex toto vel magna ex parte impedita fuit, et nullae tamen icteri notae ſeſe oſtenderunt. At in aliis idem genus icterum ortum eſſe, nobis forſitan objicietur. Hoc quidem incidere poſſe, fundamentis noſtrae opinioni non ſubrutis, ſed inconcuſſis manentibus, lubentes confitemur; namque hepar ſcirrho laborans in parte concava, et prope ductus bilem in inteſtina devehentes, aeque, ac in aliis, adeo intumere poteſt, ut deſcenſum bilis ductus comprimendo impedire facillime queat. Unde igitur, fortaſſe reponetur, niſi a ſecretione obſtructa, oritur color ille ſubflavidus, qui in omnibus fere ſcirrho aliiſque hepatis morbis laborantibus ſemet oſtendere conſuevit? Non a bile ſanguinis ſero admiſta; namque flavedo non aeque, ac in ictero, magna eſt, et reliliquae notae icteri propriae ex toto deſunt. Urina, exempli gratia, immiſſa colore luteo nunquam tingit, ſaliva aliique humores ſecreti nunquam flaveſcunt. Caeterum, ut ſupra poſuimus, a conditione corporis cachectica in relaxatione ſolidorum nimia, humoribuſque ad putredinem plus ſatis vergentibus, unde ſerum ſanguinis in telam celluloſam effunditur, eamque et cutem colore flavido impertiri poteſt, conſiſtente,

proficiſci

proficiſci videtur. Haec autem omnia conjuncta ſecretionem bilis impeditam pro cauſa icteri proxima nunquam habendam eſſe, plane eviden̄terque demonſtrant.

Proximum autem eſt, ut, utrum ſecretio adaucta vel nimia icterum necne dare poſſit, attenti conſideremus.

Morbum per bilem nimis liberaliter ſecretam, et in inteſtinis vaſa per lymphatica abſorptam, ſaepe moveri opinatur Monroius celeberrimus, quo neminem rei phyſiologicae peritiorem noſtrum ſeculum vidit, aut forſitan videbit. Opinionem ſuam ſequentibus ſuffulcire conatur, quod infantes a partu ictero ſaepe corripiuntur, excretione bilis non impedita ſed aucta, ut diarrhoea, qua laborant, et ſtercus aeque magiſve etiam, quam ſanitate ſubſtante, flavum plane teſtantur; quodque febre flava Indorum Occidentalium colluctantes icterus invadit, ubi, cum alvus admodum fuſa ſit, et bilis in inteſtinis ventriculoque adeo abundet, ut crebro liberaliter rejiciatur, a nulla alia cauſa, praeter quam a bile in canali alimentario abſorpta, poteſt oriri. Flavedinem vero, quae hoc in morbo incidat, a ſero ſanguinis ad putredinem nimis vergente proficiſci poſſe, ſupra poſuimus. Inſuper, hiſce praeceptoris noſtri clariſſimi argumentis aliud ab eo, quod in febribus intermittentibus, praeſertim autumnalibus, accidere conſuevit, petitum adjici poteſt; namque color cutis ictericus, quod multis in exemplis ipſi vidimus, in febribus hujuſmodi ſe oſtendit, et non aliunde, quam a bile in inteſtinis abſorpta, quae, ob ſpaſmum ſuperficiei, frigore ſubſtante, curſum humorum ad interiora facientem, liberaliter fere ſemper ſecernitur, judicio noſtro proficiſcitur. Huic opinioni fidem quoque faciunt emetica et purgantia draſtica adhibita, quae, uti auctores optimae notae teſtantur, ut icterus oriatur ſaepe faciunt. Quod non aliter, quam ductus hepaticos emulgendo, et excretionem bilis, et igitur abſorptionem ejuſdem in inteſtinis augendo, facere poſſunt. Ira quoque, quae icterum ſaepe movere dicitur, ſpaſmum cuti inferendo, qui impetum humorum ad interiora et excretionem bilis auctam facile dare valet, forſitan agit. Haec autem admodum probabile reddunt, ſecretionem bilis adauctam, nonnullis in exemplis, et ejuſdem in canali alimentario abſorptionem, pro cauſa icteri proxima poſſe haberi. At excretionem bilis impeditam longe uſitatiſſimam eſſe, memoria ſemper tenendum.

His cauſa de proxima dictis, ut paucula quoque de cauſis, quae morbum ſoleant excitare, proponamus neceſſe eſt.

CAUSÆ REMOTÆ.

Cum autem proxima icteri cauſa, ut ſupra oſtendere ſumus conati,

conati, pleriſque in exemplis, excretio bilis impedita ſit, cauſae remotae vel excitantes tales, quales hanc faciunt, bilemve in inteſtina deſcendere prohibent, ſint oportet. Hae vero quadruplices eſſe videntur.

1. Bilis in veſicula fellis nimis viſcida reddita.

2. Tumores hepatis ipſius partiumve ejus vicinarum.

3. Calculi e bile confecti.

4. Spaſmi.

1. *Bilis in veſicula fellis nimis viſcida reddita.*—Hanc icteri cauſis accenſendam, et non immerito, uti videtur, putat Monroius. Quomodo bilis in cyſtide per partium tenuiorum abſorptionem adeo ſpiſſa poſſit reddi, ut per ductus abſque difficultate nequeat deſcendere, et tandem in tranſitu inter duodeni tunicas, potiſſimum circa oſtium ductus communis, ſiſtere periclitetur, intellectu haudquaquam difficile. Icterum vero ab hac cauſa oriundum non diu manſurum eſſe probabile; quae enim preſſura bilem per ductum cyſticum propulit, eadem per communem quoque brevi propellet. Morbum ab hac cauſa nonnunquam oriri, quod ſequitur plane teſtari videtur. Multi paroxyſmis icteri brevibus laborarunt, et bilem admodum viſcidam, vitellumque ovi referentem, excreverunt. Hac vero excretione facta, et nullo calculo ſimilive in ſtercore notato, morbus ex toto deceſſit.

2. *Tumores hepatis ipſius partiumve ejus vicinarum.*—Hos icterum ſaepe moviſſe demonſtrant inciſiones cadaverum. Nec quidem aliter res ſeſe habere poteſt, cum hepar et non pauca abdominis viſcera ſe mutuo contingat. Hoc facillime facit, ut tumor quilibet, vel in parte hepatis ipſius concava, unde ductus in inteſtina deſcendunt, vel in viſceribus ei vicinis ortus, canales biliferos poſſit coarctare, vel ex toto comprimere. Quas partes tumores hoc efficere valentes occupare conſuerunt, eae ſunt ſuperficies hepatis concava et inaequalis prope vel circa ductus; glandulae lymphaticae capſulae Gliſſonii propriae, quae tamen, cum ductus in cavo inter glandulas ſiti ſint, morbum rarius excitare videntur; inteſtina, potiſſimum duodenum colique curvatura, pancreas, omentum, meſenterium, et tunicae ductuum ipſorum. Has aliquando morbo laboraſſe, et inde craſſitiem ſibi tantam, quanta lumen ductibus vel multum imminuere vel ex toto occludere potuit, adeptas eſſe, teſtantur Morgagnius Monroiuſque ſenior. Hic concretionem etiam ductus communis circa oſtium ejus in quodam aegroto, qui multa medicamenta totum per biennium ante mortem fruſtra ſumpſerat, ſe offendiſſe memorat. Morbum quoque excitare dicuntur diſtenſio duodeni, unde unde nata, pars coli hepati proxima ſtercore ſtatuve nimis repleta, graviditas. Si hae cauſae morbum

bum revera movent, non opus eſt, uti tempus in modo quo agant, exponendo fruſtra conteramus.

3. *Calculi e bile confecti.*—Nemo, qui ſatis operae in auctoribus diverſis, qui hunc morbum ſunt executi, evolvendis poſuerit, ambigere poteſt, quin hi, omnibus aliis cauſis ſaepius forſitan, icterum moveant. Morbum autem ab hac cauſa originem deducere evincunt, non tantum auctorum teſtimonia, ſed acceſſio ejuſque deceſſio abnormis, dolore hypochondrii dextri acuto ſtipata, calculique ipſi in ſtercore ſaepe reperti. Ab eadem quoque cauſa proficiſci poteſt, cum nullos in faecibus calculos diligentia ſumma poteſt reperire; namque, ſi calculi forma parum regulares ſint, poſitura ſua tantum mutata, modo bilem deſcendere pati, modo eandem ſiſtere, poſſunt, in modum valvae agentes. Quinetiam calculi per ductus tranſeundo icterum facere, tandemque in canali alimentario liqueſcere, poſſunt; quanquam res aliter plerumque ſeſe habet. Namque ſolutu difficillimi ſunt, et tantum ut liqueſcant abſunt, ut, contra, per inteſtina tranſeuntes mole magnopere creſcant, ſummamque aegroto moleſtiam faceſſant *. Quae loca tenent, ea ſunt ſaepe ductus hepaticus, ſaepiſſime vero ductus communis. Calculum quoque in ductu cyſtico ſitum icterum creare poſſe, ſatis probabile; ſi modo magnitudo ejus tanta ſit, quanta ductus modo poſitos comprimere valet. Quomodo hi calculi fiant, magna ex parte ignoramus. Aliquis nucleus forſitan, quanquam fons unde hic poſſit oriri nos adhuc latet, datus partes bilis viſcidas ſibi attrahit, calculumque hoc modo progenerat. Qualis quoque aetas qualis vitae victuſque ratio ad horum calculorum formationem proclivitatem dent, nondum compertum habemus.

4. *Spaſmi.*—Alii hos ſaepe, alii nunquam, icterum movere contendunt. Cum autem viri ſummi et eruditiſſimi et in unam et alteram ſententiam conceſſerint, lites eorum componere aggredi non noſtrum eſſe ducimus. Igitur argumenta, quae utrinque adhibeantur, quam breviſſime referemus, nullam noſtram opinionem proponere audentes.

1. Qui ſpaſmos icterum concitare poſſe affirmant, ii modo ſequente ratiocinantur. Rem ita ſeſe habere, inquiunt, teſtantur, canalis alimentarii ad ſpaſmos proclivitas manifeſta, et icterus, Hoffmanno ipſo teſte, morbis ſpaſmodicis, ut colicae convulſivae, hyſteriae, ileo, &c. ſuperveniens. Quid igitur obſtat, inteſtinis adeo irritabilibus vitiiſque ſpaſmodicis ea exercentibus, quo minus ſpaſmus cum ductibus hepatis propriis communicetur? Praeſertim, cum ductus, quamvis ſtructura eorum muſculoſa obſcurior eſſe videatur, venenis admotis,

* Vid. praelect. Mon. M. S.

 nonnihil

nonnihil irritari confiteatur Hallerus; cum ſtructura muſcularis in totum fere corpus humanum, in ſyſtema ſanguiferum lymphaticumque, in canalem alimentarium, in uterum et veſicam urinariam, in ureteres, in tubulos ſeminiferos, et in omnia alia forſitan vaſa excernentia et ſecernentia, quorum multa ſunt plane irritabilia, diffundatur, quod fibras muſculares ductibus biliferis non deeſſe admodum probabile reddit; cum morbus ſaepe ſubito accedat et decedat, nullis calculis excretis; cum affectus animi vehementiores, qui ſpaſmum corpori extremo plane, ductibus ipſis parum dubie, inferunt, icterum excitare ſoleant; cumque, denique, multa cadavera hoc morbo extinctorum ab anatomicis accuratiſſimis inciſa nihil in ductibus ipſis inhaerens, eoſque obturans, nihil in duodeno oſtium ductus communis occludens, in conſpectum dederint.

2. Qui in ſententiam contrariam iverunt, ii argumenta hujuſmodi adhibere conſuerunt.

Icterum a ſpaſmo nunquam fere oriri demonſtrant, ut illis placet, nullae fibrae muſculares in ductibus ſemet oſtendentes, et veſicula fellis ductuſque ipſi, ſtimulis valentiſſimis admotis, ſe nunquam minima ex parte contrahentes. Igitur, inquiunt, merito ambigi poteſt, utrum ductus tantum virium muſcularium, quantum ductus poteſt comprimere deſcenſumque bilis impedire, necne habeant. Nec argumentum analogicum a fibris muſcularibus ubique fere invaleſcentibus petitum aliquid valet; namque non opus eſt, uti fibras quolibet in loco muſculares adeſſe concedas, ſi nec cultro anatomico detegi poſſunt, nec ſtimulis mechanicis chemiciſve parent. Icterum affectus animi concitatiores nonnunquam ſubſequi, nemo quidem inficias ibit. Quomodo vero excitatur? Non per ſpaſmum ductibus illatum, ſed per excretiones magis copioſas, irae nunquam non ſuccedentes, et calculos ante in cyſtide ſitos in ductum communem detrudentes. Spaſmus quidem duodeno, de cujus irritabilitate dubitari nequit, illatus, icterum, oſtium ductus communis claudendo, fortaſſe movebit; hoc vero eundem ſpaſmo ductuum, quorum irritabilitas admodum incerta eſt, excitari poſſe, minime probabit. Denique, argumentum ab inciſionibus, quae nullos calculos in conſpectum dederunt, deductum nihil ponderis habet; namque calculos in inteſtina depulſos nonnunquam deliqueſcere, ſupra comprehendimus.

RATIONIS QUA BILIS SANGUINEM INGREDIATUR, EXPLICATIO.

Ab aliis phyſiologorum bilem, excretione ejus impedita, per poros biliarios prius in venam cavam, deinde in reliquum ſyſtema ſanguiferum, redire; ab aliis vero per vaſcula lymphatica in ſanguinem devehi contenditur.

Qui

Qui priorem in ſententiam iverunt, ii eam hoc modo ſuffulcire conantur. Cum liquores in ductus poroſque biliarios immiſſi in cavam ingrediantur, et rem ita ſeſe habere teſtetur Hallerus, quid, quaeſumus, obſtat, quo minus bilis, excretione ei negata, idem iter relegere poſſit? Multa; namque liquores immiſſi, non abſque ſumma difficultate, hunc curſum tenere ſolent, et, uti Monroius anatomicorum accuratiſſimus teſtatur, ad venam cavam per venas inhalantes, niſi partes rumpantur, earumque ſtructura deleatur, nunquam perveniunt; ſed ſemper prius venam portarum, deinde cavam, per ramos hanc inter et venam portarum intercedentes, intrare conſueverunt. Cum liquores igitur in poros biliarios immiſſi per eos, tanta cum difficultate, in cadavere, etiam in venam cavam penetrent, quomodo bilis, quae tanta vi per ſe regredi nequit, contra vim fluentumque totius hepatis ſanguinis viam ſibi patefacere poteſt? Antequam hoc praeſtare valet, opus eſt, uti motus ſanguinis in vena portarum biliſque ſecretio ex toto impediantur, et vaſa ſanguifera vacua et pervia relinquantur. Inſuper, regreſſum omnium liquorum in ſanguinem, reliquis in corporis partibus, magno valvularum ductuumque excernentium oblique plerumque introeuntium apparatu, quam maxime cavendum natura curavit. Eam igitur in hepate formando, quanquam ſtructuram, quae conſilio hujuſmodi inſerviat, demonſtrare non poſſumus, non aliter egiſſe probabile. Bilem, poſtremo, e poris biliariis per ramulos venarum cavarum hepaticarum in cavam ipſam regredi ponere, cum nullum exemplum ejus ſimile toto in corpore ſeſe oſtendat, ſeculo hocce perſpicaci, quod ſtructuram uſumque ſyſtematis lymphatici comperta habet, omnino indignum eſſe videtur.

Nos igitur in ſententiam poſteriorem volentes concedimus. Quae argumenta hanc opinionem ſuſtentant, ea numeroſiſſima ſunt; eorum vero ſummi momenti tantum mentionem faciemus.

Nulla cujuſlibet alius liquoris ſecreti pars ſanguinem, uti omnes fatentur, aliter, quam per abſorptionem, ingreditur. Quaenam gravis igitur ratio reddi poteſt, cur bilis alio modo in ſanguinem devehi debeat? Vaſcula hepatis et ſuperficiei ductuum interioris lymphatica numeroſiſſima eſſe novimus. An ea alio officio hoc in loco, quam in caeteris corporis partibus, fungi probabile? Minime; namque partes bilis tenuiores in veſicula fellis conſtanter abſorbere, ab omnibus conceſſum eſt. Nonne craſſiores quoque, excretione impedita, totamve bilem abſorbere poſſunt? Quin poteſtate hujuſcemodi inſtructa ſint, vix ambigi poteſt, cum ſanguinem rubrum e vaſis effuſum, pus, adipem, terram oſſium, &c. abſorbeant *.

* Vid. Praelect. Monroianas, M. S.

Quo vero plus temporis in argumentis conquirendis non conteramus, ad duo experimenta a Monroio illuſtriſſimo inſtituta, quae omnem ſuper hac re dubitationem ex toto tollunt, decurremus.

Ductum communem cholodochum canis porcive ligavit, quod brevi icterus ſubſecutus eſt, et vaſa hepatis lymphatica omnes bilis partes continere reperta ſunt.

" Æſtate ſuperiore, vaſa lymphatica hepatis propria bile turgida viris doctiſſimis," inquit, " D. Black et Young oſtendi, quorum poſterior rem penitius cognoſcendi ſtudio inductus, liquorem illis emiſſum deguſtavit, quem omnes bilis genuinae dotes habere compertus eſt."

Quinetiam ductum hepaticum ductumve communem cholodochum, partemque ductus thoracici infimam, vinxit, et nulla icteri ſigna ſe oſtenderunt. At omnibus animalibus, quibus ductum thoracicum ligaturae expertem reliquit, tota ſanguinis maſſa paucis horis tingi conſuevit. Cum autem hoc experimentum non ſemper rite procedat, quod ductus thoracicus fines diverſos habet, receptaculum chyli aperiendum curavit vir ſagaciſſimus, et omnibus in canibus porciſque, quibus vita aliquamdiu ſuperfuerit, nullus icterus acceſſit.

Haec experimenta, quolibet mero ratiocinio theoriave longe potentiora, icterum a bile in maſſam ſanguinis per vaſa lymphatica devecta omnino pendere, ſatis ſuperque demonſtrant.

SIGNORUM RATIO.

Non omnia morbi ſigna, ſed praecipua tantum, exponere, operae pretium fore putamus.

Flavedo oculorum et cutis.—Haec a bile parti ſanguinis ſeroſae admiſta plane proficiſcitur. Citius autem in oculorum albo, ubi omnis, propter ſummam albedinem, coloris mutatio momento fere notabilis eſt, quam in aliis corporis partibus, ſeſe oſtendit. In cute poſtea apparet, nec mirum quidem; etenim huc arterias per extremas adducta ſubter cuticulam effunditur, et tela ipſa celluloſa, uti ſupra poſuimus, morbo inveteraſcente, flaveſcit.

Faeces albidae.—Stercus colore ſuo flavo impertitur, uti omnes norunt, bilis. Igitur, ſi hujus excretio impediatur, faeces protinus albeſcant neceſſe eſt. Alia praeterea praeſtat bilis motum nempe periſtalticum excitat, concoctionemque alimenti promovet et expedit. Alvus idcirco, ea deficiente, dura evadit, concoctio imminuitur, acor in ventriculo invaleſcere incipit, et canalis alimentarius admodum perturbatur.

Urina obſcure rubra, &c.—Hanc e ſeroſitate ſanguinis, aliquo

quo mucilaginoſo, et quibuſdam ſalibus conflatam eſſe, compertum habemus. Cum autem, ictero ſubſtante, in totam ſanguinis maſſam diffundatur evidentiſſime bilis, non eſt cur urinam obſcure rubram evadere mireris. Quinetiam, ſi morbus diu maneat, reliqui loquores ſecreti, ut ſaliva, &c. eandem ob rationem, flaveſcunt.

Dolor hypochondrii dextri.—Hic a ſpaſmo, ſi modo unquam hoc in morbo ſubſit, vel a calculis per ductus deſcendentibus, tunicaſque eorum mechanice diſtendentibus et irritantibus, oriri poteſt.

Corporis univerſi torpor et laſſitudo.—Haec explicatu difficilia. Hoc tantum dicere poſſumus, quod languor torporque canalis alimentarii, bile deficiente, oriuntur, qui forſitan, ob illam nervoſam ſympathiam, quae inteſtina inter reliquumque corpus intercedit, non ſatis quidem intellectam, in ſyſtema univerſum diffunduntur.

Cutis pruritus.—Hic a bile nervulos cutis irritante proficiſci creditur, quod facere putatur ſudori materiaeque perſpirabili admiſta.

Nauſea, vomitionem, &c. movens.—Haec ab eo conſenſu, proh dolor! parum intellecto, qui partes laborantes inter et ventriculum intereſt, proficiſci videtur.

Spiritus difficilis, et ſumma praecordiorum anxietas.—Motus diaphragmatis ductus biliferos calculis nimis diſtenſos, igiturque non parum dolentes, agitet et dolorem iis adaugeat oportet. Rem ita ſeſe habere comperientes aegroti aerem minus libere inſpirant, ſed ſpiritum frequentius trahunt Hoc facit, ut ſanguis in pulmonibus non ſatis diſtenſis nimis accumuletur, quod in cauſa eſſe videtur, cur ſumma moleſtia anxietaſve praecordiorum oriatur. Eadem ſigna movere poſſunt ductus et veſica fellis accumulatione bilis nimis diſtenſa.

Quaecunque nonnulli aegri contemplantur, ea omnia iis flava videri dicuntur.

Si hoc unquam revera incidat, de quo auctores non pauci optimae notae ambigere non dubitarunt, ex humore oculi aquoſo luteum colorem ſibi adepto oriatur neceſſe eſt. Si enim ſpecillis cujuſlibet coloris tibi objecta contempleris, quaecunque vides, ejuſdem coloris, cujus ſpecilla ſunt, eſſe tibi videbuntur. Igitur, humoribus oculi quolibet colore imbutis, idem omnino incidat oportet.

PROGNOSIS.

Qualis hujuſce morbi exitus futurus ſit, e cauſis, ſi cognitae ſint, quam e gravitate etiam ſignorum, certius praeſagies. De hoc autem quam pauciſſima verba faciemus.

Si

Si calculi ſpaſmive morbum excitent, aegrotum, priore in exemplo tardius forſitan, in poſteriore citius, ad ſanitatem perductum iri, ſperare licet. Morbus ab illis ortus, ſi diu maneat et medicinae nulla ex parte pareat, quotidie ingraveſcens, ſalus aegroti fere deſperanda; namque non pauci ictero ab hac cauſa proficiſcente extincti ſunt.

Si icterus ab hepatitide pendeat, ut finis hujus, ſic illius, admodum incertus eſt. Si ſcirrhus hepatis inflammationi ſuperveniat, icterus perpetuus evadere mortemque aegroto tandem inferre poteſt. Quandocunque, ut omnia quaſi uno verbo comprehendamus, a tumoribus duris ſcirrhiſve oritur morbus, cum hi medicamentis ſaepe difficillime cedant, hydropemque venas vaſave lymphatica comprimendo, eave debilitate cachectica, quam facere ſoleat morbi longitudo, moveant, aegrotus miſerandus vix unquam convaleſcit. Si, denique, ductus concreverint, fato concedat neceſſe eſt.

RATIO MEDENDI.

Conſilia autem morbum depellendi quatuor eſſe videntur.

1. Ductus bile viſcida liberare.
2. Tumores hepatis ipſius partiumve ejus vicinarum tollere.
3. Calculos ductus obturantes in inteſtina propellere.
4. Spaſmos, ſi adſint, ſolvere.

1. Ductus bile viſcida liberare.—Quantum ad hoc attinet, morbum ab hac cauſa pendere non ante novimus, quam bilis viſcida deſcendit et morbus deceſſit. Igitur nulla remedia plerumque adhibere poſſumus. Si vero hanc cauſam morbum feciſſe ulla ratione poſſemus comperire, quae medicamenta conſilio reſponderent, ea ſunt emetica forſitan ſola, quae ductus agitando, bilemque in inteſtina propellendo, prodeſſent.

2. Tumores hepatis ipſius partiumve ejus vicinarum tollere.—Hi autem plerumque ſcirrhi ſunt, quorum natura curatioque medicos omnium fere ſeculorum magna ex parte latuerunt. Igitur in exemplis hujuſcemodi parum auxilii aegrotantibus medicina promittit. Saluti vero humanae, quantum poſſumus, licet ſpes ſucceſſus proſperi non affulgeat, nunquam non proſpiciendum. Igitur ad remedium, quod anceps, potius quam ad nullum, decurrendum. Quae autem medicamenta huic conſilio accommodari videntur, ea ſunt cicuta, mercurius, et aquae forſitan nonnullae medicinales. Quantum cicutam ſpectat, ea, ut remedium in auxilium morborum hujuſmodi promptiſſimum, a ſcriptoribus quibuſdam Germanicis, potiſſimum a Storkio, laudibus ſummis fuit elata. Votis noſtratium vero non aeque reſpondit; periculum tamen ejus hoc in morbo

bo facere convenit. Quod ad mercurium attinet, in obſtructiones omnigenas multo plus poſſe reperitur. In glandulas ſalivam ſecernentes potiſſimum agit. Igitur, ſi pancreas, quod glandulis hujuſmodi annumerandum, tumor invaſerit, ut ſaepe incidit, eum forſitan tollet. Modice dandus diuque continuandus. a Quinetiam aquae medicinales, praeſertim ſalibus mediis imbutae, igiturque vi purgante praeditae, nonnihil forſitan prodeſſe poſſunt.

3. Calculos ductus obturantes in inteſtina propellere.—Remedia, quae huic conſilio reſpondent, ſunt emetica et purgantia leniora. Antequam vero ad haec confugiamus, ſi dolor hypochondrii dextri graviter urgeat, praeſertim ſi ulla pyrexiae ſigna adſint, ſanguis aegroto detrahatur, et regimen antiphlogiſticum ſumma cum cura adhibeatur.

Emetica et purgantia, quantum ad hunc morbum attinet, illa motum periſtalticum invertendo, haec eundem ſecundum naturam deorſum accelerando, ductus biliferos quaſi emulgendo, et igitur ſecretionem bilis et excretionem augendo, plane agunt, et hoc modo calculos in ductibus inhaerentes in inteſtina propellere poſſunt. Emetica vero, ſi non calculum facile in inteſtina depellunt, ut ductibus arctius inhaereat facere, morbumque igitur graviorem reddere, poſſunt. Hoc monet, ut caute, et non ſaepius, niſi brevi proſint, ea adhibeamus. Quae purgantia danda ſunt, ea viribus ſuis ſtimulantibus bilem quam plurimum referre debent. Hujuſmodi ſunt aloetica ſaleſque medii, quibus ſaponem et amara nonnulli adjungere conſueverunt.

Si haec ſigna morbi non tollant, ad opium, quod vi relaxante praeditum eſt, ad fomenta partibus externis admovenda, ad balneum tepidum, et ad liquores tepidos in alvum liberaliter immiſſos, decurrendum eſt; quae ductus relaxando, ut calculus facilius deſcendat, forſitan facient. Si haec omnia in morbum nihil poſſunt, exercitatio eſt adhibenda, quae ad calculum e ductibus expellendum nonnihil poteſt conferre; ſi vero dolorem et reliqua ſigna augere incipiat, ea protinus abſtineatur.

4. Spaſmos, ſi adſint, ſolvere.—Quae remedia huic conſilio accommodantur, ea ſequuntur, opium nempe; fomenta externa et interna, quorum mentionem jam injecimus; lenis alvi purgatio, quam omni in exemplo icteri neceſſariam reddit alvus perpetuo adſtricta; miſſio ſanguinis, ſi notae pyrexiae ſemet oſtendunt. Emeticis vero abſtinendum; namque vi irritante ſpaſmos, Hoffmanno teſte, graviores efficere conſueverunt.

DE

DE CALCULO RENUM ET VESICÆ.

AUCTORE S. LANPHIER.

INTER plurimos morbos, tyrannidem ſuam in corpus humanum excercentes, dolor ille a calculis in viis urinariis non pro minimo malo cenſendus.

Etiamſi autem in omnibus fere corporis partibus, calculos in ſectionibus cadaverum invenirent anatomici; attamen, quoniam ad renes maxime ſuperfluus ſal deponitur, frequentiſſimos omnium eſſe calculos renum et veſicae, quid eſt cur miremur?

De his igitur mihi in animo eſt pauca dicere. Et ſymptomata quae paroxyſmum morbi comitantur in ordine nunc temporis enarranda ſunt.

1mo, *De calculo renum.*—Æger dolore acuto vel obtuſo in alterutra raro in utraque regione renum cruciatur; qui juxta ductum ureteris oblique veſicam verſus extenditur. Adeſt quoque mictio frequens urinae variantis, initio aquoſae, poſtea mucoſae, cruentae, vel ſabuloſae. Teſtis ejuſdem lateris retractione dolorifica afficitur, cruris ſtupor, praecipue in foeminis, ſentitur; e ſtomacho etiam ſtatim rejiciuntur ingeſta; alvus fere adſtricta eſt, cum torminibus, attamen ſaepe ſoluta; decumbens in latus dolens miteſcit, in oppoſitum vero exacerbatur. Sed cito rerum facies mutatur; ſi remediis non levatur inflammatio, omnia ſymptomata ingraveſcunt, cum vomitu atroci, pervigilium cum delirio, anxietas et ſpirandi difficultas ſuperveniunt; extrema frigeſcunt, quandoque deliquio corripitur, fuſiſque ſudoribus dilabitur. In morbi proceſſu pulſus durus et frequens evadit; ſed finem verſus debilis, celer, et intermittens deprehenditur. Tandem artus convelluntur, vel ſtupore aeger afficitur, et mors cito linea ſubſequitur ultima rerum. Progreditur in hoc modo morbus, quando fatalis evenit. Sed in caſibus quamplurimis medicamentis etſi amoveatur, tamen iterum iterumque revertitur.—Quando ſymptomata gradatim ceſſant, et ſenſatio ingrata a a renibus veſicam verſus tendens ab aegro nonnunquam perſentitur, dolor fere omnis ſubito evaneſcit, et in hoc caſu calculum in veſicam illabi ſuſpicandum eſt. Morbus plerumque eodem modo ac aliae inflammationes, ſcil. reſolutione, ſuppuratione, gangraena, et etiam in ſcirrho forſan terminatur.

Sed de ſymptomatibus quae haec ſigillatim comitantur non meum

meum eſt loqui, quoniam a cell Culleno accurate tractantur *. Intermiſſionibus interdum gaudent aegri; attamen omni dolore perraro expertes ſunt; et praecipue accidit ſi calculus non eliminatur; gradatim paroxyſmorum iteratione vigor recedit, cibi appetentia levis eſt vel inconſtans, aciditate morbida vexatur ventriculus, corpus tabeſcit, febre hectica corripitur; et vires ejus pedetentim decreſcunt, donec mors, aerumnarum requies, ſcenam claudit.

Morbi definitio: " Dolor in regione renis, ureteris iter ſequens; mictio frequens urinae tenuis vel decoloris, vel ruberrimae; vomitus, cruris ſtupor, teſticuli ejuſdem lateris retractio aut dolor †:" Pyrexia nulla primaria.

Morbi in corpore noſtro latitantes ut dignoſcantur, ſigna quaedam requiruntur. Imprimis, in hoc morbo, multa aliis communia reperiuntur; ſed quoniam character et hiſtoria ſupra allata ad morbum ab omnibus aliis ſecernendum ſufficiant, brevitatis cauſa, illa hic recenſere abſtineo. Et nunc hiſtoriam calculi veſicalis ſummatim tradere conamur.

2*do*, " *Calculus veſicae*—difficili et dolorifico mictu ſtipatur, cum continuo ad urinam deponendam deſiderio. tenſione et dolore coli, titillatione continua in glande; teneſmo; diarrhoea; urina mucoſa; foetida, ſabuloſa, vel ſanguinolenta, convulſivis in meiendo motibus;" urina ſanguine tincta poſt equitationem, cum augmento doloris in veſica, urethra, et glande ‡. His pauca adjicienda ſunt, et praecipue quando titillatione vel dolore glandis, aeger afficitur, ſaepe de frequenti eaque injucunda penis tentigine conqueritur; urina ſaepiſſime guttatim excernitur; ſubitanea quandoque accidit inter mingendum ſuppreſſio. Et tunc temporis praecipue, et dum noviſſimae eliminantur ſtillae, cruciatu atroci torquetur; conſtipatio vel diarrhoea cum ani prolapſu alternatim miſerum defatigant; et etiam ſi majoris notae ſit calculus aegre emanat vel omnino retinetur urina, ſi modo veſicae cervici apponatur, tametſi parvus ſit, iſchuriam inducere queat, quae cito levatur, ſi corpus reſupinetur, et crura ſeorſim ſejungantur.

Varie finitur morbus. Plerumque, ſi medicamentis morbi cauſa non amoveatur, vitam aerumnoſam protrahit aeger; interdum vero ſubito e medio tollitur, vel inflammatione violenti, vel iſchuria pertinaci; ulceribus veſica ſcatet; febri hectica tabeſcit; deficit tam animi quam membrorum ſolitus vigor; ſomnus, miſeri levamen, aegrum fugit, nec ſine hauſtu ſoporifero conciliari poteſt. Tandem mors exoptata ſcenam abſolvit.

* Firſt Lines, Practice of Phyſic, p. 191.
† Synopſ. Cullen. ‡ Ill. Hom. principia.

DE DEFINITIONE.

Nulla inter noſologicos invenienda eſt definitio hujus morbi. Itaque meum eſt, et ſumma diffidentia memetipſum accingam ſymptomata nonnulla enumerare, quae morbum ab aliis ſecernere tendunt.

DEFINITIO.

Difficilis et dolorifica, guttata ſaepius et ardens mictio, ſubitanea quandoque inter mingendum ſuppreſſio; urina ſabuloſa; mucoſa; ſaepe purulenta; et foetida; dolore perinaei gravante; teneſmo.

Cum in hac definitione praecipue quae comitantur morbum ſymptomata amplexi ſumus, diagnoſin fere ſupervacaneam plane judicamus: Adjici etiam poſſit, ſignum morbum hunc ab aliis omnibus ſecernens, nempe digito per anum, vel cathetere in ipſam veſicam immiſſo, calculus ſentitur.

Cauſae remotae in cauſas praediſponentes et excitantes dividuntur.

1mo, De cauſis praediſponentibus.

Ex obſervationibus et experimentis accurate tentatis, pro certo comprobatur, baſin calculorum ſemper in urina, etiam horum, integra ſanitate gaudentium, detegi. Exinde luculenter patebit, calculos induci poſſe in omnibus vitae ſtadiis. Sed a medicis jamdudum notatum ſit, quod deſides, ſenes, et hi a tramite infantili vergentes, maxime huic morbo obnoxii fuiſſent. Inter doctos multum diſceptatum eſt, uter ſexuum frequentius morbo laborat; nonnulli affirmaverunt, foeminas a modo vitam ſuam degendi in omnes hos morbos proclives eſſe, qui vitam deſidioſam comitantur. Dum alii accurate in animo revolventes et habitum et ſtructuram maris rite ex his judicant, eum maxime morbis viarum urinariarum eſſe pronum; et rem nunc temporis extra dubium poſuit auctor celeber. Audi quid dicit,—"Obſervavi quoque maſculos huic plus, quam foemininos ſexus ſubjectos eſſe;" imo, quadraginta mares pro una foemina hocce morbo laborare: Quum enim foeminae urethra brevior, amplior que, quam maris ſit, calculus forte facilius excidit, raroque haeret *. Nemo inficias ibit, quin omnes vitam deſidem degentes, doloribus a calculo provenientibus magis expoſiti ſunt. Ob hanc cauſam, infantes et ſenes praecipue inter calculoſos enumerantur. Hoc oriri non videtur, tam a vita ſedentaria, quam a ſitu corporis

* Denys de calculo, p. 74.

poris recumbenti. Nam a Van Swieten optime notatur, quod ſoboles pauperum, frequentius quam divitum, morbo cruciantur. Hoc modo ratiocinatur, " Parentes labore continuo victum ſibi et ſuis parare coguntur ; hinc multum infantibus curam adhibere nequeunt, et illos diu in cunis relinquunt ; quod ut pacate ferant nec ejulatibus totam domum turbent, abutuntur, requie Nicolai, aliiſque ſimilibus opiatis, quorum doſis ſemper augeri debet, vel nihil agunt *."

Antea mentionem feci, homines ingraveſcente aetate, prae caeteris calculo affici ; difficile eſt forſan cauſam explicare. Affirmaverunt nonnulli, quod a labe haereditaria praecipue pendet ; et ſic fere res ſeſe habet, ut ad amuſſim ab auctoribus notatum fuit. Et praecipue a Culleno (quo nemo in naturae phaenomenis obſervandis diligentior, nemo in morborum hiſtoriis tradendis accuratior) hoc optime his verbis illuſtratur.

" In pleriſque hominibus, qui arthritide per multos annos laborarunt, nephriticus affectus gignitur, prodens ſeſe omnibus ſignis, quae calculoſas concretiones in renibus factas comitantur, de quibus alio loco dicemus. Nunc unum hoc notari convenit : nephritidem talem cum paroxyſmis podagricis vices alternare, ambos vero affectus, nephriticum ac podagricum, vix unquam ſimul exiſtere. Eſt etiam animadverſione dignum, qui a parentibus podagricis vel nephriticis geniti ſunt, hos plerumque alterutrum horum affectuum ſibi inſitum habere ; uter vero affectus apud parentes principalis fuerit, liberorum nonnullos huic, alios alteri magis obnoxios eſſe. In nonnullis ſola nephritis ſe manifeſtat ſine ullis podagrae ſignis, quod quidem in filiabus parentum podagricorum frequenter conſpicitur †." " Obſervandum eſt hic, quod inter morbos haereditarios ſunt qui fluidis innaſcuntur ; ſunt qui ſolidis. Priores citiſſime ſeſe oſtendunt ; poſteriores certas aetates, plerumque *ακμην* vitae expectant ; inter quos recenſenda phthiſis pulmonalis, arthritis, calculuſque." Nam ſub hoc tempus, ſi morbus a labe haereditaria naſcitur, ſymptomata calculi primaria fere ſeſe oſtendunt.

Apud omnes medicos agnoſcitur, podagram eſſe morbum haereditarium, et etiam a verbis auctoris praeclar. ſupra citatis, colligi poteſt, quod lithiaſis et arthritis cominus inter ſe ſociantur ; tametſi nullus exſtaret nexus inter hoſce morbos, facile intelligetur, quomodo unus alterum inducat. Nam quando homines diu corpore ſupino recumbunt, cito calculi naſcuntur ; et quoniam omnes fere arthritide laborantes, in hoc ſitu per longum tempus quieſcant, haud demiror, cur mor-

* Van Swieten Comment. de Calcul.
† Prim. Lin. Cull. Interpr. Beerenbrock. § 480.

bo cruciantur. Et rem ultra dubium a Van Swieten ſtabilitur, qui caſum hominis narrat, qui, oſſe femoris fracto, morbo implicitus per dies ſeptuaginta haerebat. Sic dicit, "Vidi hominem, in quo nulla unquam lithiaſis ſuſpicio fuerat, decubuiſſe, in lecto immotum, ob femoris fracturam, per decem ſeptimanas. Paucis ſeptimanis poſt ſanationem, incidit in colicam, nephriticam dictam, et poſt magnos dolores toleratos, calculum excrevit, ſatis aſperum, poſteaque obnoxius ſimili malo vixit *." Et idem obſervavit Sydenhamus, in ſeipſo aliiſque multis, qui podagra premebantur.

Inter medicos convenit, diuturnum in lecto decubitum, propenſitatem ad calculoſas concretiones inducere, et illam promovere, ſi prius adfuerit. Nonnulli rationem dederunt, quod renes nimis incaleſcerent, quo pacto materiam viſcidam, pituitoſam, vel mucoſam in renibus excoqui, et in lapidis duritiem converti; ſed poſthac comprobare conabor, hoc modo calculos originem non ducere. Hales, jure celebratus, rem multo melius his verbis explicuit. "Though I ſuſpect that a principal cauſe of the growth of gravel in the kidneys, is owing to the horizontal poſture we are in when we lie in bed; in which poſture one of the kidneys being lower that the bladder when we lie on one ſide, and both the kidneys when we lie on our back, the pelvis or cavity of the kidneys becomes thereby the ſink for the tartarine parts of the urine to ſettle in; and when the urine being in that poſture, propelled by a force not equal to the perpendicular height of the bladder above them, but alſo with a force ſufficient to dilate the bladder, and circumambient parts of the abdomen, the urine muſt needs preſs (eſpecially when the bladder is in a good degree full) with a conſiderable force againſt the orifices of the excretory ducts of the kidneys, whereby the progreſs of the urine being in ſome degree retarded, it has more time to depoſit its tartar in thoſe ſmall ducts in the papillae, where it is thought the firſt minute beginning of gravel are uſually formed, it being in diſſection found there †." Et poſtea hanc quaeſtionem ingenioſe propoſuit. "*Quere*, Might not theſe inconveniencies be, in ſome meaſure, obviated, by lying as ſoldiers do in their barracks, not in a horizontal, but in a reclined poſture, with the head and upper parts of the body conſiderably higher than the feet and lower parts ‡?" His cauſis ſupra enarratis aliae addendae ſunt. Haud inficiandum eſt, quin diatheſis calculoſa in nonnullis corporibus locum obtineat, et pro certo maximam attentionem meretur. Nam, ſi morbus opportune deprehendatur, venienti forſan occurrimus

* Van Swieten. Commen. Boerh. aph. p. 248.

† Hales Haemaſtat. vol. 2. p. 226, 7.

‡ Hales Haemaſtat. vol. 2. p. 227.

cruciatui,

cruciatui, dolorificam et inutilem chirurgi operationem praecavimus.

Apud multos diaeta peculiaris inter cauſas hujus morbi praediſponentes in culpa haeret. Sic viſum eſt domino Hales, qui aſſeruit, quod Pariſii magis calculo obnoxii ſint quam aliarum urbium incolae, et praecipue quia pro potione communi ſemper aquam e flumine Seine uſi ſunt, quae ab experimentis comprobatur referta eſſe materia calculoſa.

Verum eſt quidem, lithotomiam ſaepiſſime Lutetiae inſtitui; ſed, ſi rem in animo diligenter perpendamus, nobis in promptu erit rationem magis veritati conſentaneam indicere. Omnibus notum eſt, quod haec urbs regni metropolis eſt, ad quam convenit ingens numerus hominum, tam indigenae quam peregrini, et qui diu calculo laboraverint, antequam Pariſinas aquas biberint. Et praeterea nunc temporis, ab experimentis cel. Black ſtatutis, accurate probatur, calculos humanos non a terra calcarea formari; quia nec igne nec aliquo alio modo, in calcem vivum mutantur. Sic dixit.

"The matter of calculus has been conſidered by ſome as ſimilar to the gypſeous bodies; others have compared them to the calcareous incruſtations which ſome mineral waters leave on the ſurface of vegetables and other bodies; others have ſuppoſed the calculus a ſort of tartar from wine; but it is a ſubſtance totally different from theſe. It is not ſoluble in acids or water, like tartar; and, as it diſſolves in the cauſtic alkali, it is different from the calcareous earths or gypſum, neither of which can be diſſolved in this ſubſtance. It effervesces with the nitrous acid; but it is not attended with a loſs of weight. It proceeds from an inflammable matter preſent, and is more ſimilar to the effervescence of metals with that acid, than its effervescence with the calcareous earths, and when ſet on fire in cloſe veſſels, it gives out a quantity of an aerial elaſtic fluid; and I ſuſpect it will be moſtly found to be an inflammable matter; that is an animal concretion, which has the ſame principles as all animal ſubſtances, only that theſe are united in a different manner. The earth is the ſame as that of the bones, which is different from the calcareous earth, in not affording a lime, and having leſs attraction for acid, and little or none for mephitic air †." Praediſponentibus calculorum cauſis inveſtigatis, de cauſis paroxyſmum excitantibus nunc differendum eſt. De his forſan vix aliquid dicendum manet; nam ſatis compertum habemus, omnia quae vias urinarias irritant, vel calculos e ſede demovent, utrum interne recepta ſunt vel externe adhibita, paroxyſmum morbi inducere poſſe.

† Cel. Black praelect.

1mo, De ingeſtis: Inter haec enarranda ſunt diuretica acria, nempe, cantharides et ſimilia. Inter cauſas externe adhibitas, attentionem primo meretur frigus corpori applicatum; hoc nocet, diatheſin phlogiſticam inducendo, et circuitus libramen immutando; ſed paroxyſmus ſaepe ſaepius a motu corporis vehementiori inducitur; et praecipue in curru, &c.

DE MORBI EVENTU.

Si magnus ſit calculus, nihil forſan a medicamentis interne acceptis ſperandum eſt; in hoc caſu levamen ex manibus chirurgi ſolum hauriendum eſt. Morbus periculoſus, ſi haereditarius; ſi vitia renum vel veſicae eodem tempore locum obtinent, difficulter morbus amovebitur. Ex his omnibus patet, in proclivi eſſe prognoſin in hoc ut in aliis morbis. Sed priuſquam de morbi eventu judicare licet, ſequentia conſulto perpendenda ſunt. Et,

1mo, De morbi duratione.

2do, De vitae ſtadio.

Difficile eſt intellectu, calculum per annos in veſica vel renibus locum obtinere, ſine morbido ſtatu horum viſcerum; ex inflammatione ſaepius recrudeſcenti, craſſities, tumores ſcirrhoſi, et ulcera mali moris induci queant. Si haec omnia vel ſeparatim aegrum diſcruciant, ſi corpus tabe marceſcit ex puris abſorptione, morbi eventus ſatis luculenter patebit. Si calculus veſicae renum doloribus comitatur, haec omnia metum inducunt. Et, praeterea, ſi dolores ſaepiſſime redeant, veriſimile eſt, ſuppreſſionem urinae paroxyſmum excepturam eſſe.

De vitae ſtadio. Inter omnes fere conceditur, quo juniores aegri (nempe, inter eos qui aetatem infantilem jam explebant), eo felicior morbus evadit; et praecipue ab anno quinto ad decimum quintum. Apud hos magis ſperandum eſt a manibus chirurgi, ſi non profuerint medicamenta interne adhibita.

DE CALCULI FORMATIONE.

Omnibus theoriis praetermiſſis, quarum eſt comprobare materiam calculoſam ſemper in corporis humoribus inveniri, et etiam in ſtatu ſyſtematis peculiari renes verſus viam facere, et ab his ſecerni; feſtinamus cauſas enumerare quae (uti nobis apparet) calculos in viis uriniferis ſemper inducunt. Antea diximus, baſin calculorum perpetuo in urina detegi. Attamen haud inficiandum eſt, quin in nonnullis gradu morbido pollet. Et tunc nomen diatheſis calculoſae adquirit. Sed quando tales

tales caſus perraro eveniunt, et praecipue haud omnino a medicis exponuntur, non meum eſt enodationem machinari. Ex obſervatis jamjam commemoratis, ſatis manifeſtum videtur, cauſam calculorum praediſponentem materiam eſſe terrenam ſemper in urina exiſtentem; et ex his patet, quod cauſae occaſionales ſunt, quae materiae hujuſce particulas in unum colligunt; hoc fit ex corporibus diverſis, in ſyſtemate generatis, vel forinſecus in veſicam immiſſis.

1mo, De his pauca in corpore generatis; et in quinque capita dividenda ſunt.

1. Craſſamentum ſanguinis, ſeu lympha coagulabilis, e vaſis effuſa.
2. Pus.
3. Mucus veſicam obtegens mutatus.
4. Viae uriniferae muco orbatae.
5. Tumores intra veſicam originem ducentes.

De his ſigillatim.

Craſſamentum e vaſis effuſum.—In omni inflammatione immodica, ſanguis ſincerus, vel lympha coagulabilis, e vaſis ruptis ſeu dilatatis plerumque fluit; hoc pro certo patet in pulmonibus et aliis corporis partibus *. Uti compertum habemus, quod ſanguis in coagulum cito abit, quando e vaſis eliminatur, et etiam ſine aeris contactu, ut cel. Monro aſſerit, in his verbis, dum de ſanguine loquitur: "It coagulates, however, without being expoſed to the air, within the veſſels of animals; for, if you tie a veſſel in two places, keep the intermediate piece for ſome hours, and then open it, you will find nearly the ſame ſeparation of parts that happens when the blood is expoſed to the air †." Omnibus in praxi verſatis ſatis notum eſt, quod renum vel veſicae inflammationes ſaepiſſime ſanguinis effuſione comitantur. Nec difficile eſt intelligere, quomodo pars lymphae vel ſanguinis rubri coagulati nucleum praeberet, cui materia calculoſa accreſceret.

De pure.—Satis conſtat, ab experimentis Pringelii et Gaberi, pus e lympha coagulabili formari, etiamque ex nonnullorum "obſervatis manifeſtum eſt, lympham non ſolum inter putreſcendum fieri pus, ſed ad ſummum autem putredinis gradum, in ſales et terram calcaream abire ‡." Tametſi nunquam haec mutatio accidiſſet, attamen pus calculis, in ſtatu viſcido, nucleum praeberet.

Mucus veſicam obtegens mutatus.—In diverſis corporis partibus, ſecretio muci e variis cauſis magnopere mutatur; ſaepe lentior, ſaepiſſime tenuior evadit; et etiam in quantitate mul-

* Cullen's Firſt Lines, p. 267. 268. † Monro's Lectures.
‡ Vid. exp. Gaber. Act. Taur. vol. 2. p. 89.

tum

tum augetur. Haec omnia frequenter in veſicae catarrho notantur. Et ab illuſtr. Haller. uti cauſae calculos inducentes crebro obſervantur, in his verbis: " Eſt etiam mucus lentior, et praeter mediocritatem abundans; inde fit, ut ex muco veſicali aegrorum calculo laborantium, ſponte calculi concreſcant *."

Viae uriniferae muco orbatae.—Non difficile eſt intellectu, quomodo, muco deficiente, viae urinariae aridae fieri poſſunt; et ſaepe accidit, quando tunica interna ureterem vel veſicae inflammatione laborat. In praelectionibus ſuis Duncan, jure celebratus, hanc inter cauſas calculorum inducentes poſuit. Et idem firmatur ab illuſtr. Haller. Sic ait, " poſſit etiam excoriata, et ſicca veſica, aut exulcerata caro renis, aut urethrae carunculae, quae epidermide careat, calculo pro fundamento eſſe †."

Tumores intra veſicam originem ducentes.—Tametſi hi perraro occurrunt, haud negandum eſt, cito materiam urinae arenoſam ab his in calculum colligi poſſe. Quod exemplo Denys comprobavit ‡. Sat, ni fallor, de cauſis internis. Nunc pauca de corporibus ſolidis in veſicam immiſſis.

Corpora ſolida forinſecus in Veſicam, &c.

Si corpus quodcunque extraneum, ſiccum, in quacunque cavea humani corporis diutius retinetur, et humore quocunque animali interim abluitur, circa id corpus calculus colligitur, non mirum eſt idem in viis urinariis occurrere, quando ſimilia in veſicam immiſſa ſunt. Et plurima exempla nobis tradidit Haller, turundam, linteum filum, pilum, filum orichalceum, fiſtulam terream, acum, frumenti ſpicam, hordei, glumam, fabam, pomum; et quid non aliud? Sed rem ultra dubium ſtabilivit Nuck, qui globulum ligneum in veſicam vivi canis immiſſum, ibidemque glutinato vulnere relictum aliquamdiu; inciſo poſt hebdomadas aliquot cane, undequaque exiguis calculis quinque cryſtallinis obſeſſum extraxit § Nucleis jam enumeratis, nunc temporis perquirendum venit, quomodo partes ſalinae, antea in ſtatu ſoluto, immiſſo nucleo, concreſcunt: Non in animo eſt mentionem facere de omnibus modis, quibus ſales liquefactae ſolideſcunt; ſat erit in hoc caſu aſſerere, quod major obtinet attractio inter partes urinae concreſcentes et viſcida ſiccave corpora, quam inter eaſdem partes et fluidum quo ſolvebantur. Ab experimento hoc ſtabilitur; nam, ſi ſubmergatur quicquid ſolidum in urina ſaniſſimi hominis, ſaepe renovata, et in calore corporis humani

* Haller. elem. phyſ. vol. 7. p. 369. † Haller. phyſ. vol. 7. p. 369.
‡ Denys de Calculo Hum. 89. § J. Nuck adenograph. p. 79.

retenta,

retenta, idem phaenomenon ac in veſica calculi laborante pateſcit. Ad partem nunc maximi momenti pervenimus, nempe,

METHODUM MEDENDI.

Indicationes curatoriae ſunt,

1*mo*, Paroxyſmum amovere.

2*do*, Calculos eliminare; et, ſi hoc impoſſibile videtur, tunc quaedam neceſſe erit ſymptomata levare.

Uti nobis videtur, paroxyſmus inflammatione renum vel veſicae praecipue nititur; hanc itaque ſedare idoneum ſit; et huic propoſito reſpondent,

Venaeſectio,—cathartica lenientia,—enemata,—fomentationes,—et opiata.

Calculos eliminare,

Duplex eſt methodus; una lithonthripticis, altera manibus chirurgi. Inter lithonthriptica, nos oportet diluentia includere, uti aqua cum herbis conjuncta, aquae minerales, &c. et etiam diuretica, nempe, terebinthinata, et ſimilia. Sed inter medicamenta quae molem calculorum minuunt, vel omnino calculos ſolvunt, alkalina primum locum obtinent et *cauſtica* et *mitia*, *aqua calcis*, *ſapo*, *uva urſi*, *aer fixus*, acida mineralia, nempe, *vitriolicum*, *nitroſum*, *muriaticum*, ſales medii.

De diluentibus vix aliquid dicendum eſt; ſolum ſuos edunt effectus urinae ſecretionem augendo, eorum mole vias urinigeras eluendo, et ſic arenam et calculorum fragmenta eliminare queant.

Lithontbriptica proprie dicta.—Ex anno 1739, in quo ſenatus, pretio ſatis aequo, arcanum Dominae Stephens comparabant, philoſophi dehinc maximam attentionem medicamento ex tot rebus confecto dirigebant. Uti compertum fuit, medicamentum, ex alkali vegetabili, calce vivo, cum ſapone, praecipue conflatum eſt. De his multa experimenta tentata fuere; nonnulli in parte alkalina, alii in calce vel ſapone, vires eorum collocabant. In animo eſt haec omnia ſingulatim ſcrutari. Primo, de alkalinis.

Exper 1. In alkali cauſtici unciam unam, calculi humani gran. decem ſubmergebam, temperatura cubiculi. ſecundum thermometrum Farenheitianum, apud 62. Gradatim horam verſus octodecimam penitus ſolvebatur.

Satis liquido patet, ab experimentis Doctoris Black †, quod alkali vegetabilis cauſticitas omnino ex abſentia aeris fixi pendet, et in hoc ſtatu compertum calculos humanos ſolvere; ut

† Experiments on Magneſia and Q. Lime.

hanc rem certiorem mihi facerem, experimentum ſupra enarratum et ſequentia ſtatui.

Exper. 2. In aq. fontan. uncias tres cum ſemiſſe, et alkal. cauſt. drachmam unam grana novem cum ſemiſſe calcul. humani collocabam. Phiala accurate ſubere occluſa, temperat. 98. circiter viginti et quinque horas, grana tantum quatuor pondere inveni.

Exper. 3. Unciis duabus alkali mitis, in ſtatum liquidi per deliquium redacti, gran. ſeptem calcul. human. addebam, temp. 98. ad 100. Per horas triginta et duo ſtetit, et granum in pondere acquiſivit.

Exper. 4. In uncias quatuor urinae modo redditae, alkali cauſtici drachmam unam inſtillabam; in hoc grana ſex calcul. human. ſubmergebam, temp. 98. ad 102. circiter viginti et quatuor horis, nil ponderis amiſerat, et arenoſum ſedimentum depoſuit.

Exper. 5. Unciis quatuor urinae retentis, guttas centum alkali mitis addebam, temp. 98. ad 100. Poſt triginta et duas horas, urina ſabuloſum demiſit ſedimentum.

Exper. 6. Faeci urinae arenoſae guttas triginta lixivii cauſtici cum lotii modo confecti unciis quatuor ſubjiciebam, temp. 62. Circiter viginti et quatuor horis, ſedimentum ita non ſolvebatur, ut in quantitate potius auctum fuit.

Exper. 7. Tartari regenerati drachma in aq. fontan. ſtillatae unciis tribus ſolvebatur; cui cal. human. gran. novemdecim addebam. Per triginta et quatuor horas in temp. 98. ad 100. ſtetit; ſed nihil ponderis amiſit. Idem experimentum cum urinae additamento tentavi, et cum eodem eventu.

Exper. 8. Alkali volatilis ſemidrachmae ſuccum limon. ad ſaturationem adjiciebam; his cal. human. gran. ſedecim cum aquae ſtillatae ſimplicis unciis tribus commiſcebam, temper. 95. ad 100. Per triginta et quatuor horas ſtetit, et grana duodecim tantum pendebat.

Exper. 9. Alkali volatilis ſemidrach. ſuc. limon. ad ſaturat. his adjiciebam lotii recentis unc. quatuor, et calcul. humani grana tredecem, temp. 95. ad 100. Poſt triginta et quatuor horas, gran. tria cum ſemiſſe deficiebat.

Exper. 10. Unciis duabus lixivii cauſtici, quod cum acido vitriolico minime efferveſcebat, aerem fixum addebam. Circiter quatuor exinde horas cum eodem acido violenter aerem effundebat; hujuſce lixivii drachmam urinae novae unciis quatuor infudi, in his grana ſex cal. hum. ſubmergebantur, temp. 96. ad 102. Poſt quadraginta horas nil ponderis amiſerat, et ſedimentum arenoſum depoſuit.

Ex his experimentis patet, quod alkali cauſticum vi ſolventi gaudet;

gaudet; ſed minime quando urinae adjungitur. Et in eodem modo nobis licebit concludere, alkali mitius haud omnino calculos ſolvere, nec ſedimenti ſabuloſi depoſitioni occurrere. Et, uti ab experimentis a celeber. Black accurate tentatis, et nuper iteratis, pro certo conſtat, quod alkali cauſticum tam ab alkali miti differt, quam aere fixo privatur; et, quoniam in ventriculo, inteſtinis, et urina aer fixus ſemper invenitur, nemo inficias ibit, quin alkal. cauſtic. eidem adjungitur, et in hoc ſtatu, tametſi calculo perveniret, minime illum mutaret. Praeterea, omnibus notum eſt, acidum in gradu morbido fere ſemper in ventriculis eorum a calculis laborantium locum obtinere; et quoniam ab experimento ſeptimo ſupra narrato, luculenter patet, calculos nequaquam affici tartaro regenerato, nobis ex analogia conjicere liceat, quomodo medicamenta alkalina ſuos edunt effectus. Ab experimento octavo et nono compertum eſt, ſpiritum Mindereri (vulgo dictum) calculos, tametſi urina commiſtos, ſejungere. Hoc dato, nunc mutationes recenſere in animo eſt, quas alkali cauſticum ſubiit, priuſquam vias urinarias intraret. Primo, ventriculo recepto, cum aere fixo vel acido coaleſcit, ſed plerumque cum ultimo horum adjungitur; quid tunc? In hoc ſtatu, ut antea dixi, minime valeret; itaque neceſſe erit, ut formam ſibi volatilem vindicaret. Quomodo hoc accidere poteſt, in aprico eſt; nam ſi cum oleo alkali fixum conjungitur, et his calor adhibetur, cito formam induit volatilem, et nemo nunc dubitat, quin in chylo continetur oleum. Hinc etiam videtur, quod minime refert, utrum alkali cauſticum vel mite aegro detur; ſed anteferendum eſt mitius, quia ſine incommodo in majori quantitate ſumi queat. Sat nunc de his locuti ſumus; pauca de aqua calcis diſſerenda ſunt.

Exper. 11. Calcul. human. grana ſeptem in aquae calcis uncias quatuor collocabam, temp. 96. ad 100.

Exper. 12. In unciis quatuor urinae novae cum aquae calcis unciis duabus, cal. humani grana ſeptem ſubmergebam, temp. 98. ad 100.

Exper. 13. Grana ſeptem calcul. human. unciis quatuor aquae calcis adjiciebam temp. 62. Haec omnia per quadraginta et octo horas in vaſi fictilia vitro munita perſtiterant; attamen nihil ponderis calculi amiſerant, nec quoquomodo mutabantur. Ut ex his concludi queat, quod experimentorum fruſtratio praecipue oriebatur, vel a calculi duritie, vel quia vaſa patulo ore ſteterant, experimenta ſequentia feci.

Exper. 14. Cal. human. grana ſeptem cum aquae calcis unciis tribus et ſemiſſe in phialam ſubere poſtea bene occluſam injiciebam, temp. 96. ad 100. circiter quadraginta et octo horis, incluſo accurate perpenſo, haud pondere deficiebat.

Calculus in hoc et praegredienti experimento valde durus erat. Itaque experimentum iterum calculo minus firmo tentavi, temp. 96. ad 100. Poſt horas triginta et duas granum cum ſemiſſe amiſit; hoc experimentum iterum iterumque ſtatui.

Exper. 15. Calculi texturae mollioris grana decem, in aquae calcis et urinae recentis utriuſque uncias tres, per quadraginta et octo horas in temper. 98. ad 100. manebant; haud pondere calculus defecit; ſedimentum ſabuloſum minime demiſit urina.

Exper. 16. Lotii recentis unicae quatuor cum aquae calcis unciis tribus in temp. 62. manebant, et, pro ſpecimine, urinae ejuſdem uncias quatuor in eodem gradu caloris poſui. Poſt horas quadraginta, No. 1. ſedimentum album ſubſedit; ſed minime apparebant ſigna arenae, &c. No. 2. ſedimentum ſabuloſum demiſit.

Exper. 17. Faeci ſabuloſae, lotii per dies quatuor redditi, uncias tres cum ſemiſſe aquae calcis adjiciebam. Cito limoſa evaſit mixtura, et ſedimentum album ſubſedit; per dies quatuor ſtetit, fundo nec lateribus materia calculoſa haerebat.

Exper. 18. Unciis quatuor aquae calcis drachmam unam aceti, et poſtea lotii recentis uncias quinque, affudi temp. 64.

Exper. 19. Aquae calcis aere fixo expletae unciis quatuor, urinae novae uncias quinque adjiciebam, in hac gran. octodecim cal. human ſubmergebantur temp. 64.

Exper. 20. In uncias quinque aquae calcis aere fixo ſaturatae grana decem cal. humani immiſi temp. 64. Urinae recentis uncias quinque, uti ſpecimen, ſepoſui. Poſt horas ſexaginta haud pondere amiſerant calculi. Sed experimenta lotio commiſta minime ſedimentum arenoſum demittebant; attamen urina mera copioſe ſabulum demiſit.

His experimentis conſulte perpenſis, conjicere licebit, quod aqua calcis minime vi lithonthriptica gaudet; attamen in omnibus fere caſibus faeci ſabuloſae urinae obviam eundo optimos edere poteſt effectus; et ſentiendi viarum urinariarum facultatem minuendo, et forſan lotii naturam mutando, multum exinde levaminis oriri queat. Nam, uti vis hujus medicamenti (ſcilicet lithonthriptica) ex calce aere fixo privata pendere videtur, in hoc ſtatu calculo adhiberi debet; haud negandum eſt, quin cito in ventriculo, inteſtinis, et urina ad medicamentum inutile faciendum ſat aeris colligeretur. Sed quoniam plurimis, ſine calculi vel ſolutione vel incremento, ſolatio erat, hoc in modo (ab experimentis antea enarratis, et caſibus quamplurimis, a celeber. Whytt et Alſton recenſitis), tantum agere videtur*.

* Vide Alſton's ſecond diſſert. on Lime Water, p. 61. Whytt on Lime Water, p. 345. Ibid. p. 349. Ibid. p. 445.

In

In hoc loco citare vellem, caſum ſutoris ab illuſtr. De Haen traditum. Sic ait, "Per ſeptem integros annos, ſi quis unquam calculi in veſica martyr, opem petiturus me adibat. A paucis unciis incipiendo, deinde integram menſuram, id eſt, libras 4, aquae calcis, totidemque lactis, quotidie bibit; donec ſumpſerit 17 libras ſaponis, 1500 libr. aq. calcis, et 1500 libr. lactis. Homo hic, ſub media cura, incepit et huc uſque continuat, urinam tam facile reddere, quam unquam homo, qui ſemper expers calculi vixit; nulla unquam ſtranguria ultra affuit, nulla retentio, nullus ardor dolorve, imo retinet urinam debito ſanorum tempore. Et quamvis jam per 4. 5. menſes ex noſocomio dimiſſus, taedio diuturni medicamenti, id ultra ſumere recuſet, atque indiſcriminatim ſalſa et acria, quibus delectetur, affatim aſſumat; manet tamen ſaniſſimus.

"Interea autem calculus cathetere noſcitur in veſica eſſe, urinaque quotidie mucoſa prodiit *." Ex his, et experimentis jamjam recenſitis, probatum habemus, quod aqua calcis minime calculi vim ſolvendi poſſidet. Attamen, ut antea notatum fuit, multum commodi ab ejus uſu oriri queat, et praecipue inter aegros ſub doloribus nephriticis veſicae calculo laborantes. Pauca nunc de ſaponis uſu ad calculum ſolvendum.

Exper. 21. Unciis ſex aquae ſtillatae ſimplicis ſemiunciam ſaponis Hiſpanici addebam; exinde grana duodecim cal. humani in phialam collocabam, temp. 62. Per tres dies in hoc ſitu, ſubere occluſa, ſtetit, haud pondere amiſerat; tunc per viginti et quatuor horas, in balneum aquoſum temp. 96. ad 102. manſit, et granum tantum unicum deficiebat, calculus etiamſi valde fragilis reddebatur.

Exper. 22. In temp. 62. uncias ſex urinae novae, cum ſolutionis ſupra enarratae uncia, collocabam; in hoc ſubmergebantur grana decem cal. human. Et, pro ſpecimine, lotii recentis uncias ſex ſepoſui. Poſt triginta et quatuor horas calculum pendere idem invenimus; et miſtura ſedimentum ſabuloſum depoſuit. Idem experimentum poſtea reiteravimus, et uno atque eodem eventu.

Inquirendum nunc eſt, quomodo agit ſapo; et ab experimentis nuper factis, ex proſpectu patet, fere ſemper in hoc modo ſuos edere effectus. Uti ſatis conſtat hoc medicamentum praecipue formari ex oleo expreſſo, vel animali et alkali vegetabili fixo, in formam cauſticam ope calcis vivae redacto; et quoniam, ut antea notatum fuit, acidum in ventriculo ſemper exiſtere, inficiari nequit, quin ſapo cito mutatur in ſimili modo cum alkali cauſtico. Audi quid dicit Macquer, "Con-

* De Haen Ratio Medendi, vol. 1. cap. 21. p. 137.

cerning

cerning the decompoſition of ſoap, by means of acids, even the weakeſt vegetable acids may occaſion this decompoſition; becauſe every one of them has a greater affinity than oil with fixed alkali *." His omnibus perpenſis, ſapo, uti medicamenta alkalina, calculos forſan ſejungere tendit; alvum ſolvit, propter oleum in eo contentum, vel etiam quia cum acido alkali coalefcit, et ſalem medium format; hanc ob cauſam e ventriculo aciditatem morbidam expellit.

Medici nuper inter ſe multum diſceptaverunt, de morbo in quo uva urſi calculos veſicae vel renum, vel etiam dolores harum partium, demovet. Uti nonnulli exiſtimabant, vim lithonthripticam in ea collocatam eſſe, experimentum unum vel alterum tentavi.

Exper. 23. In unciis quatuor aquae fontanae ſemunciam pulveris uvae urſinae, cum cal. human. gran. ſeptem, commiſcebam, temp. 97. ad 102. Circiter triginta et duabus horis, calculus grana octo pendebat.

Exper. 24. Lotii recentis uncias octo in temperat. 62. ſepoſui; huic infuſi fortioris uvae urſinae uncias duas addebam, cum cal. human. gran. decem. Poſt quadraginta et octo horas ſedimentum ſabuloſum ſubſedit; et calculus granum unicum acquiſivit. Haec experimenta ſaepe ſaepius reiteravi; ideoque ſatis compertum videtur, hoc medicamentum nullo modo vim calculum ſolventem praebere. Tametſi multis ab ejus uſu ſolatio erat, uti a celeb. De Haen crebro notatum fuit, ab experientia auctor idem nobis mirabilia exempla narrat. Sic ait: "Hujus anni 19 Aprilis XI annorum puer deferebatur in noſocomium. Parentes teſtantur, a quadriennio abhinc elapſo, filium diu noctuque in urina reddenda immanibus torqueri doloribus; guttatim illam prodire; collectam vero tum mucoſam eſſe, tum pallidam, tum foetidiſſimam. Quin et puerum binos calculos, piſi minoris magnitudine, quondam excreviſſe. Cathetere explorante, calculum omnes manifeſto percepimus, audivimus. Puerum in noſocomio detinere volui, licet, quovis momento acriter ejulans, ac pavimentum, furibundi inſtar, pedibus aſſiduo quatiens, moleſtus ſane ſocius caeteris aegrotantibus eſſet. Bis de die media drachma pulveris uvae urſinae dabatur, et paregoricum veſpertinum juvamen intra quatriduum adeo magnum fuit, ut dolores vix ultra adeſſent, ut lotium diutius retineret, ut demum quibuſcunque careret calculi ſymptomatibus †." Quomodo hos edit effectus difficile eſt reſponſum dare. Hoc tantum noſcimus, quod uva urſina agere videtur vi ſua aſtringenti. Et bene

* Macquer's Chym. Diction. article Soap.

† De Haen. Rat. Medendi, tom. I. p. 204.

notum

notum eſt, quod omnia fere medicamenta hujus generis vi ſedativa gaudent, ſcil. mobilitatem ſolidorum minuendo. Et, uti acidum e ventriculo eliminare tendunt, quod in hoc morbo magnopere pollet, pro certo hoc modo utilia fiunt. Haud negandum eſt etiam, quin organa urinae ſecretoria coroborant, et ſic lotii conditionem mutant. Quoniam calculos minime afficit, uva urſina, uti ab experimentis probatum fuit, et quando efficacia ejus pendere videtur ex qualitate aſtringenti, ſatis nobis conſtat, quod medicamenta minus ingrata, et eadem vi praedita, ſimiles procrearent effectus.

De Aere fixo.

Exper. 25. Grana ſeptem calcul. humani in rivulo aeris fixi appendebam. Poſt viginti et quatuor horas, granum unicum acquiſivit.

Exper. 26. In aquam aere fixo expletam grana viginti et duo calculi humani ſubmergebantur; circiter diebus quinque ſeſqui granum tantum e pondere amiſit, tametſi per totum fere tempus ex mixtura effervefcenti aer in aquam tranſibat.

Exper. 27. In uncias octo aquae aere fixo ſaturatae, grana novemdecim cal. human. collocabam phiala, ſubere cum cera ſigillari occluſa, temp. 95. ad 104. Poſt horas quinquaginta, grana viginti pendebat.

His experimentis forſan objiciatur, quod aqua haud aeris, quantum ſufficet, accepiſſet. Hoc attamen aſſerere velim, quod raro, ſi unquam, calculo in renibus vel veſica ſimilis quantitas eodem tempore pervenire poſſet.

Experimenta quaedam cum Acidis.

Exper. 28. Grana quinque calculi humani cum acido nitroſo fortiori operiebantur. In horae quadrante penitus ſolvebatur.

Exper. 29. Granis novem calculi humani drachmas duas acidi vitriolici adjiciebam. Poſt circiter viginti et quatuor horas haud pondere omnino deficit.

Exper. 30. Acidi muriatici drach. duas calculi humani gran. decem addebam. Poſt horas viginti quinque granum unicum amiſit.

Exper. 31. In aquae acido nitroſo acidulatae uncias tres, gran. 9 cal. human. ſubmergebantur temp. 94 ad 100. Poſt horas quindecim granum cum ſemiſſe e pondere defecit, et valde fragilis reddebatur.

Exper. 32. Cal. hum. gran. quinque in uncias quatuor aquae acido muriatico grate acidulatae immergebantur. Poſt horas quindecim vix granum amiſit.

Exper. 33. Aquae fontanae unciis quatuor, q. ſ. acidi vitriolici,

triolici, ad gratam aciditatem, cum calcul. hum. gran. quinque adjiciebam. Poſt horas quindecim calculus omnino in pulverem redactus eſt. Hoc experimentum ſaepe reiteravi, et cum eodem eventu.

Exper. 34. Tartari vitriolati drachmae duae in uncias ſex aquae fontanae ſtillatae ſolvebantur; his cal. human. gran. novemdecim addebam. Poſt triginta et quatuor horas, in temp. 96. ad 102. nil ponderis defecit.

Exper. 35. Alkali volatilis ſemidrachmae acidi vitriolici ad ſaturationem; his cal. human. gran. ſedecem cum aquae fontanae ſtillatae unciis tribus adjiciebam, temp. 96. ad 100. Poſt triginta et quatuor horas grana quatuor amiſit.

Uti ab experimento 39 pro certo patet, quod acidum vitriolicum fortius nequaquam calculos ſolvit; et quoniam quando aquae commiſtum hunc edit effectum, nonne abhinc nobis conjicere liceat, quod vim exeret lithonthripticam, tametſi totum circuitum peregrinaret? Nam ſatis notum eſt, ex hujus medicamenti natura, leviorem ſubire mutationem etiam in ſyſtemate, quam alia, quae ad morbos depellendos a medicis adhibentur. Ab experimentis chymice tentatis ſatis conſtat, corporis humani fluida et praecipue ſanguinem, e materiis diverſis formari; omnia medicamenta interne recepta ex hoc probabile videtur, quaſdam mutationes ſubire, priuſquam varia ſecernentia organa attingant. Inter haec inficiari nequit, acidum vitriolicum locum non obtinere. Chymici nunc temporis ſe probaſſe deputant, alkali volatile in ſanguine et fluidis hinc ſecretis copioſe extare, et, ex attractione chymica inter hoc et acidum, minime dubitandum eſt, quin in unum coaleſcent, et ammoniacum vitriolicum formarent. Pleriſque haec conjunctio medicamenti efficaciam evertere conduceret; ſed, ut antea in exper. 35. probatum fuit, novimus hunc ſalem magna vi lithonthriptica gaudere; neque difficile eſt conceptu, cur in hoc ſtatu eoſdem exereret effectus. His ſubjiciendum eſt, acidum vitriolicum maxime pollet aciditatem e ventriculo amovere, tonum hujus organi augendo, et fermentationi obviam eundo. Praeterea, ex vi aſtringenti et ſedativa, eaſdem induceret mutationes ac uva urſina, levando dolores in organis uriniferis.

Quod ad tertiam indicationem attinet, nihil nunc adjiciendum eſt; nam medicamenta ad calculos minuendos vel depellendos ſymptomata levare tendunt.

Si medicamenta jam commemorata hoſpitem inviſum nec ſolvunt, nec dolores ab hoc originem ducentes ſedant; tunc nihil aegro miſerrimo reſtat, niſi manibus chirurgi ſeipſum ut committeret. Et noſtrum non eſt normam praeſcribere, quam in hac operatione chirurgi perſequantur, cum ad eos ipſos hoc ſpectet.

DE

DE ISCHURIA VESICALI.

AUCTORE ROB. BUCK.

ISCHURIA duplex eſt; altera Falſa vocatur, in qua neque quicquam urinae ad veſicam attingit; altera Vera, ubi urina in veſicam jam delata foras expelli nequit. Prior morbus a vitio unius utriuſve renis vel ureteris oritur; quo fit, ut nulla ſecernatur urina, aut ejuſdem jam ſecretae iter ad veſicam quoquomodo occludatur. Poſterior vero, de quo pauca loqui ſolum in animo eſt, a variis cauſis induci poteſt. Hunc autem bifariam diſtinxerunt hodierni, in veſicalem, nempe, et urethralem; de eo tamen potiſſimum, qui ex veſicae vitio oritur, ſcribere ſtatui, quippe cujus medela potius ad medicum pertinet.

Evidentes cauſas primo indagare optimum eſſe judicavi, et ſymptomata dein ſingulis propria fuſius deſcribere, cum hiſtoriam morbi cuicunque caſui convenientem exequi, difficilimum vel etiam impoſſibile fore praevideam. Obiter autem annotare vellem, ab urina diu in veſica retenta, qualiſcunque demum ejus cauſa fuerit, haec pene perpetua eſſe.

Tumor figuram veſicae primo referens in aliqua pubis parte oritur, atque paulatim creſcens, cum ſenſu ponderis, circa imam ventrem parteſque vicinas, moleſto, donec totum fere abdomen occupet. Dolens jam veſica univerſum corpus in conſenſum cito trahit; urgent imprimis anxietas, gravis capitis dolor, vertigo, nauſea, vomitus, ſingultus, quae, ſi hominem diu exercent et torquent, ad extrema ventum eſſe teſtantur: Superveniente enim apoplexia, convulſione, aut ſopore, miſere interficiunt.

Neque quidem ad haec omnia mala facienda, opus eſt ut urina penitus ſupprimatur; ſi enim ſtillicidium ſit, vel effluxus ejus liber cohibeatur, eadem (teſtibus Ruyſch, Morgagni, Home, aliiſque) aliquando eveniunt; dummodo copia urinae non rite expulſae veſicam tandem praeter modum diſtendat.

Haec autem veſicae plerumque communia ſunt: Vim ſeſe contrahendi inde amittens, ingentem et incredibilem fere diſtenſionem primo patitur; hinc inflammatio, gangraena, interdum etiam laceratio: Quae ſi quovis modo praevertuntur, at morbus nihilominus inveteraverit, (quod quidem multo frequentius eſt), fibrae muſculoſae fere ſemper craſſeſcunt, totaque veſicae ſubſtantia denſior tandem atque durior fit.

Nonnunquam etiam a diuturna diſtenſione veſica ad inguen

vicinaſve partes deſcendit, lapſum ibi inteſtinorum multum referens.

Cum plus urinae recipere veſica nequit, ureteres quoque urina haud raro adeo diſtenduntur, ut, etſi per immiſſam fiſtulam haec educeretur, tamen quam cito rurſus veſicam impleret.

DIAGNOSIS.

Diagnoſin inter iſchuriam et alios morbos omnino non neceſſarium duco, cum ipſa urinae retentio vetet pro alio quocunque haec facile ſumatur: Nec multum ad rem confert, ut nimis ſubtiliter conſideremus, utrum morbus ſit idiopathicus an aliorum tantum ſequela fuerit, quo caſu idoneam aeque curationem poſtulat, et ſaepe etiam magis ſedulam, quam morbus ipſe unde originem ducat.

Falſam a vera utcunque dignoſcere haud inutile eſt.

In hac, poſt gravitatis ſenſum circa pubem et perinaeum, et perpetuum plerumque ad urinam reddendam ſtimulum, tumor ille ſub tactu dolens ad hypogaſtrium oritur; qui etiam, a digito in anum vel vaginam immiſſo, innoteſcit. Fiſtula autem in veſicam altius miſſa, urina *, certiſſimum ſignum, effluit.

Neque et haec ſymptomatum ſeries perpetua eſt; pro diverſis enim cauſis, aliquantum differe poteſt, ut poſtea de ſingulis tractantes videbimus.

In falſa iſchuria, immuni hypogaſtrio, dolor aut gravitatis ſenſus circa renes, vel utriuſque ureteris tractum, ſuboritur; nulla vero vel minima mingendi cupiditas, ob inanem veſicam, urget; res autem patet, ſi, immiſſo profundius cathetere, nihil quidquam urinae effluat.

Et, cum iſchuriae verae ſignis, ſimul urinae ſtillicidium eſt, morbum quamvis fallacem, haec ſigna facile detegunt. Cadaverum enim ſectiones rem, alias obſcuram, vixque antea ſuſpicandam, clare explicaverunt. Aſſiduo, imo ſolito copioſius, fluente urina, eam in veſica retentam iri, quis ſuſpicari poterat? Neque ſolertiſſimos medicos, hac ſtillicidii ſpecie ſe olim diſceptos fuiſſe, ſponte fateri puduit; id quod ſatis ſuperque probat, quam cautus ſemper debeat eſſe medicus " in definiendis morbis ad partes urinarias ſpectantibus, quippe quo-

* Hanc, auctores omnes tanquam certiſſimam diagnoſin tradunt; plura tamen vidi exempla ubi iſchuria diu inveteraverat, et etiam ex ſymptomatibus patebat in veſica adeſſe urinam, hujus tamen parva admodum quantitas educta eſt, quamvis catheter perita manu immiſſus fuerit; ſed, quanquam cathetere ſaepius immiſſo, parca quidem urina ſingulis temporibus, diei tamen unius ſpatio, multa effluxit.

rum diagnoſis (uti olim admonuit illuſtris Morgagni) ſumma etiam arte quaeſita, non rariſſime fallax eſt."

C A U S Æ.

Neque ipſum malum cognoviſſe ſat eſt; ſed et intelligere oportet cauſas iſchuriam efficientes, quae quidem omnes, utpote multiplices, non facile deteguntur; paucae tamen ſunt quae medicum ſagacem omnino fugere poſſunt; paucae denique, quibus idonea remedia adhibere non in promptu eſt, niſi ejuſmodi manifeſto fuerint, ut curationem non admittant.

Quo lucidior autem ſermo ſit, unde iſchuria oriri queat, primo, breviter proponendum; dein ſingulae cauſae fuſius evolvendae; veſicae enim phyſiologiam et ſtructuram ſilentio omnino praeterimus.

Urina a renibus paulatim deſtillans, veſicam tandem diſtendit, ſtimulat, et in contractionem ciet: Haec vero vis, veſicae propria, ad contenta ſua expellenda potiſſimum valet; parum enim auxilii afferunt muſculi abdominales, quoties iſta ceſſat, et ceſſat quidem vel muſculoſarum fibrarum vitio, vel ſi reliquae tunicae harum actioni ſolito magis reſiſtunt; atque adeo propter debilitatem aut paralyſin, unde unde ortas, vel propter varia tunicarum ejus mala. Ubi autem vires, quibus urina redditur, prorſus illaeſae ſunt, expulſio ejuſdem a ſubſtantiis intra veſicam hoſpitantibus, vel a collo veſicae quocunque modo occluſo, impediri poteſt. Si quando, denique, partes vicinae morbum aliquem conceperint, qui vel urinae iter opprimat, vel veſicam ipſam laedat, vel in conſenſum trahat, iſchuria pertinax haud ita raro exorta eſt.

Quae igitur cauſae iſchuriam efficiunt, eae ſitae ſunt,

1mo, In ipſa veſicae urinariae ſubſtantia.

2do, In ejuſdem cavo.

3tio, In partibus veſicae vicinis.

Quando morbus a veſicae ipſius vitio ortum duxerit, peccant plerumque aut fabrica ejus muſculoſa univerſa aut pars ea quam ſphincter vocant. Quin et aliquando tota veſicae ſubſtantia, vel pars aliqua membranarum, male habentes, eam contractioni parum idoneam reddant.

Fibrarum muſculoſarum vitium, quo iſchuria induci poteſt, vel ſpaſmus eſt, vel torpor, vel paralyſis.

Spaſmus a ſtimulo fortiori, parti affectae admoto, aut ſympathia, aut cauſis admodum obſcuris, jam praeeunte ſeminio, oriri poteſt: Quamcunque autem in veſica originem habeat, ſphincterem praecipue afficere videtur; ex totius namque veſicae ſpaſmo, vix urinae ſuppreſſio, ſed potius incontinentia,

 naſceretur.

naſceretur. Spaſmi in univerſum cauſas, et quam his obnoxius ſit ſphincter, animo ſecum reputanti, urinam ex hac cauſa ſaepe ſupprimi facile patet.

In vehementiore autem ſpaſmo, conſtrictio ad veſicae collum fere inſuperabilis eſt, et aliquid durum, perinaeo explorato, ibi renititur. Dolor † autem acutus, calculum mentiens, cum perpetuo mingendi conatu, ad veſicae cervicem intenditur. Pubes dein, tactus admodum impatiens, paulatim tumeſcit: Gravis etiam deſidendi cupiditas ſimul urget, qua tamen nihil plerumque excernitur.

Urina a ſpaſmo ſuppreſſa, aliquando ex totius corporis vitio enaſcitur, quod nimirum ſtimulis aſſuetis juſto ſenſilius eſt. Habitus igitur corporis nimis ſentiens, nimis mobilis, iſchuriae ex hac cauſa opportuniores reddit. Unde foeminas et infantes ſaepius adoriri ſolet. Cum autem hyſteria ex iiſdem fere cauſis oriatur, cum ipſa tot induat formas, mirum non eſt ſi veſicae demum incumbat; quod quidem, ubi malum inveteraverit, ſigna antea vix ſuperanda exaſperare, multoties novi. In tetano etiam, aliiſque morbis ſpaſmodicis, urina nonnunquam ſupprimitur.

At, ubi nihil hujuſmodi in caetero corpore eſt, veſica ipſa ſtimulorum ita impatiens eſſe poteſt, ut ſphincter ejus in abnormem iſtam contractionem a leviore irritatione incidat. Huc referre fortaſſe liceat, veſicae (monente Hoffmanno) ſpaſmum, a ſuppreſſo haemorrhoidum vel menſium fluxu, ortum; tum enim vaſa circumcirca diſtenduntur, praecipue autem ea quae ab eodem ramo oriuntur, et major ſanguinis copia acriorem in veſica, uti in aliis ubique muſculis, ſenſum excitat *.

Saepius vero in veſica manifeſtior morbus eſt; ubi enim tunicae eroſione vel levi ulcere afficiuntur, urina fibras muſculoſas attingit, et has ad ſpaſmum inſolita irritatione ſolicitat: Id quod etiam accidit, ſi mucus, qui ad veſicam defendendam deſtinatur, vel abſens vel depravatus.

At in veſica, morbi cujuſcunque immuni, ob nimiam irritationem idem provenire poteſt. Sic urina, a larga cantharidum doſi vel veſicatoriis, acris facta, iſchuriae haud raro cauſa eſt. An huc quoque referre liceat urinae ſuppreſſionem, quam

† Cum vero veſica ſenſu praeter naturam tunc polleat, doloris, quae ex ſpaſmo oritur, vehementia ſaeviſſima ſit oportet; in ſano namque ſtatu, Tiberius cruciatum magis exquiſitum, quam vinculum arctum peni injectum, invenire vix potuit, "excogitavit," enim, "inter genera cruciatus, ut larga meri portione per fallaciam oneratos, repente veretris deligatis, fidicularum ſimul urinae tormento diſtenderet." C. Suetonius, Tranq. lib. 3.

* Quaſdam novi mulieres, mobili habitu praeditas, quibus catamenia parce et difficulter effluunt; ad omnem periodum, urina, magna cum difficultate, redditur, ne dicam, aliquando prorſus ſupprimitur.

eruptiones

eruptiones a cute intus repulſas ſequi Morgagni memoravit? Et malum idem quod, in ſtatu vel etiam declinatione variolae, junioribus familiare eſſe, Sydenhamus accurate ſcripſit?

Veſica autem a ſympathia ſpaſmo aliquando laborat; "graviter enim affectis vicinis partibus, adeo non inſolitum eſt veſicam in conſenſum trahi, lotiumque non expellere, ut Sennertus inter ſigna inflammatorum inteſtinorum hoc recenſuerit: Quin etiam olim Caelius Aurelianus, inter caetera ileon comitantia mala, *veſicae et officii ventris perfectam abſtinentiam* poſuit." *Morgagni de ſedibus et cauſis morborum, Ep.* 34. § 8.

Torpor autem, vitium ſpaſmo prorſus contrarium, urinam ſupprimere valet, quandocunque ſenſus veſicae eouſque imminutus fuerit, ut neque ejus diſtenſio, neque urinae ſtimulus hominem ad mingendum concitet, priuſquam veſica adeo diſtendatur, ut multum intentet periculum.

Ubi univerſum corpus male ſe habet, veluti in melancholicis et maniacis, in febribus quibuſdam, vel poſt venena quaedam ſumpta, uti opium, nux vomica, arſenicum; urina, ob hujuſmodi ſtuporem, in veſica reprimitur.

Malum, ob eandem cauſam, ſenibus familiare eſt; ſenectus quippe corpus hebetat. Dormiente etiam homine, praeſertim, ſecundum Morgagni, ſi diabete laborat, adeo obtuſus eſt aliquando veſicae ſenſus, eaque tantam inſcio patitur diſtenſionem, ut mox in experrecto vix aut ne vix quidem ad juſtam iterum excitetur contractionem.

Supereſt et aliud fibrarum muſculoſarum vitium; ſumma nempe atonia ſeu *Paralyſis*, ſupra dictis multo frequentior et aegrius tollenda. Plerumque enim in provectiori iſchuria, a quacunque cauſa primum enata, ſi urina, quoties res poſtulat, non emittatur, veſica demum paralytica evadit; cujus quidem rei, cum veſica muſculus cavus ſit, iiſdemque, ac muſculi reliqui, legibus pareat, cuivis motum muſculorum intelligenti haud obſcura erit ratio.

Ubi vero veſica primo reſolvitur, poſt dyſuriam, plerumque per aliquot dies, urina vel prorſus ſupprimitur, vel parce et guttatim effluit; abdomen in utroque exemplo ſine vel minima meiendi cupiditate paulatim tumeſcit. Cum autem veſica vim ſe contrahendi amiſerit, neque ſi, immiſſo tubulo, urina educatur, abdomen illico detumeſcet.

Hoc in vitio, veſica, utris mortui fere inſtar, diſtenſionem adeo immanem patitur, ut parum abſit quin aliquando laceretur: Tum enim aeger ſtimuli ad urinam reddendam, et doloris a diſtenſione prorſus expers (ab intolerandis ſaltem cruciatibus iſtis, quibus ſpaſmo veſicae laborantes exercentur, prorſus immunis), in animum inducere, urinam ſibi ſupprimi

vix

vix poteſt *, nec inſtrumentum in veſicam immitti, utpote rem crudelem atque inutilem concedet.

Paralyſi autem laborat veſica cum vicinis partibus ſimul laborantibus, vel ipſa propriam paralyſin, caetero corpore illaeſo, ſubire poteſt. Attamen, ex quocunque caſu, ſi fibrae muſculoſae ſuam vim prorſus amiſiſſent, urina non retineri, ſed potius invito aegro elabi, debuiſſet. Quod ſaepe quidem uſu venit ubi inferiores partes omnino reſolvuntur. In articulo etiam mortis, in apoplexiae aut epilepſiae paroxyſmis, aliiſque morbis, quibus vis nervoſa multum ſubitoque interpellatur, in ſcirrhis quoque, aliiſve ad oſtium veſicae vitiis quae ſphincteris actioni officiunt, urina inſcio et nolenti effluit. Si igitur urina a reſoluta veſica ſupprimatur, ſphincterem adhuc illibatum eſſe argumentum eſt, vel, eum ſaltem poteſtatis ſuae caeteris veſicae partibus tenaciorem eſſe, teſtatur, et vires ſimul iſtas languere, quibus renixus ejus ſuperari ſolebat.

Cauſae paralyſis communes et in veſica paralyſin faciunt; quas ergo omnes enumerare non noſtrum eſt: Sed cum iſchuria praecipue oriatur a paralyſi, quae partes infra lumbos poſitas male habet, hujus cauſas breviter percurram. Notabiles ſunt injuriae lumbis illatae; tumores omnigeni nervos in ea parte comprimentes; contuſio vertebrarum vel harum forte luxatio; ſpinalis medullae vulnera; frigus his partibus diu admotum, praeſertim a diuturna mora in aquis frigidioribus; quae omnia, aut nexui, qui veſicam inter et reliquum genus nervoſum intercedit, officiunt, aut vim nervoſam in ipſa parte delent.

Veſica denique ipſa, vicinis partibus illaeſis, vim ſe contrahendi haud raro amittit; id enim cum aliis muſculis commune habet, quod a nimia diſtenſione, ob urinam diutius quam par eſt retentam, paralytica demum evadat. "Etenim (uti jamdudum accurate ſcripſit Galenus) accidit interdum, hanc ſuppreſſionis urinae cauſam eſſe, quemadmodum ſanis quibuſdam, vel urgentibus negotiis, vel in concionibus, vel in ſenatu, vel foro, vel convivio, retenta longiori tempore urina, extenſa ſupra modum veſica, urinam ſupprimi, contractrici facultate laeſa propter immodicam tenſionem." *Galen. de locis affectis, lib.* 6. *cap.* 4.

Ubi urina a cauſis ſupradictis ſupprimitur, male ſe habent in

* Medicus quidam, referente cl. Monro, ita laborabat, qui ſibi ſperſuadere non poterat, veſicam ipſam tumeſcere, potius credebat tumore quodam veſicam comprimi, et eo magis quod ſimul urinae ſtillicidium eſſet. Paulo poſt mortuus eſt, et in cadavere reperta fuit veſica craſſa et valde diſtenta. Praelect. Anatomic.

in univerſum fibrae muſculoſae, ſive eae inordinate agant, ſive torpeſcant, vel omnino ſolvantur: At vis veſicae, quatenus a fabrica muſculoſa ea pendeat, ita integra eſſe poteſt, ut urinam exprimere pluſquam valeat; propter tamen tunicas ejus ad contrahendum ineptas, et actioni muſculorum ſolito magis reſiſtentes, urina expelli nequit.

Varia ſunt tunicarum vitia; primum autem recenſeri debet *Inflammatio*, quia nullus aeque metuendus caſus in veſicam incidere poteſt, et omnis fere inflammatio urinam reddi naturaliter prohibet; ejus autem tota ſuppreſſio graviorem morbum non ſolum indicat, ſed etiam fibras jam nimis ſenſiles diſtrahendo, eumdem exaſperat: Neque intereſt num ſpaſmus, vel tumor, vel ad motum difficultas, parti cuicunque inflammatae communis, urinam ſupprimat; cum inflammatio, ſemel alicubi orta, ad caeteras tunicas ſerpat; hac autem ſublata, urina denuo fluit.

Aliqui veſicae collo inflammationem ſolum inhaereſcere exiſtimaverunt; ſed, cum in omni ejus parte ſe prodiderint clara praeeuntis inflammationis veſtigia, nec dubitandum quin ipſa olim praeceſſerit. Veſicae tamen, uti caeterarum partium inflammatio, duplex eſſe videtur, chronica ſcilicet et acuta; haec brevior et gravior ſolet eſſe, illa longior et levior. Cadaverum enim ſectores, ſine ullis praecedentibus acutis ſignis, abſceſſus veſicae et ulcera invenerunt. Fatendum tamen eſt, acutam inflammationem partes circa veſicae collum frequentius occupare, cum hae et acutiori ſenſu polleant, et cauſis morbum moventibus magis ſint obnoxiae.

De his hactenus tractare non alienum fore putavi, quia levioris inflammationis eſt quam forte diſtenſio fecit, malis quibuſdam occaſionem praebere, quae et urinam ſupprimere valent, ſuppreſſamve exaſperant. Eſt enim, ut credatur *Craſſitudinem* eam, ſcirrhum, corium, imo cartilaginem aliquando referentem, a praeeunte hujuſmodi inflammatione provenire; ſanguine namque in vaſis congeſto, lympha coagulabilis effunditur, in quam et alia vaſa repunt; accreſcit dein nova materies, mutaturque tandem fabrica.

Quod ſi hujuſmodi vitia ſuperioribus veſicae partibus ſolum inhaeſerint, urina ſumma cum difficultate redditur, vel invito guttatim profluit; vetat tamen plerumque veſicae impotentia ne urina penitus exprimatur. Eadem ideo ſigna paulo poſt ſecutura ſunt, ac ſi a principio plena fuiſſet ſuppreſſio; quae quidem accidit quando veſicae collum circumcirca laborat: Tum etiam tubulo ad educendam urinam immiſſo, durities ibi percipitur. Abdominis autem tumor ad latus, ei in quod aeger

aeger decumbit oppoſitum, ſaepius elevatur; et veſica tumida, rectum coarctans, alvum pertinaciter aſtringit.

Ad vitia tunicarum quoque pertinent *Tumores* diverſi generis ex iis enati, qui urinae iter obſtruere poſſunt, imo nonnunquam ad tantam molem creſcunt, ut totum fere veſicae cavum repleant.

Propoſitis jam tunicarum vitiis, proximum eſt ut de his dicam quae intra veſicam haerent; horum autem praecipue ſunt vel Calculus, vel Mucus, vel Pus, vel Sanguis congrumatus ita ſitus, ut, collo occluſo, egreſſum urinae impediat.

Iſchuria a *Calculo* facta pueris ſaepius accidit quam adultis; ſaepius viris quam foeminis. Minor autem calculus in veſicae cervicem facilius impingit, urinamque pertinacius retinet, quam is qui major eſt. Praeter tamen urinae iter a calculo ipſo fere occluſum, probabile eſt, et ſpaſmum et levem inflammationem ab irritatione ejus produci; quia nullus fere datur in veſica calculus qui oſtium urethrae ita arcte claudat, ut urina penitus ſupprimatur; potius vero cum mictionis aſſidua cupiditate ea parce et difficulter inde reddita foret.

Si autem urina pueris ſuppreſſa eſt, eam a calculo provenire conjectare licet, ſi naturalia manibus crebro ſcabunt; res vero ultra dubium ponitur, ſi medicus, inſtrumento in veſicam immiſſo, calculum ſentiat; quod et in adultis obtinet; quamvis in his ſigna plerumque manifeſtiora ſint, multum tamen abeſt, ut medicus de hac re in omnibus certior fiat priuſquam veſicam exploraverit.

Mucus intimam veſicae membranam perpetuo irrigat, ne ea ab urinae acrimonia nimis laedatur; qui autem uberior atque ſpiſſior aliquando factus in cavum veſicae adeo copioſe deſtillat, ut ad cervicem ejus decidat, eamque poſſit obſtruere. Id quod nonnunquam in catarrho veſicae accidere conſuevit. Suppreſſionem ex hac cauſa ortam eſſe dignoſcitur, ſi urina turbida antea difficulter expulſa fuerit, et in ea ſedimentum craſſum et viſcidum, quale albumen ovi eſt, ſubſederit, ad imum matulae haerens.

Pus autem modo a renibus huc deſcendit, modo a veſica ipſa profluit. Pus vero in veſica factum potius iſchuriae cauſa eſt; quia in hoc caſu id non ſolum magis ſincerum eſt, verum etiam tunicae veſicae male ſe habentes ſolitum renixum ſuperare nequeunt. Signa quae urinae ſuppreſſionem antecedunt, eam ex hac cauſa enatam eſſe monſtrant; veluti praeeuntia inflammationis ſigna, poſtea autem ingens et frequens meiendi cupiditas. Urina tamen pauca fertur et craſſa, multumque puris foetidi per quietem deponit. Dolor autem in perinaeo

perinaeo vel pube, admota ibi manu, vel erecto corpore, ſimul intenditur.

Quando denique *ſanguis* in cavum veſicae effunditur, ibique ſatis diu remanet, ut particulae rubrae in unum coaluerint, poteſt et id coagulum oſtium urethrae claudere. Si ſanguinem mingere, idque cum grumis aliquando miſtum, eidem homini non novum eſt; ſi manifeſtior injuria, qua vaſa diſtrahi poſſunt, veſicae illata eſt; ſi, denique, veſica explorata aliquid ad veſicae collum inſtrumento reſiſtit, et ſanguis ſimul extremum tubulum tingit, fieri vix poteſt quin urina ſuppreſſa originem ex grumo ſuſpecto ducat.

Urinae, a calculo, muco, pure, vel ſanguine, ſuppreſſae id commune eſt, quod ſtimulus ad mingendum frequenter urgeat, et dolor a diſtenta veſica multum intendatur. In tribus vero noviſſimis, et forſitan etiam in aliis, nonnunquam conſuevit, ut aer, poſt urinae fluxum, cum impetu magno et ſonitu quodam, per tubulum immiſſum, erumpat *. Cujus quidem ratio in aprico erit, quando veſica intus exulceratur; tum enim exulceratio, ad inteſtina vel vaginam progrediens manifeſtiorem aeris aditum facit. Cum vero citra omne ulceris ſignum, aerem pariter erupiſſe noverim, eum in veſica ipſa quovis modo gigni neceſſe eſt. Veriſimile autem videtur, obicem, ſive pus, ſive ſanguis, ſive mucus ſit, mutationem iſtam ſubire proclivem, qua perpetuo avolat aereum quoddam principium, hunc aerem ſuppeditare; vel a quadam actione vaſorum parum perſpecta, aerem ipſum in veſica ſecerni, aut a renibus huc devehi per ureteres.

Alteram cauſam, ut fertur, efficiunt vermes in veſica deliteſcentes, modo ex inteſtinis eo delati per ulcus, modo ibi aut in renibus generati.

* Ædopſophia urethrae, Sauvages, vol. 2. p. 417. cujus jam quatuor exempla vidi; in primo, a catarrho veſicae inveterato urina difficillime effluebat. In ſecundo, iſchuria erat a prolapſu uteri ſimulque in hujus cervice ulcus. In tertio, puella per biennium iſchuria laboraverat: Antequam aer ex urethra erumpere coepiſſet, urina ſaepe cruenta erat, ſine ulla cruoris coacti ſpecie; ubi vero aeris eruptio ſupervenit, urina carnis loturam referebat, et odorem prae ſe ferebat penitus alkalinum. In quarto, mulier, paucos menſes iſchuria vexata erat, urina craſſa et rubra ſedimentum, ſanguinis craſſamento haud abſimile, demittebat.

In tribus noviſſimis exemplis, cathetere ſaepe immiſſo, urina parca plerumque effluebat, quae ſtatim aeris flatum antecedebat, ea vi inſolita expellebatur, et aer ex cathetere prodibat magno cum ſonitu, odorem diffundens, urinae in putredinem vergentis aemulum.

In tribus exemplis, aeris flatus, immiſſo cathetere, ſemper obſervatus eſt, donec urina ſponte exiret; in quarto, deſiit quando ulcus vaginae ſanatum eſt, etſi iſchuria manebat. Altera ex aegris, dum poſtea famulari coacta eſſet, urinam, natura poſtulante, ſine incommodo reddere non potuit; hinc iterum urinae ſuppreſſio, et ſimul cum hac aeris eruptio.

Urina etiam ſupprimi poteſt a variis admodum malis partium vicinarum; quae tamen omnia collum veſicae vel urethram ipſam contra oſſa pubis comprimunt, et ideo ad iſchuriam ex urethrae vitio potius referri debent: Qualia ſunt inteſtinum rectum faecibus flatuve infarctum; haemorrhoides tumidae; tumores varii generis ex partibus vicinis; catamenia in vagina, ob hymen integrum, retenta; uterus foetu, ſanguine, aqua, tumore qualicunque tumidus; glandula proſtata inflammata vel ſcirrhoſa; denique vitia haud pauca urethrae quae iter urinae obſtruant.

PROGNOSIS.

His, veluti in conſpectum quendam quatenus ſcire curanti neceſſarium eſt, adductis, etiamnum quaedam alia de prognoſi proponenda ſunt ad omnem iſchuriam, de qua diximus, pertinentia.

Cum ad particulas, eas quae ſuperfluae vel noxiae forent, ex corpore evehendas, magis forte quam ulla alia ſecretio deſtinata fuerit urina, hujus ſuppreſſio ſanitati multum noceat oportet; imo, ſi diutius immoratur, plerumque mortifera eſt. Exempla enim ea praetermittam, quibus diu cum pauciſſima aut nulla urina aegroti ſupervixerunt. Talia certe non deſunt. Potuit tamen in his aut ſuperſtes excretio vitam ſuſtentare, aut urina viam aliam affectare; ea enim ex veſica reſorpta, in ſanguinem ſaepe revehitur, aliqua alia via demum expulſura. Totum corpus aliquando inundat, lethalemque inducit anaſarcam, ni ſudor, urinae odorem referens, copioſe ex cute effluat: Alias in cava varia effunditur, ſigna aquae ibi collectae haud abſimilia brevi inductura: In ventriculum depoſita, vomitum humoris urinam olentis movet; in inteſtina, hujuſmodi fluxum. Aliquando etiam per alia organa ſecerni videtur, uti quando copioſus ſalivae fluxus, urinae inſtar, prorumpat. Et quanquam hi exitus morbo ex renis vel ureteris vitio frequentius accidunt, in iſchuria tamen vera nonnunquam obſervantur. Si enim urina a veſica ipſa non reſorbeatur, ureteres, durante morbo, diſtenduntur, et renes, pari fere vitio ac in iſchuria falſa, demum afficiuntur. At quidam ſunt iſchuriae veſicali proprii exitus; poſt longam enim ſuppreſſionem, tumor ad umbilicum aliquando ortus eſt, multumque urinae poſtea effudit: Alias urina, viam in perinaeo aperiens, ulcus difficile ſanandum reliquit.

Etſi iſchuria vera haud raro lethalis eſſe conſuevit, dici tamen in univerſum poteſt, veram falſa leviorem eſſe et minus periculoſam, tum quod diutius trahere ſoleat, tum quod ſaepe cauſae ejus felicius tolli, et ſymptomata certius mitigari poſſint.

De

De morbi inveterati exitu, a quacunque cauſa primum orti, caute ſemper judicandum eſt; cum ab iterata diſtentione veſica demum reſolvatur, et tunicae ejus fere ſemper craſſeſcant. Sed, quanquam Mauchart, Lieutaud, aliique, ſe in cadavere, poſt iſchuriam paucos ante dies inchoatam, veſicam prorſus vacuam, amplam tamen, nec, ut ſolet, contractam, inveniſſe affirmaverunt; patet tamen ex longa ſuppreſſione ſolum inſtrumenti ope haud raro ſanata, talem effectum non adeo cito neque facile ſequi; id quod etiam oſtendit experimentum a Boerhaavio inſtitutum; in cane enim, etſi urina triduum jam retenta, pleniſſima eſſet veſica, hac tamen, exiguo vulnere perterebrata, exſiliit urina ad magnam altitudinem, et veſica ita contracta eſt, ut nullum pene cavum ſupereſſet.

Prognoſis autem pro diverſis cauſis diverſa eſt. Iſchuria a ſpaſmo, dummodo cauſa bene perſpecta ſit, ſanatu non difficilis eſt. Superata vero ſuppreſſione, urinae incontinentia, poſt morbum praeſertim vehementiorem, aliquandiu manet: Et ipſa ſuppreſſio, a cauſa admodum levi, quibuſdam intervallis ſaepius recurrit.

Urina a veſicae reſolutione ſuppreſſa difficillimam recipit curationem; quilibet enim muſculus paralyſi correptus priſtinam vim neque facile neque ſubito recuperat; id autem in veſica facit diſtenſio ut paralyſis in deterius ruat; quae, ſi ſpina etiam male ſe habet, vix unquam ſanabilis eſt.

Gravis eſt urina poſt nimiam veſicae diſtenſionem ſuppreſſa, quippe quam inflammatio et gangraena, niſi protinus ſuccurratur, cito excipiunt: Quibus autem hic ultra modum ſaevientibus, mirum non eſt, ſubito aliquem extingui *.

Diſtenſionis diu continuatae frequens ſequela eſt craſſities veſicae aucta: Eadem in aliis membranis lenta et modica vi diſtractis accidit, uti in herniarum ſaccis, in aneuriſmate, in tumoribus cyſticis, &c. Ubi autem morbus diu perſtat, et veſicae tunicae multum corrumpuntur, remedia vix utilia fore ſuſpicare licet. Rebus tamen ita ſe habentibus, terreri non debemus, ſi febris ſuperveniat; hac namque actio lymphaticorum ſaepe eo uſque promovebitur, ut veſicam ad ſolitam magnitudinem reducat, iterque urinae expediat.—Puellam in Noſocomio Edinenſi, iſchuria pertinaciſſima laborantem, vidi. Abdomen progrediente morbo magnopere diſtentum, etſi urina cathetere ſaepe idies educebatur; veſicae tunicae,

* Sic periit eximius ille mathematicus Tycho de Brahe, qui cum Pragae in ſolemni convivio ultra vires et conſuetudinem detineretur, diuque urinam cohiberet, poſtea liber, urinam amplius excernere non potuit, ſed ſuccedente veſicae inflammatione paulo poſt interiit.

quantum tactu judicari potuit, multum depravatae erant. Poſtquam urina ultra biennium fiſtula regulariter educta fuiſſet, parum proficientibus remediis, febre oborta, abdomen detumuit, et urina ſponte reddita eſt.

Iſchuria a Pure facta, periculoſiſſima eſt; veſicae enim exulceratio in ſenibus nullam penitus curationem admittit, in aliis aetatibus difficilem; quia (ut cum verbis Hoffmanni concludam) "nulli morbi difficilius curantur quam qui in veſicam conſiſtunt: Eſt enim nervoſa et exquiſiti ſenſus pars, ſecundum veterem loquendi morem frigida, et pauco ſanguine perfuſa, ac urina perpetuo ſuperne affluens conſolidationem impedit, praeſertim in ſenibus."

METHODUS MEDENDI.

Pro diverſa morbi cauſa, diverſa inſtituenda eſt curatio; nam neque eadem remedia omnibus opitulantur, neque curari id, quod aegrum eſt, poteſt ab eo qui cauſam, unde proveniat, ignorat.

Qualiſcunque tamen ejus cauſa ſit, ſi diutine ſuppreſſa fuerit urina, ad eam educendam, catheterem intromittere oportet: Non ut cauſa morbi inde amoveri poſſit; ſed ſic inſtans periculum evitatur, et tempus deliberationi patet. Catheter autem, ineunte adhuc morbo, immitti debet; et ejus immiſſio, quoties res poſtulat, repetenda eſt, donec veſica priſtinum ſtatum recuperaverit. Si aegrum frequentis immiſſionis taedet, vel ſi conſtrictio ad veſicae collum facilem inſtrumenti tranſitum impedit, flexibilem tubulum * per paucos dies in veſica retinere melius erit.—Cum aliter ſuccurri non poteſt, et ultima experiri ſtatutum eſt, tum demum urina, per veſicae inciſionem, educatur.

Sedulo interim quaerenda eſt ſuppreſſionis cauſa: Si ſpaſmus, a totius corporis vitio, ea eſt, quae ſpaſmum compeſcant, protinus adhibenda ſunt; utpote balneum calidum, injectiones aquoſae in rectum vel vaginam immiſſae; opium, aliaque antiſpaſmodica interne ſumpta. Dein, ut morbo recidivo occurratur, ad uvam urſi vel corticem Peruvianum confugiendum eſt. Neque haec quidem omittenda in ullo veſicae ſpaſmo; quaedam tamen alia deſiderat morbus ex aliis cauſis ortus. Si enim a nimia in veſicae vaſis congeſtione provenit, utilis erit ſanguinis detractio: Si a veſicae muco abraſo,

* Inſtrumentum hujuſmodi, ex metallo neto in ſpiram ducto, fabricatum, et poſtea cerato linteo involutum, in praelectionibus anatomicis jamdudum laudavit cel. Monro; cerati autem lintei loco, reſina elaſtica, Caoutchouc dicta, nuper uſus eſt D. Keden, chirurgus Boruſſus.

vel

vel tenuiore facto, educta ſaepe urina, ea quae emolliunt in veſicam injici debent: Si a nimia urinae acrimonia proficiſcitur, copioſus aquae potus porrigendus eſt; ſin autem peculiaris acrimoniae natura comperta eſt, quae id corrigere inveniuntur, ſimul tentanda ſunt. Sic, poſt cantharidum abuſum, camphora nonnunquam remedio eſt.

Si a torpore malum provenit, vis veſicae inſita ſtimulantibus promovenda eſt.

Si, cum artuum inferiorum paralyſi, urina ſimul ſupprimitur, haec regulariter educenda eſt; iiſque remediis, quae ad priſtinam vim reliqui corporis revocandam conveniunt, utendum eſt: Quae autem, ſi feliciter cedunt, plerumque etiam veſicae ſolitum munus reddent. Si vero, ſuperata paralyſi, iſchuria adhuc perſtat, vel ſi veſica ſola ab initio reſoluta eſt, remedia dein malo magis accommodata tentanda ſunt; qualia ſunt ea medicamenta, quae vi quadam ſtimulante in veſicam agunt, uti cantharides caute propinatae, vel quaedam externa auxilia pubi, perinaeo, vel parti cum veſica conſentienti admota, quae eam ad contractionem incitent; huic conſilio cataplaſmata acria, frigida pedibus, ictus electrici, conveniunt *.

Si urinae ſuppreſſio ab inflammatione eſt, huic accommodata remedia opponenda ſunt. Si a morbida veſicae tunicarum craſſitudine, experienda ſunt ea quae hujuſmodi molem reſolvunt; quo caſu mercurius, ictus electrici, cataplaſmata quaedam diſcutientia, aliaque vires abſorbentium excitantia, auxilium promittunt.

At operae pretium erit de remediis potiſſimum uſitatis paulo fuſius tractare.

Sanguinem copioſe detrahere vix neceſſarium videtur, ni adſit veſicae inflammatio; ubi vero circa imam veſicam fibrae nimio ſanguine turgent, feliciore multo eventu, ope cucurbitularum et hirudinum, prope mali ſedem, ſanguis emittitur; harum enim uſum in talibus exemplis multum collaudat Morgagni: “In amico ſuo,” ait, “poſt alia incaſſum adminiſtrata, illo demum remedio ſublatam eſſe pertinaciſſimam ſuppreſſionem.”

Vix ulla datur ſuppreſſio, in qua aegri, ſine levamine, in balneum ſe demittunt; urina diu ſuppreſſa, etiam ſi calculus iter obſtruat, ſaepe in eo reddita eſt; malo vero a ſpaſmo provenienti potiſſimum convenit, quod et hujus ſolummodo uſu aliquando tollitur. Si quidem balneum non praeſto eſt, adhibenda tamen ſunt, ad pubem et perinaeum, fomenta vel cataplaſmata, aut ad naturalia, vapor aquae calidae: Neque

* In iſchuria quae aut a ſpaſmo aut paralyſi pendere videtur, liquorem aethereum vitriolicum pubi adhibitum urinae profluvium ſaepe continuo ſequitur.

inutile

inutile erit in rectum vel vaginam aquam calidam, cum emollientibus miſtam, injicere; hujuſmodi enim enemata partes vicinas non modo relaxant, ſed etiam, alvum ducendo, proſunt.

Si dolor nimis urget, laudanum liquidum, ad guttas duodecim et ultra, ſecunda quaque hora, propinatum Vogel commendat. Medicus autem quidam *, proſpero cum eventu, ſe, in omni urinae ſuppreſſione, opium, cum calomelane miſtum, juſſiſſe refert: Hujuſmodi compoſitionem, proportione opii gr. 2. ad calomel. gr. x. 6ta quaque hora deglutiendam, vix unquam ſuam fefelliſſe expectationem affirmat.

Diureticis caute ſemper utendum eſt, neque unquam, niſi in urina, a veſica nimis torpida et paralytica, ſuppreſſa; quo caſu cantharides, veſicam inſigniter ſtimulando, vim ejus priſtinam reſtituerunt. Pari etiam attentione frigida pedibus admovenda ſunt; quam noxia enim hujuſmodi irritamina in veſicae inflammatione, ſpaſmo, vel inſuperabili conſtrictione ſint, nemo qui ignorat.

† Scintillas electricas, vel ejus ad pubem ictus, in veſicae reſolutione ſimulque tunicarum ejus craſſitudine, multum allaturos eſſe auxilii, probabile eſt; cum nullum fere medicamentum vim muſculorum citius reſtituat, neque abſorbentium vires certius excitet ‡.

In hac quoque veſicae craſſitie mercurius a celeberrimo Gilchriſt multum commendatur: "In ſuch a delicate ſituation of things," ait, "many would have queſtioned the propriety of a mercurial remedy; and I ſhould have doubted of it likewiſe, if experience, in caſes of no leſs delicacy, had not long before convinced me of its ſafety and utility. A leſs powerful deobſtruent did not appear adequate to thoſe great and ſpeedy effects which the vehemency of the diſtemper required §." Praemiſſis igitur venaeſectione, aliiſque, prout res deſiderant, auxiliis, pilulas mercuriales Pharm. Edinenſ. ad grana octo vel decem, ſingulis noctibus, propinat, quae gin-

* Philoſophical Tranſactions, vol. 66.

† Tres aegri, qui eneureſi laborabant, quorum uno calculus olim exſectus fuerat, ex quo tempore urinam continere haud potuit, ſcintillis electricis, e pube et partibus vicinis, elicitis, in valetudinario publico Edinenſi, ad ſanitatem omnino redacti ſunt.

‡ Vidi militem in noſocomio Edinenſi, hoc remedio ſanatum, cujus hiſtoriam hic breviter referam. Is, poſtquam ictum in lumbis accepiſſet, artuum inferiorum paralyſi correptus eſt, unde diu lecto affixus manſit. Urina prae vi elabi coepit; ſed pubis tumore, aliiſque ſuppreſſae urinae ſignis, medicus edoctus catheterem immitti juſſit, et magna urinae copia quotidie educta fuit. Iſchuria et paralyſis non tamen abierunt, etſi multa remedia adhibita fuerunt: Ad machinam electricam demum miſſus, levamen inde manifeſtum expertus eſt. Iſchuria et paralyſi liber cito evaſit, et jam perfecta ſanitate utitur.

§ Phyſical and Literary Eſſays, Edin. vol. 3. p. 493.

givas

givas dolore brevi afficiunt; earum tamen effectus aliquando prius ſentiuntur in veſica; hujus tenſio et ad collum conſtrictio relaxantur; urina tarde et cum minore dolore elabitur; omniumque ſymptomatum cito ſequitur levamen.

Declinante abdominis tumore, omni inflammatione et dolore jam abſente, exercitatio in equum vel in rheda, ad tollendas morbi reliquias, et ad veſicam ſimul confirmandam, imprimis utilis erit. Talis enim motus, quaſi leni quodam ſtimulo, vim ſui contrahendi inſitam promovet. Aquae minerales cum maximo commodo ad curationem perficiendam accedunt. Si vero res anguſtae domi retineant, aqua calcis, cortex Peruvianus, aliaque tonica, horum loco ſubſtituantur.

DE VERMIBUS INTESTINORUM.

AUCTORE ARTH. BROUGHTON.

PHILOSOPHIS pariter ac medicis notiſſimum eſt, quod humana aeque ac brutorum corpora intra ſe foveant copioſiſſima, imo ac ſaepiſſime valde mirabilia naturae producta. Hujus rei veritatem quotidie plus ſatis experimur. In hac diſſertatiuncula exemplum capio ex illo genere quod hominum inteſtinis proprium eſſe videtur, cujus tria diverſa genera ab auctoribus enumerantur; quorum primum conſtituunt Lumbrici Teretes, alterum Taenia vel Lumbricus latus, et tertium Aſcarides. De his pauca, ordine, quaeque ſuo, dicemus.

Lumbricus teres externa forma ſatis ſimilis lumbrico terreſtri eſt; ſed, ſi examinationi ſubjiciatur, dum adhuc ab inteſtinis recens eſt, apparet coloris pallidioris; fere exaequat craſſitiem calami ſcriptorii; incertae longitudinis eſt; annulos habet tenues, vix conſpicuos; et utrinque mucronatus eſt; raro excedit menſuram pollicum duodecim, etſi nonnulli majoris enumerantur longitudinis. "Baglivus * cognovit Romae, anno 1696, juvenem viginti annorum, pallidum macie affectum, et in omni lacticiniorum uſu intemperantem; hic, cum mane cepam cultro reſecaret, ejus odore ita vehementer commotus erat, et adeo ingenti ſuffocatione correptus erat, ut brevi moriturum ſe putaret, niſi, ſuperveniente vomitu, ejeciſſet Lumbricum teretem, triginta pedes longum, et rotundum in pilam conglobatum, quo excluſo, ſtatim convaluit." Linnaeus †, dum de his vermibus agit, dicit, "Lumbricum inteſtinorum

* Epiſt. ad Andry, p. 696. † Syſt. Natur. p. 85.

rum eſſe eandem ſpeciem cum lumbrico terreſtri vulgatiſſimo." Sed ab aliis obſervationibus videmus ſagacem Linnaeum in errorem inductum fuiſſe. Celeberrimus Valliſnerius * diſſecuit, ſumma qua valebat dexteritate, et invenit ſtructuram diverſam a lumbricis terreſtribus.

Etiam egregius Edwardus Tyſonius † diſſecuit vermes teretes humanos, illoſque omnino diverſos a lumbricis terreſtribus reperit. His ſubjungere vellem opinionem illuſtriſſimi Redi, qui a diſſectione et obſervationibus microſcopicis vidit lumbricum teretem e toto differre a lumbrico terreſtri: Ad hanc differentiam explicandam Icones pinxit, quae inveniuntur in obſervationibus ſuis de animalculis vivis, quae in corporibus animalium vivorum reperiuntur. Liſterus et alii hujus opinionis fautores ſunt.

Aſcaris vermis eſt parvus et rotundus, raro excedens craſſitiem fili tenuioris, pollicis quartam longitudine aſſequens, ad utrumque finem mucronatus, anterius autem paulo obtuſior; ingenti numero finem inteſtini recti infeſtant ſaepiſſime, et faecibus alvinis plerumque excernuntur. Baglivus ‡ cognovit juvenem qui, diarrhoea ſuperveniente, ejecit centum vermes, ex aſcaridum genere. Nonnullis dicuntur maximam habere convenientiam illis vermibus, quos in caſeo admodum frequenter videmus; et credidit Van Doeverenus § inde ortum ducere. Ill. Van Swieten ‖ novit hominem, qui ſimulac caſeum album manducaret, bidui tempore poſt moleſtum pruritum ab aſcaridibus copioſis circa anum ſentiebat. Sed vermiculi in caſeo reperti inveniuntur e toto differre ab aſcaridibus; illi formam immutant, hi nunquam; aſcarides caudam tenuiſſime acuminatam habent; alteri autem ab utraque extremitate obtuſi ſunt. Praeterea, vermiculi in caſeo reperti variis motibus gaudent; aſcarides vix movere videntur, tametſi talia ſaepe ſigna vitae demonſtrent, ut ab hinc facile diſtinguantur a taeniae fragmentis unius ſpeciei, quae Couletus et alii voluerunt eſſe aſcarides.

Taenia vel lumbricus latus a nonnullis vocabatur vermis ſolitarius, quia credebatur ſolus eſſe ſemper, et totam longitudinem inteſtinorum aequare; etſi haec opinio ab auctoritate ill. Van Doevereni haud vera eſſe videtur; tametſi haud negari poſſit, quod ſaepiſſime accidit **. Hoc genus ſic Linnaeo †† definitur, " Vermis corpore ſimpliciſſimo articulato." Quatuor ſpecies enumerantur. Prima dignoſcitur oſculis mar-

* Dan. Cler. Hiſt. Nat. et Med. lator. Lumb. p. 222.
† Philoſ. Tranſact. abr. tom. 3. p. 130. ‡ Epiſt. ad Andry, p. 698.
§ Diſſert. Inaug. L. B. 1753. p. 31. ‖ Comm in Aph. 1359.
** Lieutaud. Lib. 1. Obſ. 314. †† Amaen. Acad. p. 81. vol. 2.

ginalibus

ginalibus alternatis, et vocatur Solium Andrii, Lumbricus latus Couleti, et Vermis cucurbitinus Plateri.

Hac nota a ſecunda differt, cujus in uno latere bina foramina patent, vocatur Taenia vulgaris Andrii, Taenia primi generis Le Clerc.

A tertia, cujus in latere unum tantum extat; hanc ſpeciem Linnaeus dicit ſe rariſſime inveniſſe.

A quarta, cujus in marginibus duo ſunt oſcula oppoſita, et cujus Linnaeus explicationem dat ſequentem. "Hujus magnitudo vix craſſitiem fili tenuioris ſuperat, quantum nobis obſervare etiamnum licuit, pelluciditate a reliquis diſtinguitur, ſine punctis inter ſubſtantiam obſcuris, et quod articuli ejus lineares fermè pollicem longitudine aequant, quod vigeſies longitudo latitudinem ſuperat, et quod pars antica nullo modo marginem habeat, uti ſpecies antecedentes. Oſcula ad margines ſeu latera convexa articulorum in eorum medio, uti in ſpecie prima, ſed ita ut oſcula haec, ab utroque latere articuli reperiuntur oppoſita; quorum tamen oſculorum, alterum fere ſemper minus eſt, et fere obſoletum." Cum primum ab inteſtinis tinea ſecernitur, liquore albo nonnunquam adeo turget, ut formam cylindricam fere ſumat; poſtquam autem per aliquot horas in ſpiritu vini immerſa fuerit, plana videtur. Raro videmus taeniam integram; partes ejectae ſunt planae, graciles, et latae, raro menſuram excedentes decimae partis pollicis. Sed longitudo vermis et articulorum numerus nullis legibus coercetur. Ill. Van Doeverenus caſum juvenis recenſet, qui ejecit abruptam portionem taeniae quae aequabat menſura ulnas quadraginta. Alteram etiam vidit Tyſonius, quae quamvis tantum viginti quatuor pedes menſurabat, articulos tamen quingentos ſeptemque habuit. Alteram etiam miram, nec fide dignam, niſi a Boerhaavio deſcripta eſſet, in numerum ſubducimus, quae conſtabat de articulis 21600.

Adhuc ſub judice eſt, an ſingulus articulus animal ſit integrum. Mirum eſt, quod ſingula pars in ſe poteſtatem poſſideat animalis integri, vivit, movet, et aliis partibus adhaeret; nonnullae injectiones a Domino Ernſt * quodam liquore colorato factae, probare videntur ex pluribus articulis unum conflari vermem. Eadem experimenta fecit Dominus Palmer †, ſimul cum clariſſimo viro Alexandro Monro, et invenit eadem fere omnia quae Ernſt memorat.

Quartum genus nonnulli auctores addiderunt, cui nomen Cucurbitinorum dederunt; ſed hi ſolum taeniae unius ſpeciei articuli eſſe videntur, quae horum catena formatur; hinc non

* Halleri Diſput. Med. v. 3. p. 441. † Diſſert. Med. Inaug. 1765.

mirum eſt, alios in ſententiam veniſſe, vermem latum eſſe tantum catenam vermium cucurbitinorum *.

De GENERATIONE et NUTRITIONE VERMIUM.

Hac diſſertatiuncula, varias opiniones auctorum, qui de generatione et nutritione vermium tractaverunt, haud poſſumus perſcrutari. Scriptores antiqui crediderunt vermes ex putredine gigni, et corpori coaetaneos fuiſſe. Galenus, dum de his agit, dicit, illos vermes non ex ſemine, ſed ex putredine gigni. Celebris medicus de Lille † dicit, " In propria filiola undecim hebdomadas nata, integros vermium nidos obſervavi, licet mater illi, praeter ubera nihil adhuc, neque lac coctum praebuiſſet, unde vix impediri potui, quin crederem, vermes congenitos fuiſſe." Plures obſervationes foetuum vermes in inteſtinis habentium, dum in utero materno adhuc haerebant, collegit egregius medicus Van Doeverenus. Hippocrates etiam dicit, multi ſane pueri, tum rotundos, tum latos, una cum primo ſtercore per alvum excreverunt. Poſtquam autem ſumma induſtria virorum illuſtriſſimorum Redi, Bonneti, Reamuri, aliorumque, fabrica inſectorum mirifica detecta fuit, credebatur legem eſſe univerſalem, ut vel ex vivo partu, vel ovis depoſitis, propagarentur inſecta; et cum in viviparis animalibus ova et ovaria detecta eſſent, hinc ſatis unanimiter ſtatuebatur, omne animal ex ovo eſſe. Noſtris temporibus, a toto phyſicorum choro generatio aequivoca dicta damnatur, excepto forſan clariſſimo Buffono, cujus ſententiam vide in Hiſtoriae naturalis tom. 2. ad cap. 2. p. 33.

Redus ‡, dum de hac re agit, dicit, " Quanquam ſingulis fere diebus videamus e cadaveribus animalium, nec non ex omni genere herbarum, florum, et fructuum putridorum et corruptorum, vermes naſci infinitos juxta illud; huc tamen feror ut credam, omnes hos vermes e ſemine paterno generari, et carnium, herbarum, aliarumque rerum vel plane putrefactarum vel putreſcentium, in generatione inſectorum, non alias eſſe partes, nec aliud officium, quam ut locum vel nidum commodum praebeant, in quem ab animalibus, cum nendi tempus inſtat, deferantur vermes, ova vel quodcunque aliud vermium ſemen, qui vermes ſtatim ut nati ſunt, in hoc nido alimentum ſufficiens, et nutritioni commodiſſimum inveniant, et niſi a matribus ſupra dictis ſemen huc delatum ſit, nullum ibi vermem, nunquam, inquam, quidquam generari." Baglivus

* Le Clerc. Hiſt. Nat. et Med. lator. Lumbr. Genev. 1715.

† De Cordis Palpit. Lib. 1. p. 133.

‡ De Generat. Inſect. p. 17. et ſeq.

vus * etiam dicit, “ Non enim putredo eſt, quae viventia producit imperfecta, ſed putreſcentium rerum calor, et fermentatio rerum, ſemina undequaque vagantia per orbem foecundat, ut ita dicam, ſive potius futuri animalculi primordia, foecundato in ovula torpida et inertia excitat, fermentat, ac veluti primam vitae auram eiſdem inſpirat, idemque cum illis agit, quod calor ſolis, aut gallinae incubatio gallinaceis cum ovis, et in bombycum ovulis.” Sed cum in lucem proferimus obſervationes multas, quae docent vermes in partibus humani corporis inventos fuiſſe, ubi novimus nullam eſſe communicationem, niſi per vaſa tenuiſſima; quum legimus Baglivum vermem vidiſſe in cavitate pericardii palmaris fere longitudinis, alium in cerebri ventriculo, et ſi ab Adriano Spigelio in humore oculi vitreo equini inventus fuerit vermiculus; non mirum hinc, ſi ab eruditiſſimis in naturali hiſtoria viris, tot difficultates notae fuerunt. Hoc loco non eſt omnia expendere; ſat eſt medico noſcere illa ſigna, quae docent, infeſtos illos hoſpites in corpore nidulari, et praecavere mala quae exinde oriri poſſunt. Swammerdamius †, adeo peritus in his, poſtquam ſedulo omnia conſideraverat, dixit, “ Difficillimum quidem eſt explicatu, quanam ratione vermes in animantibus viventibus generantur. Quantum ad me attinet, fateor ego, tam pauca mihi circa hanc rem experimenta ſolida ſuppetere, ut hactenus nihil omnino in ea videam. Etiamſi multos, modiſque multifariis conſtitutos, vermes in viventibus, et ſe moventibus, tam terreſtrium, quam aquatilium, et aereorum animalium corporibus conſpexerim; attamen nihil ſolidi, quidquam certive hic pronunciare valeo.”

Cum vermes in inteſtinis adſunt, proculdubio nutrimento indigent ut ſuſtineantur et creſcant; et certe hoc nutrimentum ab alimento noſtro praebetur. Nonnulli crediderunt, vermes chylo nutriri. Ill. Van Swieten huic opinioni favere videtur. Alii crediderunt, non ſolum chylum, ſed etiam ſanguinem haurire vermes. Van Doeverenus meminit taeniae, quam amicus in ipſo egreſſu vidit, cujus oſculis ſingulis guttulae aliquot ſanguinis effluebant. Nonne patet, quod aliquando a ſubſtantia ipſa ventriculi et inteſtinorum hauriant nutrimentum? Aperuit Heiſterus cadaver pueri ſeptennis, qui ab aliquo tempore moleſtos dolores abdominis paſſus fuerat; et, licet optimo gauderet appetitu, tamen ſenſim toroſitate corporis imminuta periit. In abdomine aliquot uncias aquae flavae invenit, quibus ſpongia abſorptis, in conſpectum veniebant plures vermes teretes; et,

* Epiſt. ad Andry, p. 693. † Bibl nat. t. 2. p. 708. et ſeq.

licet cadaver ſequente poſt mortem die apertum fuit, unicum inter illos invenit vivum, inteſtina tenuia foraminulenta erant, et plures adhuc continebant vermes, ſed omnes mortuos. Hiſtoriam virginis habemus, poſt multa mala mortem occumbentis; venter hic et illic vermibus ſcatebat; in altera non ſolum inteſtina, ſed etiam cor et hepar, vermibus eroſa, et alte excurvata eſſe, memorat Riverius. Unus ex inguine mulieris quae hernia laborare credita eſt. E veſica pueri lumbricos exiiſſe, cui dein mortuo et veſicam et rectum pluribus locis tranſigi inventum eſt, teſtatur celebris Benevolus. Alii hujuſmodi memorantur caſus in volumine primo Act. phyſ. medic.

CAUSÆ GENERATIONI VERMIUM FAVENTES.

Infantes ferquentius graviuſque vermibus, et inde morbis oriundis, laborant; hi ab alimenti natura inteſtina habent glutinoſo muco repleta, et ſic vermibus nidus praebetur. Adulti majori ſolidorum robore, circuloque ſanguinis vegetiore, praediti ſunt, et non tam facile ſuccos inertes et viſcidos alunt. Quotidianis conſtat obſervatis, infantes pauperum, longe frequentius aliis, vermibus laborare, quia carent meliori victu, et obvia quaeque ſolent comedere. Raro in adultis videntur, tametſi nonnunquam illos qui temperamento gaudent, quod medici vocant leucophlegmaticum, vermes infeſtant. Saepiſſime occurrunt illis qui vitae ſedentariae indulgent. Obſervatum eſt, plurimos laborare vermibus, qui fructibus nondum bene maturis, piſcibus et carnibus ſalitis, copioſe veſcuntur; dum reliqui meliori diaeta utentes, magis immunes ſunt. Legumina etiam et farinacea, lacticinea, caſeus, panificia cum melle et ſaccharo condita, ab Hoffinanno inter cauſas enumerantur Lumbrici magis frequenter occurrunt autumno, tempeſtatibus anni pluvioſis, et maxime omnium locis paluſtribus et aquis ſaepe obrutis; ob hanc cauſam Batavi vermibus obnoxii ſunt. Obſervatum erat apud Beziers anno milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo, epidemicorum more, verminoſam colluviem afflixiſſe plurimos; licet enim et aliis temporibus vermes ſatis frequentes fuerint incolis, illo anno tamen, cujuſvis ſexus, aetatis, temperiei, homines vermibus infeſtabantur, ita quidem, ut aliqui ſucubuerint, fruſtra adhibitis omnibus remediis, quae ſatis valida dari debebant, ut ſurſum aut deorſum expellarentur vermes, quorum plurimi exibant vivi a corpore *. Eques auratus Pringle obſervavit, milites qui febribus intermit-

* Van Swieten com. in aph. 1362.

tentibus,

tentibus, remittentibus, aut continuis, vel dyſenteria laborabant, vermes excreviſſe, et ſaepiſſime teretes *. Sed ſimul monet egregius auctor non eſſe concludendum, vermes fuiſſe febrium vel dyſenteriae cauſam, ſed tantum hos morbos pejores reddidiſſe et demonſtraſſe inteſtinorum inanitionem, a calore, vapore, et putrefactione aeris inductam.

SYMPTOMATA A VERMIBUS.

Nulla alia cauſa tam varios edit effectus, ac vermium in inteſtinis hoſpitium, et hoc loco de illis praecipue agitur. Appetitus aliquando diminuitur, nonnunquam in immodicum modum creſcit, urgente ſimul aliquorum ciborum faſtidio. In Ephem. German. exemplum habemus famis penitus inſatiabilis a lumbricis ortae, adeo ut, aegroto, niſi ſemper ederet, deficeret animus. Hiſce ſuccedunt nauſea et vomitus et nonnunquam e cruore vomitus conſtat, et ubi cruor deeſt, ſtomachi dolor ſupervenit, cum eructationibus foetidis et acidis, ſiti, et, ſecundum Sauvages, cardialgia. Abeſt faciei pulchritudo ſolita, et loco coloris rubicundi, iivido colore eſt, modo malae rubeſcunt, modo pallidae fiunt. Oculi plumbeo colore obteguntur, inferior tumeſcit palpebra, caeruleo quaſi annulo circumjecto, et dilatatur pupilla. Naribus adeſt pruritus et frequens vellicatio, et ſanguinis aliquando ſtillicidium, teſte Baglivio †. Nunquam abeſt inflatio labii ſuperioris, quaſi oedema ‡. Inter ſomnum pavitant, et excitati valde trepidant; ſtrident dentes in ſomno; per diem ſymptomata occurrunt febrilia, nonnunquam cum delirio, ſemper dolore capitis; largior ſalivae fluxus; nonnunquam et aurium tinnitus adeſt. Clariſſimus Friend enumerat tuſſim inter vermium ſymptomata frequentiſſima, ſaepiſſime ſiccam, ſed nonnunquam fere ſuffocantem. Dolores abdominis atroces et ſubiti adſunt, nec non lateris cum ſingultu et reſpiratione difficili. Varii dolores ex loco in locum evagantes, diſcruciant ventrem, qui nunc rodere, nunc pungere videntur, cum tenſione circa umbilicum, et ſenſatione quaſi pondus ſuperimpoſitum eſſet. Alvus nunc admodum ſtricta, nunc laxior, cum dejectionibus cruentis vel mucoſis ſanguine miſtis. Urina tenuis aut cruda. Multa alia ſymptomata pejora oriuntur a vermibus erodentibus et perforantibus inteſtina, ut antea obſervatum eſt. Nec deſunt exempla quae docent, vermes ſatis frequenter cauſam dare variis morbis convulſivis et nervoſis, uti epilepſiae, catalepſiae, tetano, et choreae Sancti Viti. In Barrere §

* Army diſeaſes, ch. 1. p. 10. † Prax. Med. lib. 1.
‡ Vide Diagnoſin. § Obſ. Anat. p. 167.

adoloſcentis

adoleſcentis Indici hiſtoriam habemus qui in tetanum a vermibus incidit. "In puero biennii optimo corporis habitu praedito, graviſſimis et continuis convulſionibus extincto, inventum fuit duodenum inteſtinum perforatum a lumbrico terete qui inde vivus extractus fuit*." "Mulier quadrigenaria, ſtricti habitus, nuces caſtaneas in ſartagine torrebat, illaſque tudicula lignea movebat continuo ne nimis adurerentur, dum haec agit, vera catalepſi corripitur. In vicina dum habitarem, vocatus adfui ilico, et me praeſente ſubito vomit binos vermes teretes vivos, moxque pergit in opere incepto, nullo modo memor ſibi quid mali contigiſſe; pluribus annis poſtea illam vidi ſanam, et nunquam ſimile quid paſſam." Hunc caſum recenſet ill. Van Swieten; et addit haec verba: Vermes autem illi reptatu ſuo ventriculum irritantes, procul dubio catalepſin illam produxerant, quae, et ideo, his excuſſis, ceſſabat ilico. Egomet nuper vidi in Noſocomio regio Edinenſi juvenem duodecim annorum qui a vermibus in catalepſin inciderat. "Ancilla triginta trium annorum ſubitis et validiſſimis abdominis doloribus, praecipue circa umbilicum, obnoxia, convellebatur fortiter, nec ullum verbum proferre poterat, licet mente et ſenſibus valebant. Sequebatur tentanus univerſalis, cum palpitatione cordis; mens conſtabat, dolores ventriculi horrendi manebant, et tertia die periit. Cum peſſima et anomala ſymptomata veneni dati ſuſpicionem facerent, apertum fuerit cadaver, et inteſtino duodeno, atque in cardia, ſive ſiniſtro ventriculi orificio, inventi fuerunt numeroſi vermes teretes magni, quorum quidem quindecim et ſedecim pollices longi erant; cardia autem ſanguinolenta et eroſa inveniebatur †." In actis annuis, ad annum milleſimum ſeptingenteſimum ſexageſimum, hiſtoriam pueri habemus, qui diu patiebatur dolores abdominis atroces, varios motus convulſivos, et fatuitatem e vermibus ortum ducentes, quibus ingenti numero excluſis, brevi convaluit ‡.

Secundum quorundam auctorum obſervationes, quae tamen experientia vix ſatis certo comprobari videntur, ſymptomata ſingulo generi vermium propria ſunt; ſic illis qui lumbricro laborant alvus plerumque aſtricta eſt, urina turbida, exanthemata circa os erumpunt et febris continua adeſt.

Qui aſcaridibus laborant, vexantur teneſmo, ani pruritu, ſyncope, et torpore. Ad taeniam pejora ſymptomata referuntur, languor, dolores poſt cibum ingeſtum, ſyncope, vocis affectiones, dolores vehementes ad regionem hepatis,

* Bonet. Sepul Anat. l. 1. ſect. 13. p. 331.
† Heiſter Med. Chir. Anatom. No. 372. p. 614.
‡ Annual Reg. 1760.

lumborum

lumborum, et abdominis dejectiones quaſi parvis ſeminibus repletae. Nonnunquam nauſea et ſaepiſſime fames acerrima, pulſus modo durus, modo inaequalis. In mulieribus magis quam in hominibus graſſatur; et nonnunquam adeo pungens dolor eſt, ut inducat inflammationem, delirium, et menſium obſtructionem.

SIGNA DIAGNOSTICA VERMIUM.

Priuſquam de curatione vermium tractemus, neceſſe eſt, ut obſervemus illa ſigna, quae docent vermes in inteſtinis adeſſe, ne remedia adhibeantur anthelmintica, dum ſymptomata ab aliis cauſis originem ducunt. Si vermes ſurſum vel deorſum prodierunt, certo credere poſſumus plures adhuc in corpore latere, ſi eadem ſymptomata maneant vel augeantur, et tunc facilis eſt diagnoſis. Ubi vero nulli unquam vermes excreti fuerunt, et tamen vermium adeſt ſuſpicio, tunc ad omnia ſollicite attendendum eſt, ut accurata diagnoſis haberi poſſit. Nonnulli pro ſigno diagnoſtico habent pruritum et frequentem vellicationem narium, alii pervigilia et in ſomno terrores *; alii ſurſum narium inflationem. Celeberrimus Alex. Monro † addidit adhuc aliud ſignum, "Diu obſervavi, inquit, in illis hominibus pupillam eſſe dilatatam, qui vermibus in ventriculo et inteſtinis laborant; et, ſi non pro ſigno pathognomonico, ſaltem pro optima diagnoſi haberi poteſt."

Phaenomenon hoc explicatur ex unione paris nervorum octavi cum nervo intercoſtali; conſtat enim, nervo deſciſſo intercoſtali in cane vivo, oculos obſcurari, ſplendorem amittere, lachrymari, cavos fieri, globum oculi minui, pupillam coarctari; unde concluditur, nervum intercoſtalem dilatationi pupillae ſervire, et ab irritatione nervorum ventriculi ac inteſtinorum actionem ejus augeri. Veruntamen haec omnia vermium aliquando ſymptomata occurrunt, licet nulli adſint. Memorabilem talem caſum recenſet celeberrimus Edinburgenſis Profeſſor St Clair ‡. Puer quatuor annorum ſtomachi dolores patiebatur, narium aderat pruritus, pervigilia, terrores in ſomnis, et hinc ſubito cum ſubſultu evigilabat; poſtea nares perfricabat perpetuo, ſive vigilaret ſive dormiret; ſequebantur convulſiones, quibus ſexto die periit, incaſſum tentatis pluribus, ſecundum artis praecepta, remediis. Inteſtinis in tota ſua longitudine caute diſſectis, uti et ventriculo aperto,

* Baglivi Prax. Med. lib. 1. p. 60.
† Nerv. Anat. contr. p. 19. in notis.
‡ Med. Eſſ. et Obſ. v. 2. art. 18. p. 294.

nulli

nulli apparuerunt vermes; ſed inveniebantur unciae circiter binae ſubſtantiae viſcidae, gelatinae inſtar, circa jejuni inteſtini principium. III. Morgagnus † caſum pueri menſium ſeptemdecim recenſet, qui ſubito correptus erat diarrhoea, tuſſi, pruritu, cum frequenti narium vellicatione, et paucis diebus periit. Apertum fuit cadaver; ſed in inteſtinis nulli vermes inventi fuerunt.

Quantum de re medica ille meretur, qui vermium inteſtinorum certam diagnoſin oſtenderit; haec laus certe debetur eruditiſſimo praeceptori noſtro Franciſco Home; ille, tam peritus tam ſagax morbis inveſtigandis, obſervavit in illis qui vermibus inteſtinorum laborant, inflationem quaſi oedema labii ſuperioris ſemper adeſſe. Dicit, hoc ſignum per experientiam annorum quindecim confirmatum eſſe; et quamvis occurrit in ſcrofula, obſervavit tamen, tunc morbo vermes ſemper adſtare. Egomet hujuſce ſigni veritatem ſaepiſſime obſervavi.

RATIO SYMPTOMATUM.

Omnia fere vermium ſymptomata explicari poſſunt ex conſumptione chyli, ex quadam materia a vermibus ſuppeditata, et ab irritatione inteſtinorum.

A conſumptione chyli explicare vellem, eſuriem, pallorem, debilitatem, alvum aſtrictam, inde tumorem abdominis, ructus, et borborygmos.

A materia ex vermibus ſuppeditata explicare licet alvi fluxum, dejectionum aſpectus peculiares, et halitum foetidum.

Et ab irritatione, nauſeam, vomitum, ſyncopen, pruritum narium, oedema labii ſuperioris, teneſmum, et varias convulſivas et nervoſas affectiones, uti epilepſiam, catalepſin, tetanum, et choream Sancti Viti.

METHODUS MEDENDI.

A natura et ſitu vermium, indicationes curatoriae ſequentes commode exoriri videntur.

I. Ita augere motum inteſtinorum periſtalticum, ut vermes facile e corpore trudantur, etſi maneat illorum vigor ſolitus.

II. Adhibere talia medicamenta, a quorum injuria vel pereant vel torpeant vermes, ita ut motu inteſtinorum periſtaltico, vel medicamento cathartico exhibito, e corpore expellantur.

Sed ſaepiſſime accidit, ut quamvis motum augeamus periſtalticum, nihilominus inteſtinis adeo haereant vermes, ut ne-

† Epiſt. 31. art. 5.

ceſſe

neceſſe ſit indicationes binas conjungere, et ex una vel altera harum omnium remediorum operatio explicanda eſt.

Qua ratione varii morbi illi, a vermibus originem ducentes, levari poſſint, hujus loci non eſt ſubjicere; hoc enim illis morbis proprium eſt. Diverſo generi vermium, diverſa medicamenta noxia ſunt, de his igitur ordine dicendum eſt. Ad lumbricum plurima medicamenta vegetabile regnum praebet, olim omnia fere vegetabilia amara, uti abſinthium, ſantonicum, tanacetum, et alia hujuſmodi, in uſu erant; nec ſolum haec per os adhibita fuerunt, ſed externe ad inunguendum abdomen; ſed ab experimentis nondum ſatis manifeſto apparet, vegetabilia amara ullos edere in vermes effectus. Nuper a quodam mihi amico experimenta multa infuſionibus vegetabilium amarorum facta fuerunt, a quibus ſatis apparet, illas nequaquam ad vermes enecandos aptari. Invenit Nebelius * in cadavere militis, tam in ductu cyſtico, quam hepatico, lumbricum vivum, et ſimul in inteſtinis copioſos Dicit Le Clerc†, non tantum in hepate bilis officina inventi fuerunt vermes, ſed in ipſa cyſtide fellea ovis, bilem amariſſimam continente, placide natabant vermes. Nonnulla etiam vegetabilia nocere vermibus odore gravi dicuntur, uti allium, ruta, valeriana ſylveſtris, et aſſafoetida. Apud Hoffmannum formulam vermifugam habemus de myrrha, aſſafoetida, et croco; ſed haec a ſcriptoribus hodiernis nequaquam laudantur. Vegetabilia jam maxime uſitata ſunt dolichos, Geoffraea inermis, et Spigelia Marylandica.

Primo nomen Dolichos pruriens poſuit Linnaeus, (Anglice Coweech), apud inſulas Occidentalis Indiae, villi vel ſpiculae hujus plantae ſaepius adhibentur, craſſiori ſyrupo commiſti, et vermibus quibus adeo incolae obnoxii ſunt, quam maxime inimici habentur. Hac inſula raro uſitati ſunt, et fateor me nunquam adhibitos vidiſſe, ſed ab amico ingenioſo, et teſte fide digno, caſus ſequentes per literas accepi.

Puer quatuor annorum diu patiebatur dolores abdominis atroces, quod tenſum erat, et alia vermium inteſtinorum ſymptomata. Omnibus fere anthelminticis incaſſum tentatis, vocatus ſum, talem formulam dedi. R. Dolichi gr. tria, pulveris tragacanthi gr. decem, conſervae cynoſbati q. ſ. ut fiat bolus, omni nocte et mane ſumendus; nullum remedium catharticum exhibui, neque ullos tales effectus edidit dolichos; diebus quatuor vel quinque elapſis, lumbrici ad menſuram octavae partis congii per anum ejecti fuerunt, et cito convaluit.

In puero biennii maxime debili, et multis vermium ſymptomatibus

* Nov. act. Phyſ. Med. t. I. p. 392.

† Hiſt. Lumbr. lat. p. 94.

matibus laborante, juſſi ut ſumeret dolichi granum et ſemiſſem cum conſerva cynoſbati alterno quoque mane, et diebus intermediis pulveris rhei grana decem ; plurimos vermes teretes ejecit, et brevi convaluit.

Juvenis annorum duodecim variis motibus totius corporis convulſivis laborabat ; plurimis remediis incaſſum tentatis, ſecundum artis praecepta, tandem liquor aethereus vitriolicus praeſcriptus eſt ; durante ejus uſu, lumbricus vivus excidit, ſed motus convulſivi manſerunt ; vermis ejectus ſuſpicionem fecit, plures in inteſtinis adeſſe ; vocatus juſſi dolichi grana tria cum conſerva cynoſbati, alterno quoque mane ſumenda ; poſt tertiam vicem, ſumpſit pulveris rhei ſcrupulum unum ; multi lumbrici mortui ejecti fuerunt, et cito convaluit.

Teſtatur amicus ſe ſaepiſſime dolichon dediſſe, et ſimili ſemper cum ſucceſſu.

Cortex Geoffreae inermis (Anglice cabbage-tree bark) apud Inſulas Occidentalis Indiae, ſaepe ad vermes necandos adhibetur in infuſione ; ſed nobis deſunt exempla ad uſum confirmandum.

Spigelia Marylandica (Indian Pink) ab Americanis ſaepiſſime uſurpatur ; ſurſum et deorſum fortiter evacuat, vermeſque certo expellit. Cum autem morbi verminoſi ibi frequentiſſimi ſunt, ex hac planta ſyrupum parant, ut omni anni tempore ſemper praeſto ſit efficax medela ; ſic ill. Van Swieten audivit a fide digno teſte.

Ab experimentis illuſtr. Franciſci Home, in regio noſocomio Edinenſi factis, ſatis adparet, Spigeliam utiliſſimum eſſe remedium contra vermes. Invenit in illis, a quibus vermes haud excreti fuerunt, ſymptomata mitiora evaſiſſe ; invenit etiam neceſſarium eſſe medicamento per dies decem vel octodecim uti, et nunquam inde oriri vertiginem, caliginem, convulſiones, vel alia ſymptomata periculoſa ab auctoribus enumerata ; exhibuit puero annorum octo grana decem bis in die, et adulto ſemidrachmam quater in die.

Nonnulli affirmaverunt ad vermis vitam neceſſe eſſe, ut quaedam materies perſpirabilis e corpore prodeat, et hanc repellendo vermis necari dicitur. Hinc oleum exhibetur ; haec opinio in incerto eſt ; et, ſi vera ſit, a longitudine inteſtinorum, vix poſſibile erit, ut immerſio vermium oleo perfici poſſit ; ab experimentis ill. Torti ſatis evidenter apparet, vermes teretes in oleo communi per plures horas commode vixiſſe. Sed Hoffmannus dicit *, " Ego ſaepius cum mirabili effectu ad vermes enecandos, et ſymptomata lenienda, oleum armygdalorum dulcium ad aliquot cochlearia, imo unciam unam vel

* Med. rat. ſyſt. cap. 10. p. 492.

duas,

duas, circa lecti introitum, vel ſummo mane, pueris praeſcripſi." Omnia fere corpora ſalina, ſive acida, ſive alkalina, ſive neutra adhibentur; haec tamen raro valent, quia concentrato ſtatu nequaquam adhiberi poſſunt, et in ſolutione ſaturata, adeo in primis viis diffunduntur, ut vix ad vermes perveniant. Medicis bene notum eſt, vaporem ſulphuris vermibus inimicum eſſe; hinc ſaepe adhibetur ſulphur in vaporem vel hepar ſulphuris mutatum; hujuſmodi remedium praebent aquae minerales, quales extant apud locos vulgo dictos Harrowgate et Moffat. Inter anthelmintica remedia, nomen celebre obtinuiſſe videtur plantula marina (forte cum multis aliis ad regnum animale reducenda) quae ſub corallinae nomine in officinis proſtat. Geſnerus ad vermes necandos corallinam tritam, ſed non cribratam, praeſcripſit; hoc medicamentum per vim mechanicam agere dicitur, vermium tenerrimum corpus vulnerando et lacerando. Remediis adhuc notatis praeſtant varia corpora metallica. Zincum et ferrum, ſub forma vitrioli albi et viridis, ſaepe nec improſpere uſurpata ſunt. Boerhaavius laudat vitriolum viride, ad drachmam in aquae libra una ſolutum, et quotidie per dies plures aſſumendum. Apud hodiernos, ſtannum praecipue in honore eſt, et ſaepius ſub metalli forma adhibetur. Celeb. Mead * teſtatur, ſe inveniſſe ſtanni raſi et coralli rubi, ſingulorum drachmam dimidiam, remedium efficaciſſimum anthelminticum. Alſton † dabat ſtannum raſum, ad unciam unam pro doſi, ſyrupo commiſtum, et ad tertiam vicem exhibuit. Olim e cupro, auro, et argento praeparata uſitata erant: ſed ab acrimonia vix tuto adhibentur. Inter corpora metallica, mercurii praeparationes remedia potentiſſima enumerantur. Nonnulli crediderunt, aquam ſi ebulliat cum argento vivo, vel tantum digeratur, acquirere vim anthelminticam inſignem, unde talem aquam, ſi potetur, vermes certo necaturam aſſerut; in quia opinione ſunt Helmontius et Hoffmannus. Hoffmannus dicit, "Quin etiam ſola aqua communis, propter ſubtiliſſimum illud univerſale, in poris ejus reſidens ſal, tandem coctione diutius inſtituta, ex argento vivo partes abradit; unde hoc decoctum ad luis venereae virus, item ad progeniem verminoſum expellendam, in praxi non ignotum eſt." Experimenta multa tentata fuerunt detegere an aliquid a mercurio aquae communicetur, et ab his concluſum fuit, argentum vivum nullo modo aqua pura affici. Sed, ſi aqua ſalinis partibus repleta eſt, haud mirum, ſi tali aquae aliquid a mercurio communicetur; nam novimus mercurium ſolvi non tantum in acidis, ſed

* Monit. et Praecept. Med. ſect. 3. p. 119.
† Med. Eſſ. et Obſ. vol. 5. p. 89.

etiam affici ſalibus alkalinis et neutris; hinc facile explicatu eſt quamobrem medici Gallici paulum ſalis, in quo mercurium decoquunt, addunt. Alii utiliter propinarunt Æthiopem mineralem, ex accurata mercurii vivi et ſulphuris mixtione, nec non argentum vivum bene depuratum, cum ſaccharo cando in mortaria exacte miſtum. Mercurium dulcem rite praeparatum ad aliquot grana, pro ratione aetatis, non ſine laudatiſſimo effectu nonnulli dederunt, tempore decubitus, et mane ſequenti remedium catharticum. Simul cum remediis ſupradictis medicamenta purgantia ſaepius collocantur, et inter anthelmintica locum praecipuum obtinent. Poſtquam remediis enumeratis vermes enecti vel enervati ſunt, facile ope cathartici inteſtinis expelluntur.

Antiquis in uſu erant medicamina purgantia validiſſima, hydragoga dicta, uti helleborus, elaterium, turbethum minerale, ſcammonium, reſina jalappae, coloc nthis. Satis autem patet, omnia haec valida remedia magna cum cautela adhibenda eſſe, et vix unquam locum habere in teneris infantibus; magis valent rheum, ſena, et alia hujuſmodi

Ad expellendos vermes ſaepiſſime vidi optimos effectus a grano uno vel duobus mercurii dulcis, hora ſomni datis, et mane ſequenti miſtura partitis vicibus e partibus aequalibus tincturae jalappae et ſyrupi ſacchari commiſtis.

A ſitu aſcaridum in inteſtinis, raro medicamenta ore deglutiuntur; ſaepiſſime inteſtinis craſſis vermes nidulantur; igiturque clyſmata magis proſunt. Formulae variae clyſmatum ex diverſis anthelminticis paratae habentur, uti decocta ſeminum ſantonici, tanaceti, abſinthii, et aliorum vegetabilium amarorum. Nonnulli commendaverunt clyſmata oleoſa; ſed magis tutum et efficax remedium clyſmata aquae calcis habentur. Nec deſunt qui laudant injectiones aquarum ſulphurearum mineralium, uti Harrowgate et Moffat. Ad aſcarides clyſmata ſaepe repetenda ſunt; quia hi vermes non raro infeſtant rectum ingenti numero, et ſaepiſſime plicis inteſtini latent. Vapores herbae nicotianae in rectum injectae, ut optimum et efficax remedium aſcaridibus laudantur *. Hiſtoriam pueri habemus qui, quoties aſcaridum ſymptomata percepit, ſtatim ſalis communis libram dimidiam aqua ſolutam ſumpſit; aſcarides innumeri ejecti fuerunt, et convaluit †. Redus ‡ dicit, ſalem communem efficaciſſimum eſſe remedium ad vermes necandos.

Contra taeniam, praeter anthelmintica adhuc enumerata, remedia nonnulla commendantur ſub titulo arcanorum. Ad

* Lond. Med. Obſ. v. 2. art. 26. p. 307.

† Lond. Med. Tranſ. v. 1. art. 4. p. 54.

‡ De animalc. vivis, p. 172.

hanc

hanc claſſem referenda ſunt medicamenta duo, unum D. Herrenſchwand archiatri Regis Poloniae, alterum Dominae Nouffer.

De remedio D. Herrenſchwand, ill. Van Swieten ſic dicit. "Quatuor pulveres ſunt, quorum primus ſub titulo remedii praeparatorii ſumitur pridie; coena levis conceditur aegro, et dum ſe ad ſomnum componit, dantur bina cochlearia olei amygdalini vel olivarum; ſequenti mane, jejuno ventriculo, primam doſin ſpecifici remedii ſumit aeger, a qua bis levis vomitus ſequi ſolet, totidemque per alvum evacuationes, quae certo ſequuntur, ſed non vomitus ſemper, qui videtur fieri a motu vermis lati; intra bihorii ſpatium, et vomitus et alvi evacuatio ceſſant; dein juſculum propinatur aegro. Hoc facto, ſecunda doſis exhibetur, quae eundem omnino praeſtat effectum ac prior; ſed plerumque vermis latus expellitur, unde non ſemper opus eſt tertiam doſin adhibere. Si vero vermis nondum exiverit, poſt tertiam doſin aſſumptam exit certo citius vel ſerius ſaepe vivus, ſemper integer cum filo ſuo; nec fatigatur aeger ab hoc remedio, plus quam ſi aliud catharticum remedium ſumpſiſſet. Teſtatur auctor, ſe viginti et tribus vicibus illud dediſſe, aequali ſemper ſucceſſu, in ſexu, temperie, aetate, variis, etiam teneris et delicatis." Etſi hoc remedium tempore Van Swieten nondum vulgatum fuit, nunc tamen novimus formulam eſſe ſalis abſinthii et gummi gambogiae leviter tritae, partes aequales, ad grana decem vel quindecim adultae aetati.

Remedium Dominae Nouffer dudum et ſemper cum aequali ſucceſſu ſub titulo ſpecifici contra taeniam in Gallia exhibitum erat; tandem notitiam attraxit, et regia auctoritate pretio ſatis aequo comparatum fuit, et nunc novimus conſtare de radice filicis maris. Virtutes hujuſce plantae ſcriptoribus antiquis bene cognotae fuerunt. Galenus * dicit, ſe radicem filicis maxime utilem habere, ſi quis eam quatuor drachmis in melicroto ebibat. Teſtatur etiam Celeb. Marchand †, conſtare, ab infinito numero experimentorum, radicem filicis eſſe mirum et certum remedium ad expellendos omnis generis vermes de corpore humano. Mulieri taenia laboranti radicem filicis cum ſucceſſu exhibitam vidi.

Poſtquam remediis ſupra dictis vermes e corpore expulſi fuerunt, ad temporis intervalla cathartica lenia adhibenda; et, ſi inteſtina debilitate laborent, medicamenta tonica utilia erunt; nullum praeſtantius remedium eſt, parvis doſibus vini rubri quotidie datis.

* De ſimp. rer. facult. l. 8. No. 39. t. 13. p. 223.
† Acad. des ſcienc. l' an. 1701. mem. p. 285.

DE

DE VENENIS.

AUCTORE G. LOGAN.

ETSI inter omnes conſtat, quae ad ſummam venena vocantur, de iis tamen opiniones vagae et inconditae ſaepe proponuntur. Quae confuſio a quibuſdam medicis ſcriptoribus, magnitudinem potius quam naturam materiae conſiderantibus, exorta eſt. Quod judicium nullo modo ferendum videtur. Sic enim paucae res etiam ad vivendum maxime neceſſariae reperirentur, quin ad hanc claſſem eſſent referendae. Itaque calor ad vitam plantarum et animalium, cunctaſque demum naturae actiones, adeo neceſſarius; ſi certos limites ſuperaret, ſolidis omnibus, et fluidis pariter confuſis, in priſtinum unde orta ſit chaos univerſa natura relaberetur.

Alii recta via pariter aberraverunt, qui quaedam peſſimis dotibus praedita, tamen venena eſſe negant; quae ſcilicet in quibuſdam morbis prudenter adminiſtrata, optimos effectus edunt. Ita mercurius corroſivus ſublimatus, cicuta, et arſenicum, ab his viris, non amplius venena, ſed utiliſſima remedia habentur.

De venenis ea eſt opinionum varietas, ut definitio, quae omnibus placeat, perdifficilis ſit inventu. Haec nobis maxime conſentanea viſa eſt.

Venenum eſt quicquid exigua copia in corpus receptum, corporive admotum, ad vitae actiones aut impediendas, aut delendas, pertinet.

Venena hoc modo dividere nobis viſum eſt:

In localia, et generalia. Generalia iterum in ea quae humores corrumpunt, et ea quae generi nervoſo nocent *.

DE

* Haec tabula omnia fere, quae pro venenis habeantur, complectitur.

I. Venena directa; i. e. quae, in ſyſtema nervoſum agendo, vitam extinguunt.

1. Sedantia, ſeu quae vim nerveam abolendo mortem inferunt.
   A. Quae mobilitatem morbidam creando effectus ſuos edunt;
      a. Canis rabidi venenum.
   B. Quae in partem, cui ſunt admota, ut ſtimulantia, ſed in ſyſtema univerſum, ut ſedantia, agunt:
      a. Animalia, prout vipera, Seneka, Gecco, Aſpis, &c.
      b. Mineralia, ut arſenicum.
   C. Quae, in ſenſorium primario agendo, occidunt; miaſmata, contagium, aer mephiticus, cujus ſpecies nonnullae ſolummodo intelligendae, velut aer a fodinis, cavernis, fermentatione, carbone ardente, aquis quibuſdam mineralibus, vapores e metallis et ſulphure, oriunda. Quaedam e plantis, ſcilicet hyoſcyamus, opium, cicuta aquatica Wepferi, nux vomica, aconitum, ſtramonii ſpecies, ſeu datura ferox Linnaei, ſolanum lethale, aqua ex lauro-ceraſi foliis diſtillata, oleum nicotianae,

DE VENENIS LOCALIBUS.

Venenorum ad hoc caput pertinentium natura, ut ſimpliciſſima omnium, ita ante omnia aggredienda videtur.

Venena localia ſunt, quae partes, quibus admoveantur, corrumpunt; neque corpus aliter quam partem cui imponuntur, irritando afficiunt. Eadem intra corpus aſſumpta, ſubtiliſſima qua pollent acrimonia, ventriculi ſtructuram, quae maxime nervoſa et ſenſibilis eſt, et ob id cum univerſo corpore conſentit, delent; altius ſeſe inſinuant, et exitiali fibrarum nervoſarum irritatione atque eroſione, non modo in ventriculo et inteſtinis, ſed etiam in remotis partibus, convulſiones concitant, omneſque corporis peſſundant actiones. Quin et, inſpecto cadavere, materia venenoſa in ventriculo, ſaepe etiam inſigniter perforato, reperitur.

Quae id maleficii faciunt potiſſimum ad foſſilia referenda ſunt. Verum etiam aliquid de venenis ex animalibus et plantis tractandis exponendum.

Ex animalibus quae ad hanc claſſem pertinent, non numeroſa ſunt, atque adeo in praeſentia de tribus tantum, Cantharidibus, Bufone, et Pulmonia marina, dicendum.

E quibus Cantharidum hiſtoria naturalis, doteſque tam bene nota ſunt, ut de his agere non neceſſe videatur.

De Bufone, quatenus is noxius exiſtimetur, multae variaeque opiniones philoſophorum memoriae traduntur. Ita de poteſtate ejus certis ſpatiis intermiſſis deſtruendi, et omnibus plantis venenum, contactu ſolo, impertiendi, et ejuſmodi alia quae neutiquam memoria digna ſunt. Quem tamen ego haud ulla alia qualitate noxia, ſi illam excipias, quae ex urinae magna acrimonia oritur, et cuti applicata exulcerat, praedi-

nicotianae, oleum ex nucleis ceraſorum nigrorum, amygdalarum amararum, aliiſque hoc genus diſtillatum.

D. Quae per putredinem agunt; velut quaedam ex regno animali, ut ſeps tabicus, haemorrhois; necnon e plantis, lolium temulentum. Ad hoc caput quoque referendi vapores e ſphacelo, in qualibet corporis parte vitae principio neutiquam neceſſaria ortum ducentes.

II. Venena indirecta; i. e. quae, laeſa ſtructura organica, interimunt.

1. Stimulantia, i. e. quae per inflammationem in parte cui ſunt admota excitatam, et per nexum momentumque organi affecti mortem gignunt; ut cantharides, euphorbium, coronae imperialis radix, cocula, helleborus albus, multaque alia naturae acris. Mechanica quaedam, ut fragmenta vitrea, metallica, &c.
2. Corroſiva, i. e. quae in corpus humanum, tum mortuum, tum vivum, agunt, et quae mixti animalis diſſolutione perdunt, prout acida admodum concentrata, ſales quidam metallici, aurum fulminans, cauſticum lunare, butyrum antimonii, vitriolum viride et coeruleum, mercurius corroſivus ſublimatus, nec non alia mercurii praeparata, alkali cauſticum, &c.

Harvey de Venenis.

tum

tum novi. Ac ne hac quidem ſatis validis argumentis confirmatum videtur.

Pulmo marinus, veſicae utroque latere compreſſae formam obtinet, circiter tres digitos latus, et purpurei coloris. Idem animal manibus humanis tractatum, aut alicui corporis parti applicatum, magnam inflammationem accendit. Unde autem venenum hoc efficiendo habile oriatur, mihi, qui idonea cura nunquam animal examinaverim, judicandi facultas non eſt.

Plantae vi irritabili praeditae, licet plurimae ſint, cum tamen plerumque lenes et innocuae ſint, niſi ubi ad aliquas corporis teneras partes applicentur; ideo eas omittendas exiſtimavi. Quorum utique in numero, ſuccus rhus-glabrae Linnaei, oleum in folliculis anacardii inventum, et pauca alia perquam acria ſunt, et partes, quibus imponuntur, exulcerant.

Ut quid de iis venenis foſſilibus dicendum ſit, inquiratur.

Ex iis, acida pura validiſſima exiſtimantur; verum, cum ſontes horum dotes ex merace vi omnino pendeant, copioſam dilutionem earum dotium effectui obviam ire, ſatis ſit dixiſſe.

Qua ratione acidorum cum metallis conjunctio noxia ſit, haud operae pretium eſt inquirere. Quae tamen praeparata non majorem vim, quam acida ipſa, obtinent. Ad propoſitum ſatis eſt, metallica in ſtatu naturali innocua et fere inertia, cum acidis conjuncta, magnam adurendi et rodendi vim acquirere, memoraſſe. De quibus omnibus, cum, ob magnam varietatem, loqui non liceat; igitur de arſenico, paucisque potentiſſimis ſolis, ſermo erit.

Arſenici nativi exiguum aliquando in Germania naſcitur. Conjunctum cum pleriſque foſſilibus invenitur, et praecipue cum cobalto, a quo magna copia paratur. Idem ſapore pungente eſt, et in corpus ingeſtum, calorem, tormina, et ventriculi inteſtinorumque gangraenam, infert; quibus ſymptomatibus, delirium, tremores, convulſiones, et ſingultus ſuccedunt, et univerſorum agmen mors denique claudit.

Venenorum dotes noxiae non omnino a poteſtate inhaerente pendent. Principium enim vitae dotes poſſidet, omnibus rebus, quae ad deſtruendum animal pertinent, aliqua ex parte reſiſtendi. Quo fit, ut ex vi hujus principii, et animalis magnitudine, effecta omnino diverſa ſequantur. Ita in ſenectute, ubi vitae potaſtates jam fere exhauſtae ſunt, digitorum mors ſaepenumero, ex ſolo virium vitalium defectu, incidit. Idque ita ſe habet in lunari cauſtico, aliiſque eſcharoticis extrinſecus applicatis: Quorum par copia validius et vehementius, in infirmis habitibus, quam ſanis, operatur. Eodem etiam principio, arſenicum in pulvere ſtanni agit; acidis ventriculi, inteſtinorumque ſolutum, ad delendas ibi vermes pertinet; quamvis

vis venenum ita exiguum prae viribus corporis humani eſt, ut vix effectus ſenſibiles excitare poſſit.

Arſenici fumus odorem allii ſpargit, et facile cum ſulphure coit, cui immixtum colorem flavum et rubrum induit; et eo minus activum redditur. Quod etiam antimonio et mercurio accidit, quae ſulphure immixto fere inertia fiunt.

Quae res idoneam curandi methodum monſtrat, ſi quando utrumvis horum venenorum inauſpicate in corpus aſſumptum eſt. Poſt materiam noxiam pleno vomitu, atque etiam cathartico ejectam, ſulphur lacte ſolutum ad libitum capiatur: Quo in medicamento, ut lac ad tunicas viſcerum a veneno tuendas pertinet; ita ſulphur cum arſenico coiens, hujus vim venenoſam delet. Hujus generis curationem in juvene, qui incaute duas circiter drachmas arſenici devoraverat, felicem et proſperam vidi.

Praeparatorum cupri et plumbi perniciosae, quae ex conjunctione cum acidis pendent proprietates, epotis alkalinis liquoribus vitantur: Qui liquores cum acido coeuntes, ut metalla in ſtatu minime agili ſeparentur, efficiunt.

Omnium venenorum acrium et cauſticorum dotes ejuſmodi ſunt, quae graviſſima ſymptomata, et intolerabiles dolores inferunt. Eoque adverſus perniciosum eorum opus ſemper neceſſe eſt, emeticis et catharticis prius exhibitis, demulcentium largos hauſtus dare; non tantum ad ventriculi tunicam teneram tegendam, ſed etiam dilatandam, ut ſic omnes nocivae particulae ex villoſis rugis abluantur.

DE VENENIS QUÆ HUMORES CORRUMPUNT.

Plantae et foſſilia, quae in nonnullis exemplis ſanguinem afficere videntur, hoc tantum faciunt, quia in corpus univerſum agant. Quam ob cauſam ea omittemus, et venenis animalibus, quae ſub hoc capite collocari poſſunt, ſolis contenti erimus.

Venena animalia, in naturalia et morboſa diſtinguuntur. Naturalia ſunt, perinde ac in noxiis animalibus, quibus in variis corporis partibus ſine morbo formantur.

Vipera maxime conſpicua hoc veneno eſt, quod in veſiculis manet, donec animalis morſu in vulnus emittatur. Omne animal hoc venenum poſſidens, glandulis ad ſecretionem inſtruitur; quae, quoniam clauſo veneno non adficiuntur, ideo actionem ejus nec chemicam nec mechanicam eſſe probant; licet idem his ipſis animalibus mortem ſanguine mixtum inferret.

His venenis ſanguine mixtis, pungens dolor partis oritur. Qui primum cum inflammatione eſt, dein pars liveſcit, livor-

que per totum corpus ſpargitur; ad haec, nauſea, pulſus debilis, animi deliquium, et mors accedunt; dummodo veneni tantum fuerit, quantum poteſtates corporis vincat.

Haec venena nullam aſſimilandi ſeu fermentandi poteſtatem habent; ſed proprietas noxia omnino ex veneni copia pendet. Ita anguis exigui morſus non aeque periculoſus eſt ac majoris; neque veneno exhauſto, quod poſt duos aut tres morſus accidet, viperae ictus mortem infert. Dubitari non poteſt, quin haec venena eaſdem dotes poſſideant, et, quantitatibus mutatis, effectus tantum mutentur, id quod ſupra dictum eſt. Idem de vipera, quae ejuſdem ſpeciei eſt, certe fit. Et in calorem febremque conjectum infantem, ex aculeo complurium crabronum, in America vidimus.

Veneni his noxiis dotibus praediti in ſanguinem accepti natura aliquam explicationem meretur. Gutta quaevis veneni, ope microſcopii perſpecta, formam cryſtallinam oſtendit. Cujus rei ſpecioſam magis, et illius temporis philoſophiae convenientem, quam veram opinionem illuſtris medicus Mead concepit; ſcilicet, has ſpiculas corpori nocere exiſtimans. Cum vero celebris ille vir omnino ignoraviſſe videatur, omnes humores, dum in ſolidam formam tranſeunt, ſuas particulas cryſtallorum more variis figuris diſponere; ideo nulla argumenta ad hanc rem ſtabiliendam, ex ejus aut quibuſvis obſervationibus microſcopicis trahenda eſſe conſtat. Quapropter, haec opinio, ut ſaniori chemiae repugnans, plane rejicienda eſt. Charus ſuccum flavum gingivis viperae adpoſitum cum guſtaviſſet, ſaporem ſimilem oleo amygdalarum invenit, eundemque in ventriculum aſſumi poſſe, ſine ullo corporis malo, affirmavit. Sed hoc non novum eſt.

Cum per Lybiae aridiſſimas ſolitudines duceret exercitum Cato, ſitientes milites non audebant bibere de fonte, quem turba ſerpentum tenebat; ſed ſapientiſſimus dux, ut audacter biberent, his verbis monuit.

> " Noxia ſerpentum eſt admiſta ſanguine peſtis,
> Morſu virus habent, et fatum dente minantur,
> Pocula morte carent." LUCAN. Pharſ. lib. 9.

Ejuſdem veneni, niſi in ſanguinem accepti, innocentia Redi quoque experimentis aliorumque confirmatur. Quidam Tozzi veneni viperae magnam copiam impune bibendo, omnes philoſophos, maximeque eos, qui praelectiones hypotheticas de ejus devorandi periculo in publicis ſcholis tradebant, admiratione perculſit. Praeterea, totius corporis color flavus, et putredo, quae a morſu ſerpentis inducuntur, ſanguini affecto plane imputanda ſunt: Idem enim venenum in ventriculum

culum largius receptum tegumenta ejus nervoſa, ab opio, aliiſque venenis, tam mire agitata, ne minime quidem afficiet.

Hanc ad rem ſtabiliendam, plura ſimilia afferri poſſent obſervata; verum haec ſufficient.

Quoniam in his venenis adhuc quid ſit noxae ignoratur; igitur nihil medico faciendum reſtat, niſi ut, more empyricorum, oleum vulneri ſtatim infundat: Quae curandi methodus nunc in univerſum maxime idonea efficaxque habetur.

Pſylli, qui ſugendo venena vulneris curabant, non ulla ſcientia propria, ſed audacia uſu ipſo confirmata, profuiſſe Celſo videntur. Qui " neque hercule," inquit, " ſcientiam praecipuam habent hi, qui Pſylli nominantur; ſed audaciam uſu ipſo confirmatam. Nam venenum ſerpentis, ut quaedam etiam venatoria venena, quibus Galli praecipue utuntur, non guſtu, ſed in vulnere nocent. Ergo quiſquis exemplum Pſylli ſecutus, id vulnus exſuxerit, et ipſe tutus erit, et tutum hominem praeſtabit *."

Ex argumentis ſupra dictis, uti conſtat quidem, talem curationem omnino tutam fuiſſe; ita ſimul cavendum, ne in gingivis, palato, aliave oris parte, ulcus aut inflammatio ſit; nam, ſi eſſet, veneno abſorpto, mors induci poſſet. Ante, poſt, interque etiam ſugendum, opus ſolicita oris oleo quovis blando ablutione erit.

Haec ſunt quae de venenis ſanorum animalium dicere habui. Ad animalium morboſorum venena tranſeundum.

Haec in corpore a morbo naſcuntur, et adeo adverſa ſunt, ut poſtquam variis modis vitae actiones impedierint, vel naturae viribus de corpore ejiciantur, vel ſi tam indomabilia ſunt, ut iis viribus parum valentibus, expelli nequeant, tum certe necant.

Etſi haec venena fermentandi, ſeu humores noſtros ita in ſuam naturam transferendi facultate, inter ſe conveniunt, ut quaelibet humorum guttula, aeque alium hominem quantumvis ſanum, ac ipſum venenum inficere valeat; alia tamen ab aliis agendi modo multum differunt.

Variolae, morbilli, aliique morbi ejuſdem naturae, ſine auxilio ſanantur; quia, procedenti tempore, talis in corpore mutatio efficitur, ut hoc non amplius eorundem venenorum ſtimulo ſit obnoxium, ubi de corpore ejecta ſunt. Quin et poſtea in ſanguinem accepta, mali nequicquam inferunt. Quod argumento, ab illuſtri viro et medico Mead allato, confirmatum eſt. Quippe enim infante nata variolis laborante, mater morbi expers. Unde patet, corpus humanum ſemel tantum, non ſaepius, hoc morbo eſſe opportunum.

* Medic. lib. 5. c. 27.

Non tamen omnia morboſa animalium venena hanc miram corporis mutandi facultatem poſſident. Id enim hydrophobiae et luis venereae virus, adeo indomitum, ut, ſi naturae illi morbi relinquerentur, aegrotantem pro certo necarent. Quae cauſa eſt, quod his morbis ſemper obnoxii ſumus; cum enim vis vitae nullam vincendi horum venenorum ſtimulos poteſtatem habeat; ideo toties quoties ſeminium corpori ſubeſt, veneno applicato, morbi protinus naſcuntur.

Praeparata mercuriala, ſtatum corporis in quo morbus ſubeſt deſtruendi, eoque hos morbos ſanandi, facultate valent. Ita celeberrimus Monro, in praelectionibus, nunquam luis venereae caſum, qui non proprio hujus remedii uſu ſublevatus ſit, vidiſſe ſe teſtatur.

Eadem mercurii virtus, in hydrophobia a Roſeo * Jacobo †, et Claude du Choiſel, laudibus extollitur ‡.

Quae mercurii haud addubitanda virtus, ad noſtram opinionem confirmandam pertinet; et clare ſanguinem his venenis praecipue opportunum eſſe oſtendit. Nam, ſi affectiones nervoſas venena efficerent, hujus remedii uſu peſſima ſymptomata comitarentur, utpote ſemper ſyſtema nervoſum debilitare periclitetur.

Ab his porro veneni humorum affectiones naſci, celeberrimus medicus Home, liquido demonſtravit. "Morbilli," inquit, "per inſitionem ope ſanguinis infecti communicantur, uti a me uſu confirmatum ||." Hoc morbillis non proprium eſt; ſiquidem variolas per inoculationem cum ſanguine communicari poſſe a me inventum.

Ex omnibus his argumentis idem in peſte, aliiſque morbis contagioſis, fortaſſe verum eſſe, colligendum eſt.

Quoniam de horum morborum curatione loqui propoſiti noſtri parum referat; ad poſtremam partem inſtitutae orationis deinceps tranſeundum.

DE VENENIS QUÆ GENERI NERVOSO NOCENT.

Non omnia, quibus varii auctores nervos affici putaverunt comprehendere, quod arduum foret, ſed quaedam tantum, eoque praecipua et maximi momenti, attingere decrevi.

Id vitale aut nervoſum principium mihi videtur, quo actiones animales diriguntur, et quod putrefactioni reſiſtendo, ad vitam conſervandam pertinet.

Hujus naturae venena in duas claſſes dividuntur, ſtimulan-

* Journal de Medicine, tom. 5. † Treatiſe on Canine Madneſs.
‡ Nouvelle methode pour la traitement de la Rage.
|| Principia, p. 202.

tia

tia et ſedantia: Quorum illa in corpus univerſum agendo, ſecundario modo nervos afficere videntur. Omnes corporis motus vi vitalis principii excitantur, ad expellendum quicquid aut dolorem, vel ingratum ſenſum, creet. Neque hae actiones, ut nonnulli opinati ſunt, omnino mechanice, ſed a certis naturae legibus a Deo inſtitutis, ad ſuſtentandam vitam naſcuntur.

Quaedam ſtimulantia varias corporis functiones edunt, quae, propter aequalitates ſuas et conſtantias, omnino non percipiuntur, niſi ubi ad altiorem gradum aſcendunt, et certos ac praeſcriptos fines tranſilierunt; quod ſanguini in morbis eruptivis venit, quando nonnihil veneni ſtimulantis adeſt.

Ut ſtimulantia venena mortem, poteſtate agili validaque, qua vitae principium extinguitur, inferunt; ſic, e contrario, ſedantia poteſtate opprimendi ſunt perniciofa. Nam, ut omnes animalium actiones hoc principio reguntur et gubernantur, ita quicquid ad genus nervoſum, corporis injuriarum inſenſibile reddendum, pertinet, id omne merito venenum ſedans dicitur.

Haec venena alios effectus, in aliis corporis conſtitutionibus, edunt. E quibus nonnulla, qualis vapor Grotto del Cani eſt, et alii etiam halitus foſſiles, corporibus animalibus communiter mortem afferunt.

Ejuſdem naturae, vapores ex putridis et fermentatis rebus nati, fere omnes morbos epidemicos concitant. Quod multum ex generis nervoſi ſtatu pendet. Nam in paludoſis regionibus vulgus his morbis, prae caeteris, obnoxium eſt; dum divites, et qui laute vivunt, peſtiferae contagionis immunes ſunt.

Sedantia ſapienter ac caute in certis morbis adminiſtrata, licet optima auxilia habita ſint; ab imperitioribus tamen tractata quotidie peſſimos effectus trahunt. Opium non tantum docti, ſed etiam unaquaeque anus et emperici, in omnibus morbis audacter tractant. Hi nihil prudentiae, nihil phyſiologiae habentes, non ultra evidentiſſima ſymptomata perſpicere aut diſtinguere poſſunt. Quo ſaepe fit, ut in hoc veneno adhibendo perſeverent, ad aegrotantis perniciem. Non enim tollitur morbus corpore, pro tempore tantum gravioribus mali ſignis ſopitis, ſed corpore in integrum reſtituto, ut variis ſuis muneribus ſecundum naturae leges fungatur.

DE

DE AMAUROSI*.

SI oculi ſine lippitudine, ſine ſuffuſione, viſum perdiderunt, hoc ſingulare caecitatis genus eſt, quod † *amauroſis* aut *gutta ſerena* dicitur. Pupilla non ſolum dilatata apparet, ſed etiam immobilis eſt; ſique ipſum oculum intueris, videtur ille tibi intus longe obſcurior eſſe, quam ſanus. Interdum vero uterque oculus ſimul occaecatur. Iſtaque caecitas quibuſdam ſenſim ac pedetentim, aliis vero repente conſuevit accidere, ſic quidem, ut nunc vel conſtanter homo caecus fiat, vel eidem ſaltem per intervalla, aliquot horarum vel etiam dierum, videndi poteſtas eripiatur. Unde amauroſin in continuam ac intermittentem merito dividimus.

Oculi autem lumen ſuum ſic amittunt, ſi nervus opticus, et tunica retina reſolvuntur. Iſtiuſmodi vero reſolutionem diverſae cauſae inducunt, velut commotio cerebri, vulnus capitis et ſuperciliorum, tumores in cerebro et in oſſibus tum calvariae, tum orbitae, nervum opticum prementes, dolores capitis longi, vulnus ictuſve oculorum, aut nervi optici emarceſcentia, ſanguis in caput et oculum regurgitans in plethora, graviditate, obſtructione menſium et aliorum profluviorum, ac ebrietate; porro metaſtaſis febrilis, apoplexia, paralyſis, terror, morbi ſpaſmodici, convulſivi, catarrhi, cacochymia, lues venerea, arthritis, aliuſve morbus male et reprimentibus curatus, magna ſanguinis profuſio, perinde ac ſeminis, vigiliae nimiae, belladonnae baccae, radix, folia, ſtramoniumque extus oculis applicatum.

Praeterea reſolutio oculorum naſcitur a diuturno ſolis aliorumque corporum ſplendentium aſpectu; aut ſi in oculos hominis, qui in tenebris diu fuit detentus, repente lux ſplendens et coruſca, omnemque viſum praeſtringens, admittitur: deinde etiam in his occurrit, qui in latrinis, quas expurgant, per plures horas commorantur.

Interdum denique infantes naſcuntur caeci; id quod vero procedente aetate demum cognoſcitur. Ipſorum quidem pupilla immobilis eſt, at praeter modum haud dilatata.

Ad haec vero notandum eſt, quod amauroſis conſtans ſit ſymptoma apoplexiae, comatis, atque ſyncopes; et cum hiſce

* Praelect. Acad. Vogel.

† Viſus imminutus vel prorſus abolitus, ſine vitio oculi evidente; plerumque cum pupilla dilatata et immobili. Cull. Gen. Morb.

affectibus

affectibus incipiat, iterumque finiatur, praeterquam quod interdum poſt attonitum morbum relinquitur.

Quum in amauroſi oculus reſolutus a ſano haud differt; ſequitur, ut diverſa caecitatis genera, veluti haec, quae a lente cryſtallina tumida, ab humore vitreo tumido, corrupto et obſcuro, itemque a myoſi, et interna membranarum oculi inflammatione oriuntur, haud commode abs nonnullis auctoribus ad amauroſin referantur; quum in his omnibus vitiis oculus a ſuo habitu naturali enormiter recedat, nec nervi optici, nec illius tunicae, a qua videndi facultas proficiſcitur, reſolutio caecitatem hic adferat. Tametſi vero facile concipitur, quod ab humore vitreo et cryſtallina lente, ſi intumeſcant, retina prematur, et quaedam ejus reſolutio inde fieri poſſit; longe melius tamen haec vitia Glaucomatis nomine adpellantur, praeſertim, cum nec ſola reſolutio retinae, ſed obſcuritas potius horumdem humorum caecitatem hic efficiat.

Non omnis amauroſis arte elidi poteſt. Certe eam ſuperat, quae a compreſſione atque laeſione nervorum opticorum, a graviore oculorum ictu et vulnere, a colluvie ſeri in cerebro oritur; et quae diu jam adflixit, aut in ſenio accidit. Vix unquam quoque congenita amauroſis, et quae a cacochymia eſt, ac ſenſim pedetentimque ſe profert, itemque haec, quae in febribus acutis naſcitur, et poſt comitialem morbum et poſt cephalaeam relinquitur, ſanationem recipit. Caecitas a narcoticis, et in variis ſpaſticis morbis, fugax eſt.

Quod ſi amauroſis autem a reſtagnante in caput ſanguine eſt, et a retento ipſius profluvio; ſola ſaepe ſanguinis miſſio in pede priſtinam aciem viſus reſtituit: deinde alia congrua remedia, quae ſanguini viam ad exitum aperiant.

Eadem ſanguinis miſſio maxime in amauroſi neceſſaria eſt, quae febres acutas et apoplexiam ſanguineam ſequitur, ſiquidem ipſa quoque natura eam larga ſanguinis profuſione interdum ſolvit. Deinceps vero vires electricae experiendae.

Amauroſis ex venereo morbo potiſſimum concitato per mercurium ſalivae profluvio ſanatur.

At enim, ſi caecitas iſta ex humore excrementitio, extrinſecus admotis reprimentibus prohibito, orta; non ſolum proficere poſſunt curationes, quibus humida purgantur, et ſudor etiam evocatur; ſed experiri etiam ea licet, quibus malae materiae exitus datur: adeoque utiliter cantharides cervici et tergo admoventur, ſetaceumque etiam in nucha fieri poteſt. Verum haec ulcera diutius ſervanda ſunt.

Si amauroſis orta fuit poſt magnam ſanguinis profuſionem,

vel

vel immodicum concubitum, optima ejus praeſidia a victus ratione petuntur. Profunt jura carnium, gelatinae, lac, et potiones, quae ex nucleis cacao parantur. Prodeſt etiam vinum meracius intus; extus vero ſacculi plantarum nervinarum ex vino calido expreſſi, et frequenter oculis admoti; itemque capitis fricationes, et aquarum ſtillicidia ad caput ex alto derivata. Poſt venerem a ludibriis venereis longe diuque praeterea eſt abſtinendum.

Qui, alias ſani, ex cacochymia lumen amiſerunt, aliquando iſtud poſt ulcera artificialia, purgantia, emetica, diuretica, mercurialia, martialia, ſtillicidium aquarum, et electricum ignem, tum ad foramen ſupra orbitale, tum ad inferiorem temporum partem, angulo recti propinquam, excitatum, recipiunt; cum eo, ut nec errhina, nec collyria ſpirituoſa ac vinoſa negligantur, ſed aſſidue ac frequentur admoveantur. Quae cuncta remedia, inter quae tamen hydrargyroſis omnibus palmam praefert, etiam aliquando in amauroſi ex longo capitis dolore proficiunt.

Nonnulli ex his, qui ſine manifeſta cauſa ſubito occaecati ſunt, quum aliquamdiu nihil vidiſſent, vel ſponte natura, vel repentina profuſione alvi lumen receperunt.

Amauroſis intermittens cortice Peruviano imprimis opus habet.

Caecitas in latrinis acquiſita optime tollitur receſſu et vacatione ab hoc labore per unum vel alterum diem, ac frequenti oculorum lotione et occluſione per viginti quatuor horas. Adverſus eandem praemunire ſe operarii poſſunt perſpicillis concavis, qualia luſcis et ſtrabonibus adhibentur, accurate oculis applicatis.

In amauroſi congenita aliquando aquae opththalmicae ſpirituoſae opitulantur.

Adverſus aumauroſin ex vulnere ſupercilii, ipſius fricatio ea parte, ubi ex orbita nervus, qui ramus nervi ophthalmici eſt, educitur, prodeſſe obſervata eſt.

DE

DE AUDITU DIFFICILI, ET SURDITATE.

IN auditu gravi debiles ſoni prorſus non, magni vero obſcure, percipiuntur: et quiſquis hoc vitio laborat, ille ſurdaſter dicitur. Ab eodem ſurdus gradu tantum differt.

Agnoſcit utrumque malum pro principali cauſa humorum vel rubrorum vel ſeroſorum decubitum ad aures; hinc plethora, vehemens acris ad aures impulſio, refrigeratio ſubita capitis ſudore madidi, et ſub ſalivatione mercuriali, inſolatio, catarrhus narium cohibitus, commotio cerebri, paralyſis, terror, ſpaſmi abdominis, copioſi flatus, adſtricta alvus, profluvia naturalia retenta, ulcera antiqua conſolidata, achores et aliae efflorescentiae repreſſae, aer frigidus impetuoſe ad aurem admiſſus, inflammatio auris internae et partium vicinarum, febres continuae, et affectus apoplectici ac ſoporoſi id malum efficiunt.

Praeterea hoc ipſum ab obeſitate, a nimia auris ſiccitate, quae in ſenio potiſſimum contingit, itemque a cerumine multo indurato, a cruſta, qualis ſupra ulcera innaſcitur, meatum auditorium obſtruente, a glandulis hujus meatus tumefactis, a parotidibus eundem comprimentibus, a corpore in aures illapſo, ab Euſtachii tuba obſtructa, nec non a vitio nervi acuſtici, a membrana tympani rupta, a mala auris internae conformatione et exulceratione, carie, exoſtoſi partium ejuſdem, itemque ab auriculae defectu, producitur.

Tinnitus ſaepe cum his vitiis conjunctus eſt; haecque modo in alterutra aure, modo in utraque exiſtunt, atque nunc repente, nunc pedetentim oriuntur.

Quidam ſurdi et ſurdaſtri etiam naſcuntur. Et illos quidem poſthaec quoque mutos fieri, haud difficulter intelligitur.

Notabile eſt, difficultatem auditus pro diverſitate cauſarum diverſa ratione ac tempore exacerbari. Qui a congeſtione ſanguinis ad caput huic malo obnoxii ſunt, ipſius augmentum tempore aequinoxiali experiuntur. Qui ex decubitu humoris ſeroſi et nervorum laxitate difficulter audiunt, mali ſui exacerbationem coelo exiſtente nebuloſo atque pluvioſo percipiunt: quae tempeſtas viciſſim iis malum levat, qui ex nimia aurium ſiccitate in *δυσηκόιαν* inciderunt. Qui denique ex vi-

tio primarum viarum ſurdaſtri ſunt, mali ſui inſigne augmentum capiunt a ſumto cibo coctu difficiliori ac flatulentlo.

Difficilem admodum prognoſin non minus, quam curationem omnes auditus laeſiones habent; nativa vero et ſenilis δυσηκόια, et congenita ſurditas, et quae ab interna partium deſtructione orta, omnem plane medelam excludunt. Rarum eſt, ſurdum a nativitate ſpontaneo ſeri ex aure effluxu auditum recuperare.

Faciliorem curationem expectare licet, ſi gravitas auditus a cerumine tantum indurato, a ſiccitate auris febrili, ab Euſtachii tuba obdurata, a ventriculi et hypochondriorum vitio, et humorum decubitu ad aures proficiſcitur.

Non levem contra difficultatem ea habet ſurditas, quae ab improvido regimine ſub mercuriali cura ortum ducit.

In plethoricis et infirmis corporibus, ſi gravitas auditus dolorem capitis et vertiginem excipit, non levis metus apoplexiae oritur.

Auditus gravis cephalalgiae ſuperveniens ſaepe guttis aqueis ſolvitur, capite inclinato per os et nares deſtillantibus.

Obauditio catarrhalis ſaepe aſthmate, oedemate, otalgia, abſceſſu auris, exanthemate chronico, et vario ulcere tollitur.

Periodica ex menſtruorum vitio ſemper fere ceſſat ſuccedente fluxu regulari.

A cerebri vitio nata facilius, quam quae ab auris vitio, ſanatur.

Quae per intervalla creſcit et decreſcit ſurditas, nunquam ita immorigera eſt, quam quae aliter ſe habet.

Quae in acutis contingit et alvum retinet, tum haemorrhagia narium, tum alvi fluxu ſolvitur: alias delirium et convulſiones portendit. Surditas autem poſt delirium admodum ſalutaris eſt, et ſub urina cocta plerumque ceſſat. Quae vero dejectiones nigras et haemorrhagiam excipit, ea ſignum fere letale exhibet.

Abſceſſus ad aures ex ſurditate plerumque ſalutares ſunt, utique in ſoporoſis.

Obauditio ex decubitu humorum ſaepe fragore quodam inſtar bombardae exploſae in aure percepto diſcutitur: quem eminus quoque interdum percipere licet. Antequam vero id fiat, vehementes dolores ſpaſtici caput et aurem plerumque vexare ſolent.

In curatione maxime ad ſpeciales cauſas reſpiciendum eſt. In illa ergo auditus gravitate, quae a nimia cruoris copia, ejuſque redundantia in caput et aures naſcitur, ſanguinis miſſio prae

prae caeteris prodeſt ; utique, ſi ſuppreſſum ſanguinis profluvium praeceſſerit, aut per aetatis rationem ceſſaverit. Ad haec non alienum eſt, intus laxantibus per intervalla uti, extus vero ſacculis diſcutientibus ſiccis, et pediluviis.

Quae catarrhalibus defluxionibus debetur, ea purgantia, diaphoretica, diuretica, veſicatoria pone aures, et cucurbitulas ad dorſum requirit. In aurem vero ſpiritus ſalis ammoniaci ſuccinatus aut cum calce viva paratus, itemque oleum diſtillatum origani vel majoranae, ad aliquot guttas bombyci inſtillata, utiliter conjiciuntur. Si per haec malum non ceſſat, fonticulus debet in proceſſu maſtoideo lapide infernali excitari.

Si achores, aliaeque efflorefcentiae repreſſae auditum gravem pepererunt, oportet humores ad cutem revocare. Sin hoc fieri nequeat, per nova emunctoria educendi ſunt purgantibus, diureticis, fonticulis, veſicatoriis.

Ubi vitium in primis viis haeret, praeter purgantia ex uſu ſunt elixiria viſceralia, ſtomachica, carminativa, aquae minerales, et exercitationes. Si alvus non reſpondet, clementioribus ducenda eſt.

Contra obauditionem ex pinguedine aucta pugnare inedia oportet.

In nimia membranarum ſiccitate juvat potus tenuis copioſus, vapor item decocti abſinthii ex lacte, aut ſalviae rutaeque ex vino, nec non oleum amygdalarum dulcium ſaepe auri inſtillatum, vel panis recens ex clibano extractus et in majoribus fruſtis eidem applicatus, adſperſo etiam balſamo vitae Hoffmanniano, vel alio.

A mercuriali cura ſi auditus periit, purgantibus, ſternutatoriis, veſicatoriis, et apozematibus diaphoreticis ex temperantibus lignis et radice enulae, malum ſublevandum, ſimulque balſamum vitae quoddam in goſſypio auri inſtillandum, ſique nihil haec omnia proficiunt, ſalivatio de integro inſtituenda eſt.

Ex cerumine indurato ſi malum ortum, ſatis eſt, oleum amygdalarum amararum aut cremorem lactis in aures infundere, eaſdemque dein ſpecillo repurgare. Si cruſta eſt, infundendum eſt aut oleum calidum, aut unguentum aegyptiacum, vel porri ſuccus, aut cum mulſo nitri paulum: atque, ubi cruſta ex auricula procidit, eluenda eſt aqua tepida ; quo facilius ea per ſe diducta ſpecillo protrahat.

Si tuba Euſtachii obſtructa eſt, gargarizationes ex aceto ſquillitico, aut oxymelite, in quo pauxillum ſalis ammoniaci ſolutum, una cum maſticatoriis ac ſternutatoriis conveniunt. Injectiones per nares exercitatiſſimum artificem requirunt.

 Ubi

Ubi ex magno fragore gravius audire aliquis coepit, jubendus eſt, ut obturatis ore et naribus, aerem exſpiratum vi, plus ſimplice vice, in Euſtachii tubam impellat: quo ſubito ſaepe auditus reſtituitur.

Ceterum tubi acuſtici e diverſa materia fabrefacti auditus difficultatem levant. Surdi vero, quum audire volunt, commode bacillis ligneis uti poſſunt, inter ſuos et loquentis dentes maxillae ſuperioris interpoſitis. Facilius etiam quidam audiunt, ſi ſuper eorum caput loquutus fueris. Optimam vero artem docendi ſurdos, Ammannus tradidit. Sed ipſe legendus eſt.

Singulare prorſus atque rarum ſurditatis genus eſt, in quo homo non niſi ad ſtrepitum quendam externum ſonos, etiamſi magnos, percipit. Quod quomodo fiat, ego non bene comprehendo; quomodo removendum ſit, ignoro.

MORBI

MORBI MULIEBRES.

DE AMENORRHOEA*.

† TENERAM jam ad 'Ακμην ſuam provectam virginem, plurimis edocet documentis natura: hebeſcunt oculi, ſolito ſuffuſi neſcio quali languore; livent et quaſi excavantur palpebrarum orbes; doloribus contriſtatur gravantibus, urentibus, circumcirca lumborum regionem. Adſunt etiam laſſitudo, aliquando cum artuum extenſione et oſcitatione comitata, anorexia, puſtulae cutaneae, et cephalalgia cum frebricula, praecurrente quinetiam plerumque leucorrhoea ‡; mucus enim copioſus, calidus, primum effluit, dein ſerum rubellum, denique ſanguinis ipſius rutili redundantia.

Hiſce greſſibus incedens puellam ſupervenit; nec amplius illi adeſt vegetus roſeuſque genarum color, ſuaviſque ſpiritus oris; vultus pallet, marceſcit, quaſi plumbeus ſubflavuſque ſqualet; indices, undequaque mentiri neſcii, commutationis repentinae quae nuper invaſit.

Per dies quamplurimum emanare tres perſeverat fluxus menſtruus; cum autem ultra ſextum tendit, in *morbidam* deinceps perrexiſſe ab auctoribus dicitur effuſio. Quamprimum vero aeſtus fluxit ille purpureus, ſymptomata haecce moleſta levantur, atque evaneſcunt omnia; mammarum ſororiantium venuſtae orbes intumeſcere incipiunt; color in faciem redit, et ori gratus ille decor quem exuerat omnis; lanugine tenella ſua obvelat arcana natura; ſic demum veluti ſurculus e ſtipite, omnium evolutione et incremento partium, pullulat puellae forma, et ſe ad ſuae imaginis reproductionem maturam deveniſſe, indicia haud ſubdola praebet.

Ita fit ergo haecce in virginis penetralibus imis commutatio myſtica, quando initium ceperit eluvia haec periodica; deinde ad menſis lunaris (unde nomen) terminum recurſura, donec a naturae legibus ad annos provectiores diutius excerni recuſet.

In regionibus Septentrionalibus, multo tardius quam in Auſtralibus vel Orientalibus, foeminas adoritur; quo lautior atque uberior fuerit victus. Apud nos vix ad annos tredecim vel qua-

* Harris de morbis virginum.

† Vide Tom. I. p. 73.

‡ Haller, Prim. Lin. 559.

tuordecim puellae iſto carere profluvio ſolent; et raro ultra quadraginta novem annorum ſtadium mulieribus perſtat; plurimis equidem ad quadraginta quinque decedere ſolet hoſpes cruentus: Dum, in India Orientali, adeo praecoces ſunt, ut * parturiunt puellae ad annos novem; hiſce contra Laponicae † ſaltem duplo tardiores puerperae.

Non deſunt exempla foeminarum, quae ſaepius bis in menſe, vel ſaltem ter in menſibus duobus, fluxum perpeſſae ſunt, ſine ullo incommodo. Hujuſmodi autem exempla rariora abs norma naturae periodica nequaquam ideo detraxiſſe autumentur. Foeminae etenim, quibus ingreſſus menſtruus vel omnino deficit, vel raro et ad intervalla incerta recurrere ſolet, *ſteriles* maxima ex parte ſunt.

Quoniam praeterea, tantummodo mulieres conceptui maturas invadit, ceſſatque prorſus in provectioribus, cum haud amplius ad functionem iſtam valeant; in puerperis quinetiam lochia primo imminui cernimus, deinde ſenſim deficere, tandemque penitus evaneſcere per tranſlationem in mammas; quanto enim turgent eae cum lacte, tanto ſanguinis ipſius vis minor aliunde ſtillat: Ab hiſce omnibus idcirco ſimul acceptis, ſatis luculenter porro conſtabit, et ſanitatem et foecunditatem mulierum pendere a debito menſium fluxu; unde libramen aequum et juxta naturam corpori fauſte ſervetur.

Multum diſſident auctores quod ad copiam ſanguinis ſingulis vicibus excreti. Nonnulli ad heminas duas Atticas §, (ſcilicet, circiter uncias ſedecim) collocarunt; quidam ab unciis octo ſaltem ‖ ad ſedecim; aliqui uncias ſex vel octo ¶, quamplurimum excretas eſſe volunt: Alii affirmant ** ſex, ſeptem, decemve ſanguinis uncias plerumque expurgari. Fateri autem oportet, ſententiae cujuſlibet horum memet adnectere neutiquam vellem; potius me conſentaneum agnoſco cum ill. De Haen, qui experimentis multis vafris et verſutis, pro comperto habuit atque claro evicit ††, ſanguinis ad ſingulas vices effuſi menſuram nequaquam uncias tres, quatuor, vel quinque exſuperare poſſe, utplurimum; rarius ad librae ſemiſſam exurgentem; perpaucae (uti affirmat) uncias decem excernere ſolent, niſi uterus aliqua ex parte minime ſanus evaſerit; nec deeſt mihi praeterea in hac ſententia fulcienda auctoritatis clarae copia ſumma ‡‡.

* Van Swieten comment. de Morb. Virg. † Linnaei Flor. Lapon.
§ Hippocr. de Mulier. Morb.
‖ Aſtruc. Malad. des Femmes. ¶ Haller. Prim. Lin. 861.
** Hom. Princ. Med. †† De Haen, Rat. Med.
‡‡ B. Exton, Van Swieten, &c.

Nunc

Cito ac mutationem inivit ſingularem pubertatis corpus virgineum, conditio corporis mobilior inducitur, et ſanguis refluus, niſi vires naturae eum rite expulerint, continuo "ſexcentorum fit ſexui irritamentum malorum †."

CAUSÆ REMOTÆ.

Cauſae remotae, quae ad morbun huncce ciendum conferunt, inſequentes ſunt:

1. Æquilibrii corporis jactura, vel a plenitudine generali vel partis ſingularis, vel ab utraque orta; quarum illa extemplo graves edit effectus per corpus univerſum; haec vero tardius, in uterum ipſum potius et primario, malignas ſuas exercens dotes plethorae hujus reſolutioni obſtent;

a. Atreſia ſive imperforatio membranae Hymenis.

b. Nimis arctus ſanguini exitus, vel ex nimia cervicis uteri ſeu vaginae anguſtia, vel ab earundem coaleſcentia.

c. Vaſculorum uteri conſtrictio ſpaſmodica.

Cacochymia leucophlegmatica, ubi cordis atque arteriarum vires adeo imminutae ſunt, et vis muſculorum fracta, actioque laeſa, ut ne quidem amplius (utpote caeterae circuitus poteſtates adjuvent) valeant ad fluida iis contenta, per vaſculorum ſeriem extremam, tranſmittenda, uſquedum ad niſus concitatiores atque firmiores quadammodo cieantur; et rem ita ſe prorſus habere, medicamentorum effectus indicare videntur; remediorum enim tonicorum et ſtimulantium uſum effectus feliciſſimos edere, nullo non medico notum.

3. Arteriarum minutarum uteri talis rigiditas, ut ne quidem ſanguinis influxui, quando profluvium incipere vel redire debet, facile cedant; unde vel parcius effundant, vel diutius retardent, vel omnino emittere recuſent. Hinc ſtadia morbi ejuſdem tria ſunt, interdum ab auctoribus pro morbis diverſis immerito habita, dyſmenorrhoea; chloroſis, ſeu emanſio menſium; et amenorrhoea, ſive eorundem ſuppreſſio.

4. Annon et incuſare liceat aliquando humorum vitia? Sanguinis craſin viſcidiorem chloroticis ineſſe, ſanguinis detractio ſubinde certiſſime ſuadet; et ſymptomata omnia, poſt malaciam et picam in pejus declinare pro certo novimus. Nec eſt unde ſucci blandi et nutritii efformari poſſunt, ab ingeſtorum genere pravo et acri, puta, fructubus immaturis, alumine, creta, atque ſordibus his omnibus, tam avide quaeſitis, tam jucunde depaſtis, quales nimirum fontes cauſaſque cacochylia † agnoſcit.

† Hippocr.

5. Mentis

5. Mentis affectiones quaedam deprimentes, veluti metus, triſtitia, &c.

6. Frigus ſubitum vel intempeſtive corpori admotum.

7. Aſtringentium abuſus.

8. Morbi praegreſſi; atque omne demum unde corporis robur laedatur, ipſumque ſolvatur et laedatur.

HISTORIA.

Cum ad annos pubertatis provecta eſt virgo, ſymptomata menſium, qualia depinximus ſibi invicem pediſſequa, in plethorae reſolutionem conamina faciunt ſalubria; quibus ſiquidem contingat, pravus corporis habitus, morbida exinde effluere conſequentia, in ratione inſequente plerumque ſolet.

Eſcae naturalis faſtidium et nauſea, aliquando, cum vomitione; caeteraque functionum ventriculi ſymptomata laeſarum adſunt, et gradatim increſcunt. Ructus acidi, cardialgia, flatus, borborygmi, dyſpepſia et gaſtrodynia; deinde orthopnoea, cordis palpitatio, caeteraeque hyſteriae affectionis ſigna, aegram vexant; aſthenia univerſalis inſtat; venae ſanguine minus plenae eſſe videntur. Pulſus exigui et citi febriculam monent; lingua ſordibus albidis obducitur, et aliquid ingrati ſentitur in ore ſaporis.

Urina ad morbi exordium pallet et limpida eſt, morbo ingraveſcente autem, in obſcure-rubram atque turbidam abit.

Alvus raro ſecundum naturam ſe habet; interdum enim dejectiones immodicae corporis vires diſperdunt; utplurimum vero morbus ſecum trahit adſtrictionem parum fauſtam: Excretorum etenim retentio novum ciet in corpore hoſtem.

Hiſce, praeter ſymptomata ſupra memorata, gradibus incedit amenorrhoea, donec leucophlegmaſia, hydrops, atrophia, tabes vel phthiſis pulmonalis, habitum univerſum vitiarint; vires corporis radicitus deleverint, penituſque de aegrotante actum fuerit.

DEFINITIO.

Menſtruorum ſuppreſſio.

CAUSÆ PROXIMÆ.

1. Uteri vaſculorum extremorum ſpaſmus ſive rigiditas nimia.

2. Atonia atque debilitas corporis univerſi, unde talis in fibris moventibus inopia virium atque arteriis, ut ne quidem harum actio atque cordis, reſiſtentiam venarum ſuperare valeat.

3. Vitia, ut hymenis imperforatio, &c.

† Gaub. Patholog. 824.

DIA-

DIAGNOSIS.

Diagnoſi vix opus eſt; morbus enim nullus eſt, qui, ſi ſymptomatum ſucceſſionem rite conſulamus atque notemus, Amenorrhoeam refert; cavendum eſt interdum autem, ne fallamur primis ſignis conceptus, quae pro Amenorrhoeae ſymptomatibus aliquando ſumuntur.

Medicamenta ergo, emmenagoga dicta, nunquam non manu cautiſſima, curaque ſumma, ſuſpectis adhibenda ſunt.

PROGNOSIS.

Si neque a labe congenita, nec vitio organi ipſius, affectio haecce ortum duxerit, ſi nondum ad ſtadia ejus provectiora feſtinaverit, neu ſymptomata in pejus omnino declinaverint, praeſagium plerumque tutum, bonum. Sed, quo longius permanſerit morbus, quo debilior atque annoſior fuerit aegra, eo plus timendum, eo minor in medicina ſpes.

Reductio menſium ſemper medico in proſpectu eſſe, et huc conamina ejus omnia ſpectare debent. Conſequentia enim, hiſce reducibus, ſemper feliciſſima; omne exinde grave ſignum evaneſcit, et rediviva e toro exſilit puella, quam fata jam ſoluturam ſuprema fere dixeris.

CONSILIA MEDENDI.

Cauſae quemadmodum Amenorrhoeae complures ſunt, et multum inter ſe diſcrepantes; idcirco in ea tractanda diſcrimen maximum faciendum, atque origo ſedulo reſpicienda.

In tria inſequentia apte redigi poſſe videntur conſilia.

1. Debilitatem tum ventriculi, quum corporis reliqui, amovere. Hae etenim morbi hujuſce fautrices praecipue therapiae ſubſidia prima poſtulant.

2. Vaſculorum uteri ſpaſmodicam ſolvere conſtrictionem; vel perparcam difficilemque menſium effuſionem (ut in dyſmenorrhoea) augere.

3. Atreſiae vel vitio partium cuilibet obviam ire, quandocunque res explorata teſtatur morbum ab iſto fonte ſcaturire.

Ad primum conſilium perficiendum, tonicorum et ſtimulantium genus multiplex magnopere prodeſſe, pro comperto habemus.

a. Exercitatio omnis, praeſertim equitatio et navigatio.

b. Balneum frigidum.

c. Ictus electricus.
d. Cortex Peruvianus.
e. Vinum.
f. Rubia tinctorum *.
g. Tinct. melampodii †.
h. Tinct. cantharidum.
i. Diaeta eupepta.
k. Ferri atque chalybis praeparationes;
Pharmaceuticae, ut
Flores, et ſal martis, vinum chalybeat. &c.; vel
Naturales, ut
Aquae minerales, Pyrm. Spadan. &c.
l. Ligatura ‡ vel arteriae Iliacae compreſſio mechanica.
m. Nuptiae.

Alia ſunt etiam remedia compluria, ab auctoribus commendata, uti marrubium, elixir aloes, mercurialia, antimonalia, &c. quibus ſubinde recurrere cuivis, fecundum vota ſua, liceat, et pericula tuto faciat, ſiquidem caetera irrita fuiſſe videntur.

Ut conſilium exſequamur ſecundum, antiſpaſmodicorum atque ſedantium agmen nobis proſtat; horum uſitatiora ſunt,
a. Sanguinis detractio.
b. Pediluvium.
c. Fotus tepidi regioni hypogaſtricae applicati.
d. Cathartica lenia; uti decoct. tam. cum ſenn. &c.
e. Hauſtus anodyni cum Laud. L. et
f. Clyſmata opiata §.
g. Camphora et moſchus.
h. Formulae variae pil. foetid. e gum. galban. ſagapen. aſſafoetida, &c.
i. Electricitas, aeque ac in prima indicatione curativa, hic etiam valde prodeſſe ſolet; ictibus modicis et raris autem uſurpari debet.

Remedia haecce omnia eo plus auxilii ſecum adportatura promittunt, quo propius opes noſtrae et cura ad menſium periodum ſolitam impenſae fuerint, ſcilicet quum niſus haemorrhagicus || inſtet: Quippe fruſtra, durantibus menſium intervallis, ſaepenumero medicinae opibus recurritur.

* Vires medicamenti hujus in menſibus educendis admodum in praelectionibus ſuis laudat Home noſter illuſtr.
† Mead. magni habuit hoc remedium; id ipſe non ſine fructu datum novi.
‡ Edinb. Med. Eſſays and Obſervations.
§ Ex horum apud Noſocom. Regal. Edinenſ. uſu, optimos profluxiſſe effectus, plus ſemel vidi.
|| Cullen. Firſt Lines, 878.

Poſtremo,

Poſtremo, tertium conſilium medendi hoc fere unico cardine verſatur, ſcilicet ſanguinis in uteri cavea remoram tollere; membranam hymenis, hujus exitui obſtantem, cultri dextra inciſione delendo, vel perviam reddendo.

Deinde, operatione facta, ad corporis vires reſtaurandas, ſanitatemque confirmandam, tonica cuncta juvant, et apprime utilia ſunt.

DE LEUCORRHOEA.

AUCTORE GEO. KEATING.

QUUM plurimae ſint ſpecies hujus morbi, nempe uteri, vaginae, veſicae, et ovariorum; tamen de illa ſolummodo ſpecie tractaturus ſum, quae oritur ab iiſdem vaſis quae menſes profundunt *. Poſtea tamen conabor notare ſigna, quibus variae ſpecies dignoſcantur.

DEFINITIO.

Juxta celeberrimum Cullenum, leucorrhoea, ſive fluor albus auctorum, eſt menorrhagia alba, ſeroſa, ſine vitio locali, plerumque et fere ſemper cum menorrhagia conjuncta eſt, vel eam mox ſequitur. Morboſa eſt enim liquidorum a ſanguine rubro diverſorum effuſio, ab iiſdem vaſis quae menſes profundunt. Quam ab iiſdem cauſis ac menorrhagiam rubram oriri ſatis veriſimile eſt.

HISTORIA.

Hic morbus foeminas invadit, eo praeſertim tempore, quo menſes primum erumpunt. Vix ulla tamen aetas ab eo immunis. Puellas impuberes, et foeminas annis provectas, infeſtat; a viris enim fide digniſſimis notatum eſt, circa quadrageſimum quintum aetatis annum, leucorrhoeam ſaepius invadere. Nec mirum, quum tam inſigniter muliebre corpus tunc mutetur.

Licet omni tempeſtate, omnique ſub coelo, adoriatur hicce morbus; tamen per autumnum, et in regionibus humidis, eidem magis obnoxiae ſunt mulieres.

Quod temperamenta ſpectat, certum nihil ſtatui poteſt. Quum nulla ſit corporis diſpoſitio, quam non aliquo tempore

* Vid. Tom. I. p. 73.

invadere poſſit; veri tamen ſimile eſt, cachecticas, laxas, molles, phlegmaticas, leucorrhoea praeſertim vexari.

Huic morbo maxime ſunt obnoxiae quae aut menorrhagia, aut amenorrhoea laborant: Neque injuria. Forſan mulieres habitu plethorico, valde ſentiente, haemorrhagico donatas, his adnumeraveris. His conſideratis, ad ipſa morbi ſigna adveniamus. Scriptores medici duas ſpecies hujus morbi deſcripſerunt: Unam continuam nempe, et alteram periodicam, quam pro parte tantum fluxus naturalis menſtrui habent.

Morbi initio, niſi violentus ſit, nullo fere dolore afficitur aegra.

Hoffmannus ille accuratiſſimus, non virgines tantum, ſed et nuptas etiam, per annos plures, albo fluore, ſine damno ſanitatis notabili, laboraſſe, aſſerit.

Materies alba primum, aut albeſcens, in viridem, fuſcam, aut nigram, ſi morbus diu perduraverit, immutatur. Sed, ſi leucorrhoeae ſuperveniat icterus, tunc humor effuſus colorem flavum ſaepe adipiſcitur, teſte celeberrimo Home. Operae tamen pretium eſt obſervare, inſignes has colorum varietates, in fungoſis, ulceroſis, ſcirrhoſis, cancroſiſve uteri affectionibus, ſaepius quam in leucorrhoea, locum habere.

Inde patet ratio, quare notaverint ſcriptores, inflammationes excoriationeſque exquiſitiſſimas hunc morbum interdum comitari. Liquida enim uterina, quae natura mitia ſunt, mordaciter acria fiunt, omnia erodunt, hocque modo ſigna jamjam memorata producunt.

Hactenus enim de affectionibus tantum utero propriis diximus; at alii ſunt aliis viſceribus peculiares ab utero affecto ortae, et quaedam profecto quae univerſum corpus afficiunt: Quas inter imprimis notari merentur ventriculi et reſpirationis male habentium ſymptomata.

Quod ad ventriculum laeſum ſpectat, ſymptomata eadem fere ſunt ac in dyſpepſia, anorexia ſcilicet, nauſea, ructus acidi, inflatio, alvus plerumque aſtricta. Quod ad reſpirationem attinet, haec plurimum turbatur, ita ut a motu vel leviſſimo vehementer anhelant aegrotae. Halitus quoque oris ita foetet nonnunquam, ut aegram fugiant cognati, amici, ſervi, maritus, neque ipſa ſe aegra ferre poſſit *.

Ad congeſtiones praeſertim oculorum valde proclives ſunt foeminae, in hoc morbo. Urgent praeterea continui in coxis ac dorſo dolores; qui gravativo ſenſu ſtipati ad uterum quoque perveniunt. Non minus crebra mingendi cupiditas, licet parum bibatur, vexat; et urina mox parca quantitate, ſub magnis conatibus, mox vero majori, quam liquida aſſumuntur,

* Hoffman.

copia

copia mitti obſervatur; moleſtis porro flatulentiis adfliguntur, nocturnoſque patiuntur ſudores, abſque tamen virium collapſu †.

Haec tamen levia, prae iis quae infelicem aliquando torquent malis.

Neque tacenda ſunt ſymptomata ab Hoffmanno ſaepe memorata, ingens nempe totius corporis debilitas, pallor univerſus, torpor, crurum oedema, lumborum dolor, cordis palpitatio, animi deliquia, et, niſi artis auxilia intervenerint, febris hectica haec ſymptomata excipiet, et mors malorum omnium finem faciet.

SEDES MORBI.

De fonte hujus morbi inter ſe diſſentiunt auctores; nonnulli duas notaverunt fluoris albi ſpecies, uteri nempe, et vaginae. Tamen, quum Culleni ſententiam amplector, de praedicta ſolummodo leucorrhoeae ſpecie diſſeram (nempe de illa quae oritur ex finibus arteriarum exhalantium). Alias et uteri, et vaginae, et ovariorum affectiones, album profluvium producentes, nec non effluvia e renibus et veſica urinaria, omitto. Et jure quidem in praeceptoris ſententiam abeo: Ut caeteras enim rationes, pro hac militantes, taceam; quid quaeſo efficit ut quae mulieres lochiorum et menſium effuſionibus praecipue obnoxiae ſunt, eaedem quoque leucorrhoea infeſtantur, niſi quod omnes hi fluxus ex eodem fonte oriantur?

DIAGNOSIS.

Leucorrhoeam inter et gonorrhoeam virulentam diſcrimen accurate notare haud facile eſt, praeſertim quum oritur a catharticis nimis large adhibitis. Sed, quum non eadem exigant remedia, eas pro viribus diſtinguamus neceſſe eſt.

Subito et rapide progrediuntur gonorrhoeae ſymptomata: Lento quaſi pede leucorrhoea incedit. In priori, qui initio albicat color, nunc in flavum aut viridem cito tranſit; nunc in tabum ſanguinolentum vertitur. In poſteriori autem, coloris mutatio et materiae acrimonia lentius augentur. Ardor urinae in gonorrhoea fere ſemper adeſt, in leucorrhoea plerumque deeſt. A renum et veſicae ulcerationibus, facile ſecernitur leucorrhoea. In illis enim non, niſi inter mingendum, purulentus effunditur humor; in hac autem, omni tempore ſtillicidium manat. Leucorrhoeam a carcinomatibus uteri aut

† Hoffman. tom. 4, p. 296.

ovariorum

ovariorum facile diſtinguet, qui tumorem in regione hypogaſtrica ſentiendum, et dolores aegram (utero imprimis preſſo) vexantes, ſecum reputabit.

PROGNOSIS.

Plus eſt in hoc morbo moleſtiae plerumque, quam periculi. Cui tamen ſedulo proſpicere debet medicus; quia, ſi diu perſiſtat, alios et quidem graviſſimos morbos parere poteſt.

Si fluor diu jam perſtiterit, ſi neque dolor adfuerit vehemens, neque ulceratio, nec excoriatio; ſi functiones naturales non multum turbatae, alvus regularis, appetitus non multum proſtratus fuerint; ſi functiones vitales conſtent; ſi vigeat juventus; denique ſi functiones animales nihil turbentur, neque aegra moerore deprimatur: ſperandum eſt tunc, ut, adhibitis idoneis medicamentis, ſanetur.

Si contra morbus diutius duraverit, cancer eſt jure metuendus; praecipue ſi excoriationes, ulcerationeſque antea memoratae, per longum temporis intervallum aegram exagitaverint. Si oculi cavi, vultus pallidus, corpus totum macrum, debilitas ingens, diarrhoea, ſudor nocturnus, aliud nihil praeter mortem certiſſimam eſt expectandum. Hanc autem argumenti partem dimittere nequeo, quin obſervationem olim ab Hippocrate ſapientiſſimo factam commemorem, mulieres ſcilicet, albo fluore vexatas, minus eſſe generationi habiles: Neque obſcura eſt, ni fallor, hujus mali ratio; cum enim abortus a ſoluto nexu uterum inter et placentam pendeat, liquido patet, ob vaſorum debilitatem in hoc morbo, et humiditatem plus juſto majorem, leviſſima cauſa, hunc nexum ſolvi, ac abortum fieri poſſe.

CAUSÆ.

Redundantia humorum tenuiorum, laxitas vaſorum uteri, et omnia quae corpus debilitant, aut fibrarum tonum imminuunt, cauſae ſunt. Hinc, ſi uteri ſubſtantia, tum fibrae ejus, tum vaſa relaxentur et debilitentur, leucorrhoea oriri poteſt.

Teſte enim Morgagno, interna uteri cavitas pertunditur exiguis hiatibus qui liquorem blandum aquoſo-mucoſum ſudant, ut madida maneat ſuperficies uteri, et impediatur cavitatis concretio. Hinc, ſi talia uteri vaſcula nimis laxentur, nimia copia hunc liquorem effundunt. Itidem deſcenſus uteri, elongando et comprimendo vaſa ejus, hunc morbum producunt. Intentio muſculorum dorſi, abortus, nimia venus, aeris frigidi et humidi viciſſitudo, victus plenus, et etiam victus aquoſus,

aquoſus, ingeſta ſpirituoſa, ebrietas frequens, nec non ea quae ſanguinem majori copia et impetu in vaſa uterina impellunt, nempe niſus corporis violentus, emmenagoga, et mercurialia, vehementes corporis ſuccuſſiones, ictus, aut nimia ſaltatio, inferiori abdominis parti vis illata, vehementes animi affectus, alvus nimis aſtricta, inter dejiciendum niſui violento anſam praebens, frigus pedibus admotum, partus frequens, ſine infantis lactatione, partus difficiles, et denique omnia laxitatem corporis inducentia, lecti nimis molles, qui ideo nimis calefaciunt, et liquores tepidi enervanteſque, hypocauſtorum uſus frequens, fluorem album procreant.

RATIO MEDENDI.

Cum antea dixerim morbum hunc a corporis totius, imprimis autem uteri vaſorum laxitate pendere, medendi conſilium erit, tonum his reddere aſtringentibus, interne et externe applicatis; ſecundo, humores, vel quantum fieri poteſt, ad uterum ipſum ruentes, alio divertere.

Ad prius conſilium apta ſunt aſtringentia remedia, quae duplicis ſunt generis, vegetabilis ſcilicet, et foſſilis. Priora poſterioribus longe debiliora; ſed, quum in hoc morbo alvus plerumque aſtricta ſit, cathartica prius adhibenda ſunt, quam ulla dentur aſtringentia remedia. Multi laudaverunt uſum jalappae, propter ſimilitudem fluidorum in fluore albo ac in hydrope. Sed, me judice, rheum jalappae anteponendum eſt, propter amaritiem ejus et vim aſtringentem.

Aloetica inteſtina tantum ampliora evacuant, nocentque haemorrhoides frequenter producendo. Sulphur ſatis idoneum videtur remedium. Et vel hoc, vel oleum ricini, aliis omnibus anteferendum; quoniam mitia ſunt, neque inteſtina irritant. Si ventriculus hoc ferre nequeat, cum quinta tincturae ſennae compoſitae parte miſceri debet. Tinctura rhei cum aqua cinnamomi maximo cum commodo uſitata fuit.

Vegetabilia aſtringentia. Biſtorta, tormentilla, gummi kino, &c. adhibita fuere. Peruvianus autem cortex aliis omnibus palmam praeripit.

Pulvis cicutae cum ſucceſſu uſitatus, praeſertim ubi pudenda acrimonia fluoris albi eroſa fuerunt *.

Aſtringentia foſſilia. Plumbea omnia, cum vim non modo aſtringentem, ſed et narcoticam, habeant, caute debent adhiberi.

Chalybeata vi narcotica priorum carent, et aeque ſunt tonica. Omnibus hujus metalli praeparationibus palmam forſan

* Home Praelect.

praeripit

praeripit rubigo, ſeu limatura praeparata, quae facile ſolvitur acido primarum viarum.

Ab aquis mineralibus martialibus hunc morbum ſaepe ſanatum vidi.

Serum aluminoſum, aut alumen cum ſanguine draconis, felici ſaepe cum ſucceſſu adhibetur.

Exercitatio aſtringens eſt remedium, quatenus partes ſolidas firmat, roborat, denſatque, particulis ſcilicet earum probe compreſſis, et tenuioribus aut aquoſis expreſſis, aut exhalatis. Geſtatio ambulationi anteponenda eſt, quia aegram minus fatigat. Idonea igitur exercitatio, diaetae regimen aptum, balneum frigidum, frigoris applicatio prope partem laborantem, inter efficaciora habenda ſunt medicamenta.

Prudentia in his remediis adhibendis opus ſemper eſt: Si adſit aliqua pulmonum morboſa affectio, vitanda ſunt cortex Peruvianus et balneum frigidum. Inter omnia, exercitatio lenis in aere ſicco et ſereno, ubi mens negotio aliquo jucundo occupata eſt, maxime prodeſt.

Teſtacea fuere commendata. Vidi ipſe mulierem in noſocomio Edinenſi, quae per tres annos hoc morbo laboraſſet, ſanatam aquae calcis uſu per octo dies *.

2*do*, Aſtringentia utero applicata.

Fumigatio uteri gummi maſtiche, injectiones e ſacch. ſat. et, quando dolor maximus adeſt, injectio decocti ſeminis lini cum opio, levamen attulerunt.

Cum tamen ab his gangraena, cancer, multaque alia mala metuenda ſint; ſumma in his adhibendis prudentia, et circumſpectione ſemper opus erit.

3*tio*, Fluida in uterum ruentia alio avertendo.

Si ab amenorrhoea proficiſcatur malum, venaeſectio proderit. Haec tamen debilitat, plethoram auget, adeoque caute admodum eſt imperanda. Lenia tantum diaphoretica exhibenda, qualia ſunt decoctum lignorum in aqua calcis †. Convenit quoque induſium laneum induere; ſed violenta diaphoretica periculo non carent, ſcilicet quia canceribus, &c. locum praebent, quum corpus nimis calefaciunt.

Diuretica etiam utilia ſunt, minuendo quantitatem humorum, et eorum fluxum ad renes avertendo. Quum fluor albus pertinax eſt, et temperamentum adeo debilitatum, ut non ferre poſſit incrementum evacuationum naturalium, tunc exi-

* Aqua calcis infuſo amaro Ph. Ed. miſta ſummo cum commodo in valetudinario publico uti ſolemus.

† Manning on fluor albus.

nanitiones artificiales commode ſubſtitui poſſunt, et imprimis ſetacea et fonticuli

Cibus nutriens ſit, et ſimul concoctu facillimus. Farinaria cum ovis miſta huic intentioni reſpondent.

Si vero omnia medicamenta jam praedicta inefficacia fuerint, ſalivationem laudaverunt multi. Sed (me judice) praeſtat mercurium parvis doſibus, et intervallis convenientibus, adhibere, propter debilitatem corporis in hoc morbi ſtadio tam inſignem.

Oleoſa omnia, nec non ſpirituoſa, fermentantiaque, aut aceſcentia, cane pejus et angue vitanda ſunt.

Permittendus autem caute, et exigua quantitate, uſus vinorum fortium, et in acorem minime proclivium, qualia ſunt vinum Luſitanicum rubrum, vinum Madeirenſe, et ſimilia.

Multum prodeſt, ad tollendam ſeroſam uteri evacuationem, mulierem ſuum infantem alere.

Nihil autem his remediis proficitur, niſi cauſae excitantes, jamjam recitatae, ſedulo evitentur.

DE ABORTU.

AUCTORE THO. WAITE.

HISTORIA ABORTUS.

HUIC diverſa, pro tempore quo inciderit diverſo, nomina indiderunt antiquiores, *effluxum*, nempe, genitura adhuc liquida primo graviditatis menſe expulſa; ab hoc tempore ad tertium uſque menſem, partu eliſo, *expulſionem*; a tertio vero ad ſeptimum menſem uſque exactum, foetu excluſo, *abortum*. In morem vero recentiorum, qui hanc nominum varietatem, ut parum neceſſariam, repudiant, quocunque graviditatis tempore partus elidatur, excluſionem foetus adhuc immaturi *abortum* vocare non dubitabimus. Quae excluſio foetus intra primum menſem incidit, ea nomen abortus vix meretur, cum nullum ſanguinis profluvium, quod abortum ſemper comitari ponitur, utero rudimento foetus per vaſcula tenuiſſima adhuc adjuncto, ab ea proficiſcatur, cumque igitur in nullo periculo aegrota verſetur.

Abortus, intra ſpatium a conceptione facta trimeſtre, et eo potiſſimum quo menſtrua provenire conſuerunt tempore,

incidere ſolet; rem vero ita ſeſe habere non eſt cur mireris, ſi tecum reputaveris, ſyſtema foemineum, graviditate non ſubſtante, quantitatem ſanguinis ſuperfluam, quae ſingulis menſibus e vaſis uterinis ante fuit profuſa, quaeque adhuc in corpore foetus parvulo alendo non ex toto poteſt conſumi, parare aſſuefactum fuiſſe, et idem etiamnum praeſtare pergere; et congeſtionem igitur in vaſis uteri propriis talem facile fieri poſſe, qualis praegnantem abortus periculo plane objicere valet. Caeterum, abortus quoque gravidas, quolibet alio dum uterus geritur tempore, invadere poteſt.

Quae ſigna primum ſeſe oſtendunt, ea ſunt laſſitudo, totius corporis inertia, appetitus proſtratus, rigor. Hiſce ſuccedunt calor, inquietudo, pulſus arteriarum celeres et plerumque duri, dolores lumborum uterique ad inguina uſque pertinentes, ſanguinis ex utero profuſio, partium genitalium externarum frigoris ſenſus. Mammae flaccidiores evadunt et ſubſidunt. Uterus ſpaſmis, alvus teneſmo moleſtiſſimo, afficitur. Sanguis coactus, non abſque doloribus graviſſimis, ſubinde deſcendit. E vaſis uterinis gradatim magis magiſque liberaliter profunditur ſanguis. Accedunt animi deliquium, extremorum frigus, capitis dolor, magnae animi perturbationes, vomitio, frigus calorque ſe invicem excipientia, regio hypogaſtrica detumeſcens. Uteri tandem et muſculorum abdominis ſpaſmi graviſſimi, ut in partu naturali incidit, oriuntur. Membranae diſrumpuntur, aquaſque effundunt, vel integrae cum ipſo foetu ſimul expelluntur. Dolor quidem ſub initium adeo modicus nonunquam eſt, ut abortum accedere per profuſionem ſanguinis ex utero ſolam poſſimus noviſſe. Haec nonnunquam, graviditate provectiore, adeo copioſa evadit, ut vita aegrotantis ſummo in periculo verſetur, niſi ſtatim foetu per opem obſtetriciam liberetur. Per primos tamen quinque menſes non multum periculi hinc metuendum; vaſa enim uterina nondum adeo dilatantur, ut magnam ſanguinis et ſubitaneam effuſionem incidere patiantur. Saepe vero tanta eſt, ut mulierem debilem et laxam, et igitur morbis a debilitate pendentibus, quales ſunt leucophlegmatia, anaſarca, multique idem genus alii, in poſterum opportuniorem efficiat. Caeterum, per ſpatium modo dictum, mulier cui partus eliditur ſanguinis profuſione raro extinguitur; etenim, quantum ſanguinis, abſque periculo mortis, poſſit prorumpere, in primis mirandum. Jactura quidem ſanguinis repentina admodumque liberalis periculo minime vacat, quod eo majus, quo magis ſubita profuſio; namque quantitatem magnam gradatim tardeque, quam multo minorem brevi ſpatio, amiſiſſe minus nocet.

Omnis ex utero ſanguinis profuſio non ſignificat abortum inſtare.

inſtare. Namque aliqua placentae pars ab utero nonnunquam ſejungitur, effuſionemque ſanguinis facit; quae tamen ſuperficiei uterinae internae poſtea adeo firmiter adhaeret, ut gravida menſes ei praeſcriptos poſſit exigere. Nonnullis foeminis, quibus corpus juſto plenius ſit, ſanguinem per tres quatuorve primos graviditatis menſes profundi, neminem fugit; hic vero non ab utero, ſed a vagina, quam vaſculis inſtruunt arteriae iliacae internae vel hypogaſtricae, proficiſci videtur. In hanc ſententiam ivit Hoffmannus celeberrimus, apud quem verba ſequentia reperies: "Saepiſſime fit, ut quae ſanguine abundant foeminae, ſecundo et tertio graviditatis menſe, ſanguineum experiantur fluxum, citra dolores et ſpaſmos in regione lumbari et abdomine, citra debilitatem et pracedentem horrorem aut rigorem partium extremarum; hoc autem in caſu, ſanguis non ex uteri cavitate, ſed potius ex vaſculis vaginae uterinae, cum euphoria profluit."

CAUSA PROXIMA.

Hanc placentae ab utero ſeparationem eſſe, omnes cauſae remotae teſtantur, quae tales ſunt, quales hoc plane praeſtant. Cauſae autem quae placentam ab utero diſſociant duplices eſſe videntur: 1. Eae quae impetum ſanguinis vaſa uterina verſus faciunt, quo placenta ab utero facile poteſt ſeparari. 2. Eae quae tonum vaſis uterinis, unde nexus uterum inter et placentam pendet, imminuunt, cujus jactura placentam ab utero haud dubie dividit.

CAUSÆ REMOTÆ.

I. Eae quae impetum ſanguinis vaſa uterina verſus faciunt, quo placenta ab utero facile poteſt ſeparari.

a. *Plenitudo univerſa.*—Hanc autem faciunt diaeta potiſſimum plena et nutriens, liquores ſpirituoſi liberaliter adhibiti, et ebrioſitas. Qui cibus autem corpori plurimum nutrimenti ſuppeditat, et craſſamentum ſanguinis inſigniter auget, eſt animalis, qui multo minus vegetabili perſpirabilis eſt, et multo parcius tardiuſque per meatus urinarios e corpore excernitur, utpote qui magis viſcidus ſit; igiturque in corpore diutius maneat, et multo plus materiae nutrientis pro mole contineat. Quinetiam, ad plenitudinem creandam plurimum conferunt liquores ſpirituoſi, potiſſimum e byne confecti, ut cereviſia fortior vulgaris, et ea Londinenſis lupulata, quae Anglice *porter* appellatur, qui quantitatem materiae ſaccharinae in ſpiritum ardentem nondum converſae majorem, quam vina,

 continent;

continent; propterea quod fermentationem minus abſolutam, quam haec, ſubierunt. Cereviſiam autem fortiorem omnigenam ad corpus humanum ſaginandum in primis accommodari, ex multorum exemplo abunde patet, qui admodum macilenti ſpatio non longo uſu ejus pinguedinoſi evadunt. Quae vina parum fermentationis ſubire ſolent, quibuſve fermentatio ſuppreſſa fuit, ea aliis magis, ſed minus liquoribus e byne paratis, nutriunt. Caeterum, corpus potentiore ſtimulo, quam hi, afficere conſuerunt; et igitur impetum adauctum diatheſinque phlogiſticam facilius movent. Quaecunque mulieres autem tempus in liquoribus ſpirituoſis ſorbillandis conſumunt, ignaviae quoque, quae omnes ſecretiones et excretiones imminuit, et ita plenitudinis ortui favet, deditae, eae nec plenitudine nec diatheſi phlogiſtica, quae eam vel comitatur vel brevi ſubſubſequitur, carebunt. Plenitudo univerſa orta, uti omnes norunt, corpus ad haemorrhagias proclivius efficit. Cum vero natura mole humorum nimia oppreſſa et degravata ſemet ipſam, graviditate non ſubſtante, ſanguine ex utero profuſo levare conſueverit, impetum quoque ejuſdem in praegnantibus vaſa uterina potius, quam quaelibet alia verſus, factum iri a priori judicares. Et rem ita ſeſe fere conſtanter habere, experientia omnium manifeſte teſtatur. Quaecunque gravidae igitur plenitudine morbida, unde unde fuerit nata, praeſertim ſi ei acceſſerit calor nimius externus, qui humores magis quam ſolida rarefacit et expandit, laborant, eae abortu plane evidenterque periclitantur.

b. *Niſus totius corporis violenti.*—In his muſculi arterias ſibi vicinas, et inter ſuas fibras repentes, aliqua ex parte comprimunt; et igitur impetum ſanguinis eas partes verſus, ubi ei venienti minus obſiſtitur, faciunt. Hic vero, praeſertim ſi muſculi abdominales una cum reliquis violenter agent, uterum verſus potiſſimum fiet, qui eo tempore reliquis partibus ob ſitum ſuum laxior eſt, et idcirco ad quantitatem ſanguinis inſolitam recipiendam melius accommodatur.

c. *Corpus univerſum caſibus violenter concuſſum.*—Quae corpus hoc modo concutiunt, ea haud dubie ſanguinem inferiora corporis verſus copioſius ſolito depellunt. Exemplum enim novimus, ubi, puella e feneſtra partis aedium ſuperioris in plateam delapſa, ſanguis artus inferiores verſus tanta vi propulſus eſt, ut complures crurum, nullis oſſibus fractis aut magnopere laeſis, venas diſruperit. Igitur concuſſiones corporis violentae tantum humorum ad uterum curſum facere poſſunt, quantus placentam ab eo avellere valet. Concuſſionem hoc revera praeſtitiſſe ex Hippocrate diſcimus, qui Cantatrici gravidae " ut in terram deſiliret perſuaſit, cui, quum jam

jam ſepties deſiluiſſet, genitura in terram defluxit, et fiebat ſonitus."

d. *Ictus abdomini inferiori illati ejuſve contuſiones.*—Quomodo contuſiones ictuſve graves cuilibet parti illati agant, intellectu minime difficile. Namque per ſtimulum, quo partem laeſam afficiunt, curſum humorum eam verſus faciunt, et etiam per atoniam debilitatemque, quas inducunt, locum congeſtioni poſſunt praebere. Quinetiam foetum in utero adeo violenter agitare poſſunt, ut pondere ſuo, ſi multum magnitudinis ei jam acceſſit, placentam ab utero poſſit ſeparare. Exercitatio violenta, praeſertim ſaltatio, eodem modo agere videtur; et igitur nullius explicationis ſibi propriae indiget. Vomitio denique gravis, a qua praegnantes nullo tempore pro certo immunes ſunt, effectus ſuos modo non diſſimili edit. Etenim contractiones muſculorum abdominis graves movens curſum humorum uterum verſus dirigit, foetumque violenter concutit, et ita ut ante diem excludatur facit.

e. *Affectus animi concitatiores*—Hi, ut ira, metus ſubito incuſſus, caeterique, moti duo protinus praeſtant. Prius ſummum corpus, ut e pallore ei illato conjicere licet, ſpaſmo afficiunt, deinde actionem cordis arteriarumque intendunt. Haec autem ſanguinem in vaſcula cutanea extrema, ob ſpaſmum ſuperficiei, diffundere nequibit; et igitur eum interna, uterum vero potiſſimum verſus, quorſum in praegnantibus curſus ejus ſemper facillime fit, haud dubie dirigit, ubi placentam ab utero ſejungere abortumque facere periclitabitur. Inſuper, affectus animi vehementiores non tantum corpus gravidae reliquum, quod plerumque et plenum et irritabile, ſed etiam uterum ipſum ſpaſmis graviſſimis nonnunquam affecerunt, qui uterum iterum iterumque conſtringendo eum et placentam a ſe invicem ſepararunt.

f. *Venus immodica.*—Haec curſum ſanguinis ad uterum, ut e partibus genitalibus inter coeundum intumeſcentibus et rigeſcentibus abunde conſtat, manifeſtiſſime facit. Quod hoc ulterius firmat, eſt, quod venus, dum menſtrua proveniunt, adhibita ea nimis copioſa reddit, et remedium in auxilium amenorrhoeae promptiſſimum eſſe reperitur. Igitur uſus ejus in omnibus gravidis, quae abortum fugere volunt, rarus et modicus eſſe debet.

g. *Alvus dura.*—Cum res ita ſeſe habet, ſtercus abſque niſu violentiſſimo nequit excerni, qui curſum humorum nimium ad vaſa haemorrhoidalia, et omnia quoque vicina, et igitur ad uterina, facit. Quod fidem huic rei haud dubiam facit, eſt exemplum haemorrhoidis quam alvus aſtricta saepius, quam ulla alia cauſa, movere conſuevit. Si multum ſtercoris

ſtercoris indurati in recto extremo diutius juſto retineatur, id venas praeterea et recti et uteri comprimere, reditumque ſanguinis impedire, et idcirco ſummam in hiſce partibus plenitudinem creare poteſt, quae gravidam periculo abortus objiciet.

h. *Frigus pedibus applicatum.*—Quomodo hoc praegnantem male afficiat, abortuique opportuniorem reddat, non rite intelligo, niſi artuum inferiorum vaſa conſtringendo, quod frigus ſemper praeſtat, ut quantitas ſanguinis inſolita ad uterum mittatur faciat. Per ſympathiam, judicio nonnullorum, uterum adficit; rem vero hoc modo explicare nihil aliud quam plane confiteri ſe quomodo abortus hoc in exemplo moveatur, ex toto ignorare.

i. *Febres.*—Hae impetum humorum magis minuſve adauctum ſemper excitant; igitur, ſi febris gravidam corripit, qui impetus adauctus ei nunquam deeſt, is regionem uterinam verſus potiſſimum dirigi abortumque facere poteſt. Si abortus vero ab hac cauſa proficiſcatur, aegrota, uti omnes fere auctores memoriae produnt, plerumque fato concedit.

II. Eae quae tonum vaſis uterinis, unde nexus uterum inter et placentam pendet, imminuunt, cujus jactura placentam ab utero haud dubie dividit.

Quae hoc praeſtant, ea ſunt omnia quae laxitatem corporis univerſam progignunt, ut in cubiculis calidis conſtanter fere manere, liquores calidos et debilitantes, quales ſunt infuſa theae et coffeae, et caeteri, nimis liberaliter potare, corpus defatigare, magnas ſanguinis quantitates amittere, &c. Qua ratione haec et ſimilia corpus relaxent vireſque, ei convellant, non opus eſt ut exponamus, cum nemo, qui medicinam labris primoribus tantum deguſtavit, hoc poſſit ignorare. Si vero debilitas reliqui corporis per cauſas modo poſitas ſimileſque fuerit facta, non parum periculi eſt, ne eadem cum utero quoque communicetur, nexumque, qui eum inter et placentam intereſt, ex toto diſſolvat; namque vires reliquis ſyſtematis partibus vix poſſunt imminui, et utero interea integrae et illibatae manere.

Eundem effectum quoque edunt omnia, quae vaſa uterina extrema vi nimia tetenderunt, et igitur atoniam illis propriam fecerunt. Hujuſmodi ſunt abortus crebri antecedentes, puerperium frequens, partus difficiles et protracti.

Quinetiam forſitan uterum gerenti non minori erit noxae curſus ſanguinis nimius ab utero ad alias ſyſtematis partes factus, qui placentam nutritione ſua debita privare, et ita vinculum, quo utero adnectitur, ſolvere valet.

Idem quoque incidere poteſt, ſi foetus, per nodum funis umbilicalis,

umbilicalis, vel quamlibet aliam cauſam, morte afficiatur. Etenim, foetu extincto, nec vaſa uterina nec placentae propria tonum juſtum diu retentura eſſe ſperes.

Multae denique cauſarum, quae vincula, quibus uterus et placenta inter ſeſe conjunguntur, ſolvunt, mortales adhuc latent, et diu forſitan latebunt; namque labor et opera, quae homines in rerum natura indaganda poſuerunt, in nulla alia re, ac in iis quae animalium generationem ſpectant, aeque inutiliter effuſa ſunt.

RATIO SIGNORUM.

Dorſi, lumborum, ventris dolores. Hi a ſanguine in utero praeter conſuetudinem congeſto haud dubie proficiſcuntur; ſed in dorſo, lumbis, et ventre, quod uterus prope haſce partes ſitus eſt, ſedere videntur; namque vera doloris ſedes per ſenſum ejus ſaepiſſime nequit dignoſci. Dolor quidem hoc in exemplo, ſi accurate loqui velis, a congeſtione ſanguinea uterum ſenſilem nimis tendente pendet.

Mammae flaccidiores evadunt et ſubſidunt. Cum ſanguis e vaſis praegnantium uterinis non amplius ſingulis menſibus profunditur, mammae gradatim tendi et tumere incipiunt, adeo ut curſus humorum ab utero ad mammas per totum graviditatis decurſum, ſed potiſſimum paulo ante partum, fieri videatur. Contra, ſi aliquae cauſae curſum ſanguinis nimium uterum verſus, ut in abortu fit, magna vi dirigunt, mammae ob aequilibrium ſanguinis mutatum flaccidiores evadant et ſubſidant neceſſe eſt.

Sanguinis ex utero profuſio et regio hypogaſtrica detumeſcens.—Si placenta per ullam cauſam ab utero disjungitur, vaſa uterina oſtiis patulis hiare incipiunt, et ſanguis ex hiſce, pro magnitudine vaſorum, quae graviditati magis minuſve provectae pro rata ratione reſpondet, parcius liberaliuſve prorumpit. Quandocunque vero uterus mole humorum nimia irritatus ſe contrahere incipit, et muſculi abdominales, per vires naturae medicatrices exſuſcitati, auxilium ei ferunt, et, quantum in ſeſe eſt, ad materiam irritantem expellendam conferunt, foetus os tincae verſus et in initium vaginae detruditur, et ut abdomen, quod ante elevavit, detumeſcat facit.

Reliqua ſigna per ſe adeo manifeſta et clara ſunt, ut nihil explicationis videantur depoſtulare.

PRO-

PROGNOSIS.

Si profuſio ſanguinis ſit modica, placenta utero rurſus poteſt adjungi et gravida partum reſervare. Effuſio, contra, admodum liberalis et ſubita, foetum brevi excluſum iri ſignificat. Quantum ad matrem attinet, abortus, intra primos quinque menſes, ei non ſaepe exitio eſt; etenim vaſa uterina nondum adeo dilatantur, ut tantum ſanguinis effundi ſinant, quantum vitam maternam extinguere valet. Si vero, graviditate provectiore, partus alicui elidatur, magnaque ſanguinis jactura expulſionem foetus ſubſequatur, puerpera ſummo in periculo verſatur, et tardius, ſi ad ſanitatem reducatur, quam poſt partum naturalem, plerumque convaleſcit. Quantum ſalutem foetus ipſius ſpectat, quo plus aetatis ei acceſſit, eo facilius certiuſque vivere conſuevit.

RATIO MEDENDI.

Conſilia autem medendi duo eſſe videntur:

I. Curſum ſanguinis vaſa uterina verſus factum imminuere.

II. Tonum vaſis uterinis, ſi ſit cur morbum a hujus jactura proficiſci credamus, reddere.

Quae remedia conſilio priori reſpondent, ea ſunt:

a. *Sanguinis miſſio.*—Si ſanguis brachio vel cuilibet alii parti ab utero longe diſtanti detrahatur, curſus forſitan ab utero avertetur. Ad hoc remedium vero non confugi debet, niſi aegrota plenitudine laboret, pulſuſque arteriarum ei ſint validi et celeres. Si pars placentae tantum ab utero ſit ſejuncta, hoc forſitan ſanguinis profuſionem ſiſtet, et omnia in melius mutabit. Si vero ſanguis copioſe et violenter prorumpat, caute debet adhiberi; namque debilitatum, quam profuſio nimia jam fecit, augebit, et omnia in pejus ruere coget.

b. *Poſitura corporis horizontalis.*—Quamprimum notae abortus ſeſe oſtendere incipiunt, aegrota protinus ad lectum deferenda eſt, et dorſo, clunibus elevatis, incumbere debet, quod curſum humorum aliqua ex parte imminuet.

c. *Summa animi corporiſque quies*—Affectus animi concitatiores impetum ſanguinis ad uterum periculoſum facere poſſe ſupra poſuimus; hi igitur ſumma diligentia vitandi. Nihil omnino, quod metum aegrotanti poſſit incutere, oculis ejus objiciendum; animus, contra, ei ab omni moeſtitia quam maxime abducendus, et ſumma ſpe omnia ei optime eſſe ceſſura

fovendus.

fovendus. Quantum ad corpus attinet, minime agitandum, ſed in eadem poſitura immotum continendum.

d. *Accurata corporis refrigeratio.*—Ab omnibus calefacientibus atque ſtimulantibus caute debet abſtineri. Ægrota ſtragulis quam leviſſimis operiatur. Cubiculum ejus foco deſtituatur. Si tempeſtas aeſtiva ſit, feneſtrae recludantur. Cubile non molle, ſed durum ſit. Epithemata frigida, panni ex. gr. aceto intincti, lumbis et inguinibus ſaepius ſuperimponantur, et, quoties incaluerint, renoventur. Sitim aegrotanti ſedet aqua frigida alicui acido, ut ſucco aurantiorum, admiſta, cui nonnihil vini rubri, viribus abortienti magnopere convulſis, poteſt adjungi. Diaeta levis ſit et quam maxime refrigeret. Alvus per enemata perpetuo ſoluta teneatur. Denique, ut omnia uno verbo comprehendamus, calorem vix nimis vitare, frigus vix nimis quaerere, valebis.

e. *Ligaturae artubus inferioribus injectae.*—Hae vix venas, arteriis interea liberis, comprimere poſſunt. Sin autem arterias preſſura ulla afficias, tantum aberis ut curſum ſanguinis ad uterum factum imminuas, ut eundem, contra, magnopere augeas

Denique, ſi nulla remediorum, quorum mentionem jam fecimus, profuſionem ſanguinis ſiſtere aut ſaltem imminuere valebunt, ad opem obſtetricam, omnibus aliis ut inanibus nihilque proficientibus repudiatis, protinus decurrendum, et uterus foetu quam maxime cito liberandus, ut tandem ſeſe contrahendo oſtia vaſis ſanguinem profundentibus claudat, morbumque ad finem perducat.

II. Tonum vaſis uterinis, ſi ſit cur morbum a hujus jactura proficiſci credamus, reddere.

Morbum autem a tono vaſorum uteri imminuto pendere concludere poſſumus, ſi debilitas et laxitas habitus aegrotantis corporei univerſae ſubſint, ſi cauſae remotae, quae morbum fecerunt, tales ſint, quales vires corpori plane convellunt, ſi ſigna deſint, quae actionem vaſis uteri auctam eſſe ſignificant, ſi abortiens morbis a mera debilitate proficiſcentibus ſit opportuna.

Quae remedia huic conſilio accommodantur, ea ſequuntur.

a. Omnia remedia, praeter ſanguinis miſſionem, quae conſilio priori reſpondere demonſtravimus.

b. *Opiata.*—Si aegrota non tantum laxa, ſed admodum irritabilis eſſe videatur, ad opium decurrere licet; namque omnis irritatio, pro laxitate ſyſtematis, magis minuſve nocet, ſed profuſionem ſanguinis augere ſemper periclitatur. Caute tamen adhibendum; etenim de effectibus, quos in morbis in-

 flammationem

flammationem habentibus et haemorrhagiis edat, alii auctores in alias ſententias conceſſerunt.

c. *Aſtringentia et tonica.*—Haec, ſi remedia ſupra comprehenſa nihil profuerint, et ſanguis ſeſe liberaliter profundere pergat, ſunt adhibenda, et non parum auxilii hoc in exemplo, ubi morbus a laxitate oritur, promittere videntur. Aſtringentium optimum eſt alumen, quod variis ſub formis fuit adhibitum, et multorum, ut illi fatentur, votis reſpondit. Inſuper, cortex Peruvianus, vi ſua tonica jure nobilitatus, ad atoniam vaſorum tollendam in primis, uti putes, accommodatur. In uſu quoque fuit tinctura roſarum rubrarum, quae, ſi adhibeatur, quam maxime acida reddi debet. Roſae per ſe parum valent, et tinctura virtutem ſuam, ſi ullam habet, ab acido vitriolico ſolo deducit. Remedia hujuſmodi ſub initium nonnihil prodeſſe poſſunt. Si vero placenta ab utero, antequam ad ea confugiatur, magna ex parte vel ex toto fuerit disjuncta, haudquaquam prohibere valebunt quo minus foetus intempeſtive excludatur.

Eadem remedia priori conſilio reſpondere multi ſunt opinati, et ea revera adhibuerunt. Quantum ad alumen attinet, vi ſua aſtringente et ſtyptica forſitan proderit. Cortex vero Peruvianus remedium admodum anceps eſſe videtur; namque periculum non deeſt, ne tonum vaſis, qui hoc in exemplo jam nimius eſſe videtur, adaugeat, et profuſionem ſanguinis magis liberalem efficiat.

Omnia denique remedia, quorum hoc in morbo periculum fecerunt medici, in auxilium ejus parum prompta eſſe ſaepiſſime reperiuntur. Igitur fiducia noſtra in iis, quae morbo venienti occurrunt, potiſſimum collocanda.

PROPHILAXIS.

Quo abortui occurratur, omnes cauſae remotae ſupra comprehenſae ſedulo vitentur. Gravida intemperantiam omnigenam fugiat, modice bibens et edens. Iis quae ventriculo aliena abſtineat, et a ratione vivendi ſolita quam minime deflectat. Si partus olim ei fuerit eliſus, ſummam, donec tempus periculoſum praeterierit, curam adhibeat. Si plena ſit, ſanguis ei mittatur, parce edat, quiete fruatur. Si debilis ſit, ad corticem Peruvianum, amara levia aromatica, aquas minerales, balneum frigidum, ſi hoc poterit tolerare, confugiat. Aerem purum et inquinamentorum expertem inſpiret. Omni ratione animus ei oblectetur, nullaque, quae horrorem poſſint incutere, oculis ejus objiciantur. Exercitationem modicam, ſibique gratam, ſed ſemper citra defatigationem, adhibeat. Inertiam,

Inertiam, turbas, ſalebras inter iter faciendum, navigationem refugiat. Equitatione non abſtineat, ſi equo placido inſidere non reformidat. Veſtimenta talia ſint, qualia nec thoracem nec abdomen nimis conſtringat. Alvus ei nunquam non ſoluta teneatur, utpote quae vitiis ventriculi, colicae, aliiſque, quae abortum facere poſſunt, potenter occurrat. Abdomen per ultimos graviditatis menſes faſciis idoneis modice ſuſtineatur. Fatigata, etiam interdiu, in cubili ſubinde requieſcat.

DE QUIBUSDAM PUERPERARUM MORBIS.

AUCTORE JOS. GIBBONS.

MORBI puerperarum, vel qui partum protinus excipiunt, frequentiores ſunt gravioreſque, quam qui ullo graviditatis tempore incidunt. Quo magis mirandum eſt, quod adeo levi opera tractati a ſcriptoribus ſunt, ut pene omnino neglecti videantur.

Obſtetricae artis periti temporis ſpatium quod partum ſubſequitur in tria ſtadia diviſerunt, quorum unicuique triduum attribuerunt, quibus ſingulis proprii quidam morbi oboriuntur. Exempli ergo, quidam morbi temporis ſpatium inter partum et tertium diem occupant, alii inter tertium et ſextum, alii poſt ſextum incidunt. Nos, de omnibus omnium trium temporum non tractaturi, iis qui primo poſt partum triduo eveniunt, erimus contenti. Ii ſunt animae defectiones, profluvium lochiorum immodicum, doloreſque ſecundi modum quoque excedentes.

ANIMÆ DEFECTIONIS DESCRIPTIO.

Animae defectiones duorum generum ſunt. Alterum levius et periculi prope expers; alterum multo gravius, et plerumque lethale. Illud inaequale, parum permanens, ire et redire ſolet. In eo pulſus, quamvis debiles, percipi tamen poſſunt, naturalemque calorem corpus retinet. Cui contrarium alterum genus eſt; ubi neque pulſus percipiendi prae debilitate ſunt, et corporis partes quaedam, perdito calore, quaſi aere ambienti frigidiores ſentiuntur.

DEFICIENTIS ANIMÆ CAUSÆ.

Diſtentus ante partum uterus ſuo loco inteſtina demovet, vicinas partes ita omnes premit, ut vaſis, praecipue venis, difficilius ſanguis perfluat; abdominis verſus thoracem viſcera ſurſum urgendo, diaphragmatis actionem impediat, et tam muſculos abdominis, quam ligamenta, extendat. Quo per partum vacuefacto, haec omnia mutantur: Pendula abdominis viſcera in locum priſtinum referuntur; omnes uteri venae, in gravidis ſaepe varicoſae, retentum ſanguinem ad cor ſubito referunt, adeoque aliquando, ut hoc obruant: Arteriae nunc non preſſae, ſanguinem a corde facilius accipiunt, facilius in venas, non amplius quoque preſſas, transfundunt; abdominis muſculi, diu diſtracti, quodam modo robur perdunt; poſtremo, ſeparata placenta, vaſa uteri, inter hanc ſeparandam, lacerata, eam ſanguinis copiam, de qua in lochiorum profluvio agetur, profundunt. Quae omnia ad ſyncopen excitandam concurrunt. Nam, ut in graviditate, utero reliqua abdominis viſcera comprimente, ſanguinis per haec motus impeditur, pluſque ad ſuperiora et caput mittitur; ita, poſt partum vacuefacto utero, ejuſdem ſanguinis abundantia ad inferiora vaſa jam relaxata, ſubito a cerebro vertitur. Hinc partim, quia in cerebri vaſis copia imminuitur, partim, quia ſubito hoc fit, eorum tenſio tollitur; qua ſublata, genus nervoſum conturbatur, ſyncopeque et leipothymia exoritur. Cujus effectus pars quaedam magno ex utero derepente profluvio tribuenda eſt.

Verum ſubita vaſorum ſanguiferorum libraminis mutatio, haud paulo ad effectum validior, quam copia, eſt. Eademque copia, ſi paulatim magis huc illinc verteretur, nihil ſimile efficeret. Quam rem ſanguinis per artem detractio illuſtrat. Qua fit, ut, vix duabus unciis demptis, ſaepe anima deficiat; quod alias vix librae jactura efficeret. Adeoque hoc in morborum, quorum in remedium ſanguis mittitur, curationibus notum eſt, ut, quoties ejuſmodi defectio incaſura et detractioni offectura, metuitur, ſupino corporis habitu electo, ſubinde plaga digito compreſſa, et ſic ſanguine lentius ac tardius abducto, ne incidat curetur. Qua adhibita cura plerumque, quanto detracto opus ſit, tantum haud difficile detrahitur. Idque fit, quia, quo ad imminutam intus humoris copiam vaſa ſe per elaterem ſuum accommodent, ſic tempus permittitur.

Quod ſi, poſt uterum partu vacuefactum, hujus vaſa non ſimili modo, repente ſeſe contrahentia, ad imminutam ſanguinis copiam accommodent; ſanguinis in ea protinus impetus

fiet,

fiet, deletoque ſic univerſorum vaſorum libramine, caput ita, ut dictum eſt, afficietur, et morbus, de quo agitur, protinus orietur. Qui, quo certius prohibeatur, certiuſque vaſa contento ſanguini accommodentur, artis obſtetricae peritiores, ne prius placenta, quam uterum ſe contraxiſſe certum ſit, abſtrahatur, commonent. His animae defectionibus ſimiles eae ſunt, quae in hydrope poſt paracenteſin incidunt, et a ſimili cauſa naſcuntur. Nam in hac quoque affectione, dempta ſubito, quae minus ſanguinis in vaſis ineſſe ſiverit, compreſſione, in relaxata minuſque plena vaſa ſanguis repente irruit; ſimiliterque libramen a capite ad abdomen, et cum ſimili effectu, transfertur. Van Swietenius ne vaſa, colluvie aquoſa tamdiu macerata, repente diſrumpantur, periculum eſſe exiſtimat. Quam opinionem tamen, quia res verae non confirmant, rejiciendam, aut pro rariore et minus certo et explorato, eum caſum habendum, judicamus. Sed cauſam propoſitam veram eſſe, praeter res et rationes quoque propoſitas, per compreſſionem, de qua mox ſuo loco verba fient, curatio confirmat.

Vehementes animae defectiones, ſine hac et quavis cauſa evidentiore, ſat ſaepe incidunt, et exitio ſaepe ſunt. Num caſus, quem Van Swietenius ſuſpicatus eſt, hic quandoque eſt? Ut id fieri ſaltem poteſt, ita, quia fieri non certum eſt, ad cauſam, quam rationis ſimilitudo tueatur, decurrendum; idque incitationi cerebri, per cauſam debilitantem deletae, tribuendum exiſtimo. Sed quare quoque modo noxa debilitans ſic generis nervoſi motus interiores intercipiat, quos intercipi dubium non eſt, et cerebri incitationem deleat, nequeo explicare.

Egregius praeceptor noſter, Thomas Young, et hujus academiae rei obſtetricae profeſſor, tres hujus generis caſus nobis retulit.

Primus mulieris ingenuae erat; quae prioribus laboribus deficere anima conſueta, jamque ad alium partum vicina, doloribus demum corripitur adeo levibus, ut, inter horam diei nonam et decimam veri puerperales eſſent necne, incerto, ante tamen undecimam partum ſit enixa. Quam, animae defectiones, pulſus ſubſidentes et frigus, protinus partui ſuccedentia, ante horam ſecundam e medio ſuſtulerunt.

Ejuſdem generis alter caſus fuit. In tertio, mulier valetudinaria, primo partu continuatis biduum triduumve laboribus, feliciter demum peperiſſe viſa; protinus tamen animae defectionibus, artuum omnium frigore, aſthmate aut ſuffocatione correpta, intra duas horas et dimidiam poſt partum animum exhalavit. In his caſibus nullum erat profluvium. Eoque alia mortis cauſa fuerit, neceſſe eſt. Forſitan vaſorum ſanguiferorum,

rum, quamvis citra profluvium, dempta, quae cerebri actioni ſuſtentandae neceſſaria eſt, tenſione, ejus incitationem et vitae principium delevit.

Has defectiones a placentae retentione, uteri contractionem prohibente, oriri multi opinantur. Quae opinio aliorum obſervationi contraria eſt. Qui, adhaerente tota utero placenta, nec vaſis laceratis, nullum ſanguinis; dimidia adhaerente, et reliquae vaſis laceratis, nec contrahente ſeſe utero, tum demum profluvium fieri, animadverterunt. Contra, quamvis ſegregata ab utero placenta intus retineretur, tamen valida uteri contractio, aut eam expelleret, aut ab ea compreſſis ſuis vaſis, nullum per haec profluvium pateretur. Neque hanc rationem anatomicam non res vera confirmat. Nonne enim xxiv ſaepe horas intus in utero placenta, ſine profluvio, retinetur? Et nonne, illa abſtracta, hoc tamen ſaepe nimis incidit? Non igitur placenta, ſed deficiens uteri contractio, profluvii ſanguinei cauſa eſt.

DEFECTIONUM ANIMÆ PROPHYLAXIS.

Ad animae defectiones prohibendas, abdomen protinus poſt partum comprimendum eſt. Quod mantili, vel mappa, vel commodius propria veſte muliebri coxali, limbo ſuperiore lato, fieri poteſt. Adverſuſque ipſas, ſi forte tamen inciderint, defectiones, pulſibus humilibus, ſed percipiendis tamen, ſuumque calorem naturalem corpore retinente, qui caſus ſine periculo eſt, nihil amplius, quam ſale volatili naribus admoto, potione cardiaca, ſpiritu cornu cervi, et pedum fomentis, opus eſt. Contra, ſi magnum corporis frigus, et pulſus exhauſti defectiones comitantur, quia ſummum in eo caſu periculum eſt, id accuratiſſimo auxilio propulſandum eſt. Vis igitur vitae cardiacis validiſſimis, aqua cinnamomi, ſpiritu ardente, vinique Gallici, pedum per uteres calida aqua plenos, et circumjectam veſtem laneam calefactione, eademque veſte toto corpore involuto, ſuſtentanda eſt. Defectionibus animae, quas ſanguinis ex utero profluvium fecerit, remedio profluvii, de qua ſuo loco dicetur, cohibitio eſt.

DE LOCHIORUM PROFLUVIO IMMODICO.

Extracta ex utero placenta, ex illius arteriis extremis tempore graviditatis dilatatis, ſanguinis profluvium incidens lochiorum dicitur. Quod recte procedere ſummi puerperis momenti eſt *.

* Si muliebri profluvio convulſio, et animae defectiones ſuperveniunt, malo eſt. Aph. 56. lib. 5. Menſtruis abundantibus, et ſubſiſtentibus, ab utero morbi eveniunt. Aph. 57. lib. id.

Hoc

Hoc aliquot poſt partum dies plerumque tres, debilibus octo vel novem, robuſtioribus vix amplius viginti et quatuor horas, ſanguineum cum fuerit, paulatim ſeroſum, et minus minuſque copioſum, factum, intra quatuordecim et viginti tres dies paulatim quoque decedit. Copia, quae profluit, pro corporis naturae, temperiei coeleſtis, partus et aliarum rerum varietate, non ſolum in alia, ſed in eadem alias, alia eſt. Quanta autem ſit, neque dictu facile, et magni momenti ſcire, eſt. Quam, ſi conjecturae indulgendum eſſet, modo dimidiae, modo totius librae, modo duarum eſſe, dicerem.

Excretum poſt partum ſanguinem a reliquo, qui intus ſit relictus, diverſum nonnulli, ut Galenus et aemuli ejus, opinati ſunt, vitiatumque eum eſſe, quo puer altus ſit, nunc etiam ſupervacuum, eoque corpore ejectum, illum auctorem ſecuti, plerique diu crediderunt. Quae opinio manifeſte falſa eſt. Qui enim fieri, quaeſo, poteſt, ut vaſis, ſejuncta placenta, apertis ſanguis profluens, non idem ſit, qui in omnibus vaſis circumfluit, cum idem humor omnibus ſit communis?

IMMODICI LOCHIORUM PROFLUVII SIGNA.

Cum ex utero poſt partum copioſius, et majori impetu, quam naturae modus ferat, ſanguis profluit, profluvium immodicum dicitur. Cui tamen notae ex copia petitae, cum tanta, ut dictum eſt, naturae ſanae diverſitas ſit, non temere credendum. Multoque rectius eſſe videtur ex ſymptomatis mali, ſi quod ſubeſt, comitibus, quam ex copia aut profluvii diuturnitate, judicium trahere. Neque notius quicquam in medicina eſt, quam robuſtiores maximam copiam impune, debiliores minimam cum magno ſaepe malo, profundere. Ut quae ſigna ſint, ex quibus judicandum ſit, dicere coner:

Species morbi eſt, quam perpauca ſigna manifeſtant; ſed ubi ſanguinis e vaſis uterinis tantum, tamque ſubito et violento impetu effluit, ut vires mulieris brevi proſternantur, ſyncope ſuperveniat, et, niſi celeriter profluvium cohibeatur, mors turbam finiat.

Mitior caſus eſt ubi profluvium ſanguinis multo minus rapidum eſt, et aliquando meri ſanguinis eſſe deſinit: Pro quo humor ſanguineus aut ſeroſus profluit. Cujus profluvii haec ſigna ſunt. Pallor, languor, debilitas, horror creber, ſpirandi difficultas, anxietas magna, pulſus debiles, citi, parvi; horrori ſuccedens calor, rubor, remiſſione incertae diuturnitatis et reditus ſubinde interpoſita, quaſi ex labore laſſitudo, ponderis ſenſus, vertigo, et robur denique fractum. Hic primus profluvii immodici gradus eſt, haud difficile medendus.

Altior

Altior mali gradus eſt, cum ſignis relatis graviora haec accedunt; capitis dolor, vertigo major, oppreſſa quaſi pondere pectori impoſito praecordia, ſpiritus crebrior, vultus color non amplius vividus, oculi quaſi in orbitas ſubſidentes, cum vultu Hippocratico, nulla interdiu, noctu nulla quies, pulſus ordinis omnis expertes, molles, languidi, tardique, ſubitus interdum vultûs, extremis, genarumque adeo, ſummis naribus auribuſque frigentibus, cum frigido frontis ſudore, calor. Summum in hoc morbi gradu periculum reducta raro ſalus.

Altiſſimum demum ejuſdem gradum pejora haec ſignificant: Corporis humores corrupti putreſcunt, et ab utero profluens peſſime olet: Ponderis in thorace ſenſus nunc maximus, anxietas ſumma, pulſus ſerrati, tremuli, languidi, quibuſdam creberrimi, multis ante mortem non percipiendi, ſunt; ſpiritus, praeter crebritatem, difficillimus, frigidus, vultus triſte pallens, oculi in orbitas alte deprimuntur, nares acutae, collapſis temporibus, ſunt. Peſſime totum corpus olet. Urina et ſtercus, neſcia muliere, redduntur. Tument pedes, ſudor frigidus, extremorum artuum frigus, tremor, ſyncope, poſtremo toto corpore convulſiones, tantorum malorum ſolatium mortem adferunt.

IMMODICI LOCHIORUM PROFLUVII CAUSÆ.

Cauſae in ſeminium, et poteſtates nocentes, dividi poſſunt.

Seminium eſt corporis habitus, ubi firma ſimplicia laxa et debilia, viva toni expertia, ſunt; ubi ſanguinis, minus vaſorum actione ſubacti, pars tenuior, a viſcidiore ſecedens, exhalantibus vaſculis effluit.

Cauſae occaſionales, quae vulgo dicuntur, ſeu poteſtates nocentes, ſunt, omnia quae, ſive in toto corpore, ſive in utero, ſanguinis copiam et impetum efficiunt. Ea ſunt,

Animi affectiones excitantes, quae, cordis et arteriarum actionem augendo, impetum in exhalantes concitant; dein pariendi labor violentus, qui idem efficit, et praeterea, admoto ipſi parti ſtimulo, in vaſis uterinis impetum auget; item plethora, quae, cum ſolita ſanguinis copia ſolitarum vaſorum contractionum, haec diſtendendo, cauſa ſit, plus ſolito diſtendendo contractiones ſolito etiam majores et crebriores faciat neceſſe eſt. Cumque a cordis et arteriarum actione, ex omnibus aliis excretionibus, exhalatio eaque excretio, quae per arteriolas exhalantes ubique peragitur, maxime pendeat; ita, aucta illa, haec porro augebitur. Atque hinc profluvium uterinum, quod eodem vaſculorum genere, quo exhalatus humor, procedit, vigente plethora, creſcet. Nam, licet vis conſuetudinis

tudinis et generis nervoſi actio menſtruis, poſt prima horum profluvia, ſine communi omnium vaſorum abundantia, id eſt, ſine plethora communi, per ſolam localem, reducendis ſuſtinendiſque ſufficiant; tamen communis plethora, locali per occaſionem morbi ſuperaddita, non hunc augere non poteſt. Quarta poteſtas, ad immodicum lochiorum profluvium excitandum pertinens, ſtimulantia ſunt; qualia, partus expediendi cauſa, parturientibus ſaepe dantur.

Ea, ſentientes in ventriculo nervorum fines, eodemque officio fungentes, fibras ibidem muſculares, afficientia, cum in aliis corporis partibus, tum prae caeteris in genere vaſculoſo, ubique vim nervoſam excitant. Hinc inhaerens fibrarum per vaſa muſcularium poteſtas in majoribus, in minoribus, in minimis, eoque in arteriarum ubique, ubi haec poteſtas maxime viget, finibus, ac proinde in uterinis, augebitur. Quinto, eundem effectum trahet quodcunque uteri poſt partum contractioni obſtat; cujus ſunt placentae intus retenta fruſtula, cruor, aut alter nondum editus partus. Denique, diſrupta ipſius uteri vaſa, unde recta ſanguinem effluxurum patet, ei cauſarum capiti annumeranda ſunt. Poſtremo, ſi ſine cauſa evidente, ut ſupra monſtratum eſt, lochiorum profluvium immodicum quandoque eſſe dicitur, ejus rei origo in genere nervoſo quaerenda eſſe, non addubitabitur. Genus autem affectionis non paralyſis eſſe non poteſt. Quid enim aliud, ſi nulla cauſarum relatarum in culpa eſt, poteſt eſſe cauſa, quod aut ipſe uterus, aut extrema ejus vaſa, non contrahuntur, quam muſcularium, quibus ſolis hoc efficitur, fibrarum reſolutio?

PROGNOSIS.

Immodicum lochiorum profluvium nunquam aliquo periculi caret; quod majus minuſve pro illius magnitudine erit. Itaque, ſi robuſtior mulier eſt. et boni corporis habitus, ſi ſanguis paulatim effluit, ſi jactura toleratur, et ſymptomata alia lenia ſunt, vix metuendus eventus erit. Qui contra jure timebitur, ſi valetudinarius habitus eſt, ſi magnum profluvium vires multum et cito exhaurit; magiſque etiam, ſi debilitas, ſi anxietas, ſi ponderis circa praecordia ſenſus, item anhelatio, pallor, et languor urgent: Denique ad extremum ventum, corporis tremores, extremorum artuum frigus, ſyncope, leipothymia, et convulſiones, indicant. Poſtremo, ſi quae dirum malum effugerunt, iis nunquam fere ſolida deinde valetudo contingit, quin, ex magna humoris vitalis profuſione, in corde et magnis vaſis concreta polypoſa ſaepe enaſcantur, hydropſ-

 que,

que, tabes, leucophlegmatia, et alia his haerentia, mala deinde miſeras exerceant *.

PROFLUVII LOCHIORUM IMMODICI CURATIO.

Conſilia hujus morbi medendi ſunt tria: I. Profluvio moderari, et cauſas remotas cavere aut ſubmovere; II. Corporis totius, et praecipue uteri tonum reſtituere; III. Symptomatis inſtantibus ſubvenire.

Primi conſilii adminiſtratio a cauſarum remotarum jam ante expoſitarum notitia pendet; et inde igitur petenda eſt. Eoque, hac conſilii parte omiſſa, ad alteram, primum propoſitam, nempe,

Profluvio moderari, tranſeundum eſt. Huic conveniens primum remedium ſanguinis detractio eſt. Quae, ubi a totius corporis, et uteri laxitate, morbus pendet, cui ſub ſecundo conſilio mox memoranda remedio ſunt, ut debilitatura, et ſic malum auctura, omittenda eſt; iis caſibus, ſi qui ſint, qui in plethora et noxa ſtimulatrice poſiti ſunt, ſolis conveniens. Verum, etiamſi hae cauſarum remotarum in numero ſint, tamen, praeſertim quod ad plethoram attinet, cum jam partu mulier levata eſt, cum, praeter eam tenſionis cauſam ſublatam, altera quoque, ſcilicet, ſanguinis in vaſis uterinis abundantia, profluvio magno, nimio, morboſo, etiam ſublata eſt; plethora in parte manifeſto nulla, in reliquo corpore vix ulla, eſſe poteſt, cui in remedium ſanguinis detractio paretur. Haec igitur neque communis, ut nimis jam exhauſtum corpus magis exhauſtura, neque, magiſque etiam ob eandem cauſam, localis e parte laborante, neque e diſſito corporis loco, (quia revulſionis, quae diu multis adeo placuit, doctrinam falſam leges hydraulicae et certa experientia refutarunt, et, ſi id, quod creditum eſt, vel maxime praeſtaret, ſic quoque noxae foret), neque ullo modo aut forma ulla, adhibenda adverſus plethoram videtur. Quodque ad vim ſtimulantem attinet, ab ea, ut cauſarum remotarum una, cavere, ſatis plerumque erit.

Eſt tamen unus caſus adverſus quem ſanguinis detractio haud extimeſcenda eſt. In temperamento ſanguineo, ubi magna ſubeſt diatheſis phlogiſtica cum ſpirandi difficultate et tuſſi incommodiſſima, ad eam decurrendum eſt.

* Si paucas a partu horas morbus eſt effugitus, raro periculum; ſi xxiv horas, neminem interire ſupra memoratus vir, Thomas Young, commemorat. E noſocomio noſtro prope pallida regna viſit quaedam, cui quarta a partu hora morbus inciderat, ſex opii granis horarum duodecim ſpatio datis, periculo vix erepta.

Alia

Alia remedia, quibus profluvio moderandum eſt, faſciae, recumbens corporis habitus, motus vitatus, frigus, refrigerantia, et veſicatoria ſunt.

Ad compreſſionem, partu repente ſublatam, compenſandam, et, a nimia nunc vaſorum relaxatione naſcituro, periculo occurrendum, faſciis abdomen ligandum firmandumque eſt; quibus uteri contractioni proſpicitur, et vaſa ſuſtentantur. Extremis artubus injecta vincula, quae nonnullis placuerunt, quibus ſanguinis per venas ad cor reditus retardetur, ſed non adeo arcta, ut arteriae quoque, quo profluvium augeretur, comprimantur, quid auxilii praeſtent, nunquam expertus, aut ab expertis certior factus, neſcio.

Caput humilius, quam clunes, in lecto poſitum, celeritatem, a ſanguinis in erectiore habitu pondere pendentem tollendo, et, ut moderatius in vaſa uterina impetus fiat, efficiendo, collapſui uteri favet, et profluvii moderamen promittit.

Motu omni, maxime muſculari, quo ſanguis in venis, ad cor ubique rediens, percitatur, celeriuſque per pulmones, cor, et arterias, ad harum ultimos fines, pellitur, ut hoc profluvium multum aucturo, et ſummum periculum intentaturo, abſtinendum, et ex toto ſic, ut modo praeceptum eſt, quieſcendum.

Frigoris uſus internus et externus eſt. Internus eſt, ut aqua frigida, cui adjectum acetum ſit, in uterum immittatur, linumve eadem tinctum, in vaginam ſaepius, quippe quod ſolo frigore vaſa conſtringente proſit, inſinuetur. Extrinſecus frigus per veſtem lineam plicatam, et aqua frigida, aceto aut ſacchari ſaturni ſolutione, tinctam, lumbis aut pudendis admotam, adhibetur. Cujus actio, perinde ac in eadem epiſtaxidis curatione cernere eſt, partem quam attingit adſtringendo, interiorem laborantem aſtringere, et ſic profluvio obſiſtere, eſt. Aer quoque in quo verſetur mulier frigidior eſſe debet, ipſaque leviſſima veſte in lecto tegi. Quomodo hoc boni frigus, adſtringendo, praeſtet, dictu forſitan difficilius, et hujus loci non eſt. Qui effectus non ſolum extremis vaſorum finibus, ſed iis ipſis ſupra fines latius impertiendus eſt; aut vano opere aliam partem adſtringas, dum in alia a tergo impetum, conſtrictam partem cito perrupturum, aut etiam conſtringi non paſſurum, relinquis. Ergo Aſtrucii praeceptum, ut ſpiritus calidus, quo extrema vaſa conſtringerentur, in uterum injiceretur, minus ſequendum videtur. Quid enim aliud, parvorum et non magnorum vaſorum contractio efficeret, quam ut in haec impetus augeretur, inflammationis periculum oriretur, aut ſaltem morbus creſceret.

Refrigerantia adhibenda, acida, ſales neutri, ſaleſque metallici,

tallici, et tinctura rubrarum roſarum adjecto ſpiritus vitrioli tanto, quanto ſapor gratus fiat, habentur. Haec, poteſtate adſtringente quoque, quam poſſident, vaſorum tonum, quod alius loci eſt, augebunt, et virtute refrigerante ſanguinis impetum imminuent, et ſic quo facilius vaſa eidem reſiſtant efficient. In urgentiore malo, adſtringentia meraciora, ut alumen, colcothar vitrioli, pulvis ſtypticus Pharmacopoeiae Edinenſis, ſaccharum ſaturni, terra Japonica, tinctura antiphthiſica, et Helvetii ſtyptica, ut praeſentius agentia, fibras validius conſtringentia, ſanguinis impetum frangentia, et, ut coagulum fiat, factumque vaſorum ora occludat, facientia, quos omnes effectus praeſtant, commendata ſunt. Quorum tamen opus, ut periculi plenum, jure metuitur. Haud paulo tutius, et omnium aliorum efficaciſſime ſedans, opium eſt. Opium, inordinatos motus compeſcendo, dolores uteri conſopiendo, auctamque arteriolarum ibidem actionem imminuendo, bonum hic remedium eſt.

Veſicatoria, quae in epiſtaxide, cum multa alia fruſtra tentata eſſent, atque etiam in haemoptyſi, profuerunt, et adverſus omnes abdominis affectiones, ſive inflammatorias, ſive ſpaſmodicas, efficacia quotidie, item in dyſenteria, reperiuntur; in immodico lochiorum profluvio tentari noviſſime poſſunt. Quae tamen neque quid, neque quomodo, agant, audeo dicere. Sed, quoniam a quibuſdam praecipiuntur, et in extremo malo extrema quoque remedia tentanda ſunt; igitur eorum mentionem nolui omittere. Nunc ad ſecundum medendi conſilium, quod

Tonum reſtituere eſt, tranſeo. Ad hoc praeſtandum, fomentorum aſtringentium vapores, qualia e cortice granatorum, quercus, floribus balauſtiorum, roſarum rubrarum, in aqua ubi ferrum candens refrigeratum ſit, aut Pyrmontana, incoctis parantur, a quibuſdam ſunt praecepti. Qui, cum partem laborantem parum attingant, nihil agere credendi, eoque rejiciendi, ſunt. Plus ſoluta aluminis aut ſacchari ſaturni, in uterum immiſſa, promittunt; ſed, quia in tenero et molli viſcere inflammationem accendere periclitantur, cautius ſunt tractanda.

Victus talis quoque eſſe debet, qualis tono faveat. Ideo materia omni e plantarum genere, quae ad tonum imminuendum pertinet, abſtinendum, aut parcius utendum; eique caro, et ex hac natura cibus, ſed qui concoctu facilior et levior ſit, qualis caro alba quae dici ex ſpecie poteſt, et juſcula alba ſunt, anteponendus. Iſque nunquam largius uno quovis tempore, ſed parcius et ſaepius, dandus,

Ad

Ad irritationem, inflammationem, doloremve, ſive in inteſtino recto, ſive ex ſtercore eum premente, in ipſo utero prohibendum, et corpus frigidius ſervandum, alvus mitibus et lenibus glyſteribus facilis ſervanda eſt.

Ubi his, aliquamdiu tractatis, jam profluvium ſublatum eſt vel multum remiſit, cortex Peruvianus, qui etiam ante non negligendus erat, ſervandi toni cauſa, in auxilium erit vocandus, et, quoties redire profluvium minabitur, ei opio occurrendum.

Hactenus curatio quaſi generica propoſita eſt. Sed quoniam, ſive affectionem internam, ſive externa ſymptomata reſpicis, profluvium lochiorum immodicum ſub variis rebus variat; ideo quaedam, propriorum caſuum curationem ſpectantia, neceſſario exponenda ſunt.

Si a vehementibus animi affectionibus profluvium ortum eſt, eorum renovatio prohibenda ad primum conſilium pertinet; effectus autem in ſeminio dando ad hujus, prout a temperamento pendeat, rationem referendus eſt. Itaque,

Si temperamento ſanguineo mulier eſt, et habitum plenum habet, cum alia irritamenta diligenter, tum id quod animum afficit, fugienda ſunt, ſanguis detrahendus, et, ex ſupra relatis remediis, prout quodque caſui aptius videatur, ita delectus habendus eſt. Eademque fere temperamento cholerico convenit adminiſtratio. Quorum utrique commune eſt, ut animi tranquillitati quam maxime conſulatur, eoque ingratus quiſque procul habeatur, colloquiis et fabellis, item nunciis, quae irae, odio, aut cuilibet graviori animi affectui, excitandis eſſe poſſint, ei interdicatur.

Cum labor difficilis in cauſa morbi fuit, abnormes corporis et ipſius uteri motus, opio potiſſimum, quandoque ſanguinis detractione, erunt ſedandi.

Contra rerum ſtimulatricium intus aſſumptarum effectum, adminiſtratio antiphlogiſtica uſui eſt.

Cruor coactus, aut placentae fruſta, cum ea morbi cauſa ſubſunt, manu extrahenda ſunt. Si alter intus partus ſubſiſtens contractionem uteri prohibet, eum includentes membranae ſunt frangendae, ipſe educendus.

Diatheſis ſcorbutica ſi in culpa eſt, ea victu et adminiſtratione antiſcorbuticis, nempe carne recente mediocriter, oleribus, fructibus, et alia ex plantarum genere materia, liberius aſſumptis, et idonea exercitatione, ſolvenda eſt.

Denique, ſi nulla harum cauſarum profluvium feciſſe, idque febrium generum alicujus ſymptoma eſſe, adparet, tum ei generi febrili propria curatio ita adhibenda erit, ut maximi momenti ſymptoma ne negligatur.

Poſtremo,

Poſtremo, ubi neque febris, neque aliarum ſupra relatarum cauſarum quaequam in culpa eſt, ſed ab arteriolarum menſtrualium paralyſi morbus eſſe ſuſpicitur; praeter tonica ante praecepta, paralyſi propriae curationi res recte credetur.

DOLORES SECUNDI.

Deſcriptio. Dolores ſecundi ex re nominantur, quia poſt partus dolores, poſtque ipſum hunc, incidunt. Saepe remittunt, et veros partus toties referunt, ut alterum inſtare partum crederes. Iidem omnibus mulieribus non incidunt, et in eadem ſaepe quoque variant. Quod ſic variant, a rebus variantibus pendere Mauriceauius exiſtimat. Quod negat idem vir Praeceptor noſter, ſaepius jam relatus, et naturalem uteri ſtatum in cauſa varietatis eſſe, quem poſt primum partum facilius et citius ſe contrahere, eoque levius vel non omnino dolere, poſt reliquos deinde partus, pro horum numero propter difficiliorem uſque ejus contractionem, graviores dolores fieri contendit. Iidem nunc in lumbis, nunc in inguinibus, nunc in ſolo utero, aliquando circa umbilicum, aliquando per totum abdomen, modo in hoc, modo in illo latere aut parte, ſenſi, interdum continui, remittentes interdum, raro cum periculo ſunt, biduum fere vel triduum, donec in mammis lac appareat, permanentes.

DOLORUM SECUNDORUM CAUSÆ.

Dolorum ſecundorum cauſae ſunt, primum uteri, in priſtinum ſtatum redire tendentis, per ſe contractio; dein eadem cruorem coactum, aut placentae fruſta, poſt partum intus ſubſiſtentia, expellere nitens; tum aer inteſtinis concluſus; denique, lochiorum ſuppreſſio repentina; poſtremo, magna uteri ex partus laboribus ligamentorum diſtenſio.

Quod ad harum ſecundam ordine attinet; poſt partum ex uteri et placentae ruptis vaſis ſanguis profluens, totum cavum replens, quieſcendo cogitur, et uteri fibras muſculares irritat. Unde harum, pro irritantis cauſae magnitudine, contractiones violentae, eoque dolorificae, exiſtunt.

Abundat vero in inteſtinis aer, partim quia haec, ſublato vicino, quo preſſae erant, onere, nunc laxata, irruentem quaſi in vacuum aera facile recipiunt, rarioremque receptum ſuo calore faciunt; partim, quia jam ante in ventriculo, perturbata partus laboribus digeſtione, alimento parum concocto, aer utcunque emiſſus, et non dein reſorptus, facilem in inteſtina viam ſibi invenit.

Si

Si autem ſuppreſſa quacunque lochia ſunt, tum cruor in uterum vaſta copia congeſtus, et totum replens, non ſolum ex irritatione, ſed inflammatione forte accenſa, dolores, ad peritonaeum, et univerſos abdominis muſculos, facile per continuatam membranam, ſenſim tranſituros, concitat.

Quin et aliunde quoque, vel ex parte, vel ex toto, nempe a ligamentorum uteri, iiſdem partus laboribus diſtentorum, lumboſque et inguina, ob ſuam cum his conjunctionem, afficientium, affectione dolores eſſe poſſunt.

DOLORUM SECUNDORUM CURATIO.

Cum uteri, ſe in priſtinum ſtatum reſtituere nitentis, contractio violenta dolores gignit, opio et foto abdomine ſedanda eſt.

Eoſdem facientia placentae fruſta, cruorve coactus, extrahenda manu, quibuſdam, ut Smellio, viſa ſunt. Quod minus hoc idoneum eſt, quod tale opus ipſum doloris cauſa eſt, et, materia auferenda uſque renaſcente, ſaepius repetitum, inflammationem efficere periclitatur. Aquae calidae, variis refertae vaporibus, quos alii in vaginam inſinuandos cenſuerunt, prope omni virtute vacant. Adeoque omnis hujuſmodi opera vana reperta eſt, ut ipſius uteri contractioni iſtarum rerum rejectionem relinquere, optimum factu, plerique nunc conſentiant. Cujus utique contractionis, quo certior effectus ſit, ſi jam altero a partu die de hac expulſione agitur, ſedere erecta, vel etiam levari, mulier debet, ut, ſic expulſa nocente materia, futuris caſibus occurratur. Fruſtra quoque forſan eſt ſupra os pubis manu premere. Neque aliud quicquam moliendum, niſi, ſi vehementiſſimi dolores ſunt, ut opio irritatio ſedetur. Quod ipſum quoque praeſtare, vel opii opus adjuvare, fomenta ex aqua et lacte veſica incluſis, vel panni lanei in decocto florum camomeli madefacti, abdomini admota, et aqua calida in alvum immiſſa, ſpectatae ſunt virtutis. Adeoque non, ut nonnulli credunt, opium lochia ſupprimit, ut e contrario omnibus aliis rebus praeſentius ea expediat, quod multiplex nunc experientia confirmavit. Haec in vehementium dolorum curatione facienda ſunt. Qui, cum intra modum conſiſtunt, non ſolicita cura ſedandi, ſed, ut actionis validae, rebus alienis emoliendis idoneae, indicium, miſſi faciendi ſunt. Sed cauſae extra uterum poſitae non eadem ratio eſt. Quae, ubi rarefactus in inteſtinis aer eſt, clyſteribus carminativis, quae vox inepte diu adhibita eſt, ex gummi foetidorum aliquo (maxime idonea aſſafoetida eſt), conſtantibus ejicienda eſt; neve novus

aer

aer gignatur, idoneae materiae et concoctu facilis victu, potione frigidae vitata, curandum.

E ligamentorum diſtenſione pendentibus doloribus, illorum quiete, idoneo corporis habitu, victu refrigerante, et adminiſtratione antiphlogiſtica, ſubveniendum. Quo in caſu, ſi oleoſa, ut amygdalarum dulcium oleum, et ſpermacete, profuiſſe dicuntur, laudano, quod cum medicamento conjungi jubetur, ea tribuenda virtus.

DE FEBRE PUERPERALI.

AUCTORE HEN. SLAUGHTER.

FEBRIS puerperalis ſub finem diei ſecundi, vel ineunte tertio, puerperas adoritur: Nonnunquam ad ſextum, vel ultra, differuntur acceſſus febriles.

Horror et frigus prima fere ordine obſervantur ſymptomata; in paucis violenta, frequentius levia, et paroxyſmis inaequalibus redeuntia.

Pulſus parvi plerumque et celeres ſunt, debilitate in nonnullis vix numerabiles; perraro duri vel fortes, niſi iis quae validum et plenum corporis habitum ſortiuntur.

Reſpiratio difficilis eſt, et ſaepius cum abdominis doloribus incrementa capit; aliis autem pulmones revera inflammantur.

Anxietate, ſuſpiriis, laborant multae; quaſdam ea urget debilitas, ut vix ſecundo vel tertio morbi die ſeſe movere, vel in latus utrumvis decumbere, valeant.

Lingua nonnullis parum afficitur, niſi ſub febris terminum, ubi aſpera, ſicca, ſubnigra evadit; aliis ab initio arida eſt, et his etiam ſitis ingens obſervatur: Haec autem minus plerumque, quam in aliis febribus, aegras torquet.

Dolores hypogaſtrium, imo totum abdomen, occupant, quod tactu immaniter dolet; quibuſdam, praecipue in regione iliaca, in pube vel inguine ſaevierunt: Plurimis epigaſtrium dolore torquetur ad ventriculum et coſtas ſpurias.

Vomitus violentus, frequens, viſcidus, initio ſubflavus vel viridis, debacchante febre, aqueus et niger evadit. Diarrhoea ejuſdem ferme indolis eſt: Sed neque diarrhoea nec vomitus perpetua lege febrem incipientem comitatur.

Lochia crebro nec deficiunt nec vitiantur; aliis evaneſcunt, vel in nigra et putrida mutantur.

Minuitur,

Minuitur, imo ſupprimitur, lactis ſecretio: non autem in univerſum id fit; nam ad mortem uſque effluere aliquoties contingit.

Urina primis morbi diebus aegre ac parce ſecernitur, valde rubet, nec, niſi miteſcente febre, ſedimentum deponere nota eſt.

Pervigiliis vexantur aegrae cum immani et perpetuo prope ſincipitis dolore: Oculi ſimul triſtes et hebetes apparent, a primis etiam morbi diebus.

Circa tertium vel quartum febris diem, haud raro tumeſcit abdomen, et ſimul adeſt vultus anxius, ferox, circumſcriptus genarum et labiorum livor, narium expanſio, dolores aliquot ante mortem horis minuuntur, evaneſcunt.

Triplici modo ſolutum morbum obſervavit Hulme, diarrhoea nimirum, ſudore, et urina. Whytt, per diarrhoeam ſolummodo certam fieri morbi ſolutionem, contendit. Leake adeo per febris violentiam proſtrari vires aſſerit, ut rariſſime criſi ſufficiant, niſi forte omenti ſuppurationem pro critico naturae molimine habeas, quae (cum in cauſa morboſa debellanda ipſam ad exteriora propellere non valeat) lethalem partium nobiliorum affectionem excitet.

PATHOLOGIA.

Cum puerperae hac febre correptae ſummo in periculo verſentur, cumque haec, data coeli temperie, ſummas ſaepiſſime ſtrages ediderit; a primis quaſi medicinae incunabulis, ad noſtram uſque aetatem, pluribus notatam fuiſſe non mirabimur. Nec tamen (quod magis miratione dignum) de ipſius natura inter auctores convenit, de ipſa etiam mali ſede litigatur, licet per diſſectiones repetitas de ea certiores fieri ſummopere contenderunt.

Innumerae fere recenſentur apud auctores de hoc morbo ſententiae; quas omnes, in hujuſmodi diſſertatiuncula, numerare ſupervacuum forſan et inutile duceretur. Qui praecipui de hac re ſcripſerunt, ii vel in uteri inflammatione morbi ſedem collocant, vel in omento et inteſtinis maxime affectis ponendam contendunt. Hi etiam febre ſynocha plerumque vexari aegras affirmant. Alii vero febrem contagioſam ſemper, imo putridam eſſe judicant. Nobis illi maxime arrident, qui in omento et inteſtinis laeſis affectionem localem ſiſtunt: An vero inflammentur, an eryſipelate laborent, brevi explorabimus.

Qui * inflammatum uterum in hoc morbo opinantur ex do-

* Vid. Johnſon de febre puerperali.

loribus hypogaſtrium et pubem primo obſidentibus, exinde ad reliquas corporis partes ſerpentibus, ex febre poſt partum ſolummodo obſervabili, ex lochiis plerumque ſuppreſſis, veterum ſententiam ſtabilire aggrediuntur; ſpecioſe quidem, an vere, ex ſequentibus forſan judicare liceat.

Quod ad dolores attinet, rarius ii forſan, quam a pleriſque exiſtimetur, in hypogaſtrio occurrunt. Leake in epigaſtrio dolores oriri aſſerit, unde in totum abdomen diffundantur; et quamvis in hypogaſtrio nonnullis incipiant, et ſitu et ſymptomatis ab inflammato utero diſcrepant, uti poſtea in diagnoſi obſervabimus: Omentum hic etiam revera affici probant exempla quaedam a celeberrimo Hulme allata; ipſe enim ſex mulieres hac febre extinctas ſecuerat, quarum binae de hypogaſtrio dolente conqueſtae fuerant. His autem omenta in pelvem deſcenderant; uni praecipue per inflata inteſtina arcte in pubem appreſſum reperiebatur id viſcus: Reliquis epigaſtrium angebatur.

Morbum hunc puerperis proprium eſſe omnino profitendum eſt; cur ita ſe res habeat, me poſtea demonſtraturum confido.

Lochiorum ſuppreſſionem ex febris et alvinarum evacuationum violentia pendere, haud abſimile eſt: Saepiſſime etiam ad mortem fluunt, nec in iis quibus ſuppreſſa fuerant, ulla ſaepe poſt mortem innotuit uteri inflammatio.

Ex his igitur argumentis, rejicienda videtur uteri inflammatio; maxime cum ipſae cadaverum ſectiones omentum et inteſtina primario affici oſtendant: In omnibus enim ſectorum cadaverum exemplis, a celeberrimis viris Pouteau, Hulme, Leake, et Home memoratis, aliqua ſaltem aderat horum viſcerum inflammatio, cum pauca tantum uterum affectum demonſtrarunt. Imo ſuppuratione et gangraena exeſum fuiſſe omentum, ſano et intacto ipſo utero, plurimae docuerunt diſſectionum hiſtoriae. Uterum igitur magis, e partium tabefactarum vicinio, vel cauſis alienis, affectum, quam tabi adeo horrendae originem fere ſanum praebuiſſe crediderim.

Hactenus de ſede mali, nunc de ipſius natura, inquirendum eſt. Duplex autem oritur de hac re ſententia: Alii enim affectionem, ut jam diximus, inflammatoriam, eryſipelatoſam alii, contendunt.

Minor forſan adeſt quam in vera viſcerum abdominalium inflammatione dolor, minor etiam vomitus, nec alvus aſtricta eſt: Pulſus etiam, in quibuſdam puerperis, fortes et duri, nec tantis cruciatibus jactantur hac febre correptae, ac in vera enteritide contingit.

An

An igitur eryſipelatoſa? Sequentia habet celeberrimus Home: "This appears probable, 1ſt, As this fever has much the appearance of eryſipelas from the ſenſation of internal heat, from the quickneſs of its courſe, &c. 2d, Purgatives and camphire are found uſeful in it as in eryſipelas. 3d, Reid had ſmall external tumors which ſeemed to have ſome reſemblance to eryſipelas, and were perhaps partial attempts of nature to produce it. 4th, The eryſipelas at that time was epidemic in the Infirmary, and beyond all doubt infectious, though it was never before thought to be ſo †," &c.

Inſignis haec certe viri et argumentorum gravitas: Eryſipelatoſam affectionis topicae naturam vix probant tamen praegreſſae rationes; cum vero de hac re viris in medicina praeſtantiſſimis me opponam, dubius quae huic opinioni oppugnare videntur argumenta propono.

Ut igitur a primis ordiamur, calor ille omne revera eryſipelas internum comitatur: Idem vero cuicumque cumulationi ſanguinis notabili ſaepiſſime deberi, non minus certum eſt: Opportune in exemplum veniunt illae febres Vogellio Leipyriae dictae, in quibus, dum extrema algent, interna uruntur.

Feliciter quidem purgantia in hoc morbo adhiberi, neminem latet; eadem vero cuicunque fere viſcerum congeſtioni convenire, omnibus pariter notum arbitror.

Camphora olim a clariſſimo Pouteau, nuperrime autem ab illuſtriſſimo praelectionum clinicarum Profeſſore laudata, in hac febre vix eryſipelatoſam ejus diſpoſitionem oſtentare videtur: Camphoram enim eximia virtute antiſeptica praeditam novimus; hinc morbis contagioſis, iis praecipue qui in putredinem vergunt, praeprimis utilem.

Tubercula illa ſupra commemorata, quae eryſipelatis ſpeciem retulerunt, dum ſimul is morbus in noſocomio contagioſus erat, et ſimilem febris indolem indicaſſe videntur. Sed nec iſtae rationes huic ſententiae ſtabiliendae ſufficiunt: Nam, in plurimis morbis malignis, talia oriuntur exanthemata, quae peſſimam ſaepe ipſorum indolem arguant. In pleuritide autem, eryſipelas morbum non raro ſolvit: Ex illuſtriſſimo etiam Profeſſore videmus obſtetricem, cum ſervula, quae puerperarum curam geſſerat, febribus exinde corripi; nec ulla tamen de eruptione eryſipelatoſa mentio ſit, quae his etiam in aliqua corporis parte apparuiſſet, ſi febris haec contagioſa ſimul et exanthematica fuiſſet.

Praecipuis jam de ſede mali recenſitis auctorum ſententiis, breviter quae de febre comitante ſenſerint abſolvemus. Alii

† Home's Clinical Experiments.

contagioſam, inflammatoriam alii, affirmant; ab ipſis autem febris inflammatoriae fautoribus nonnunquam in contagioſarum claſſem abire, in confeſſo eſt: Reſtat igitur ut argumenta inveſtigemus, quibus inflammatoria eſſe confirmatur. Juvat hic celeber. in arte viri verba in medium proferre *: "The child-bed fever, when produced by a diſtemperature of the air, &c. may at laſt become infectious; but when it only ariſes from ſuch accidental cauſes as have already been enumerated, and which are confined to particular habits and conſtitutions, it will end where it began, and never communicate itſelf to a ſecond perſon."

Cauſae certe inflammatoriam eſſe febrem in quibuſdam demonſtrant: Sic ex infelici excalefacientium uſu, ex lecto citius relicto, aeris frigidi acceſſu, ſubitis et violentis animi motibus, febrem proveniſſe teſtantur omnes. Idem et ſuadere videtur morbi hiſtoria; nam pulſus ſaepe durus eſt et validus, ſitis ingens, cutis arida Ex conſideratis autem medendi conſiliis, a Leake et Johnſon feliciter uſurpatis, vix dubitandi locus remanere poterit. Uterque enim venaeſectiones et regiminis antiphlogiſtici uſum commendat; Leake haec remedia omnibus in hac febre hucuſque tentatis praetulit. Nec latet interea, febres nonnullas putridiſſimas ab inflammatione incipere. Ægre hae tamen venaeſectionem admittunt, nunquam, ut puto, liberrimas illas ſanguinis vacuationes quibus haec febris oppugnata fuerit. Harum pulcherrima reperiuntur apud Leake et Van Swieten exempla. Prior de puella memorat, quae febre puerperali ſimul et pleuritide vexabatur: Hanc, vena quinquies ſecta, e morte eripuit. Van Swieten ex Tulpio ſequentem habet hiſtoriam: "Dum octavo a partu die acerbiſſimus lateris dolor corripuiſſet puellam, Tulpius, cum identidem novis inſultibus urgeret dolor, ter pedis et quinquies brachii venas ſolvere debuit. Tantam autem ſanguinis jacturam non ſolum toleravit, ſed et ingens alvi profluvium ſuſtinere debuit, antequam integre debellaretur morbus."

Perpenſis jam, pro genio et viribus, quae de hoc morbo praecipue ſenſerint recentiores, quid nobis ex aſſidua eorum perlectione viſum fuerit, paucis enarrabimus.

Affectionem localem ex magna parte mutatae poſt partum circulationi cum Leake tribuendam cenſeo †; contractis enim utero ejuſque vaſis, ſanguis minori copia in iſta derivatur; ſummota etiam uteri preſſura, ſanguis in vaſa contigua tanta velocitate impingit, ut eorum reſiſtendi vires facile ſuperet, vehementerque diſtendat: Unde dolores ac febres excitantur,

* Vid. Leake.

† Vid. Leake on child-bed fevers.

praecipue

praecipue autem in omento et inteſtinis, ubi vaſa plurima, eaque laxa, inſeruntur. Inflammationes autem ex tali diſpoſitione non naſci, per ipſa hujus febris ſymptomata probatum credimus. Hinc congeſtionem magis, ſive inflammationis id genus celeb. M'Bride Paſſivum dictum, oriri veriſimile eſt; convulſivis enim uteri, diaphragmatis, et muſculorum abdominalium motibus, inter partus labores agitantur, debilitantur laxa omenti vaſcula. Paucis poſt partum horis, ad naturalem magnitudinem regreditur uterus; exinde omentum ſolito adminiculo privatur, aliaque hinc profluit debilitatis origo: Talem etiam laxitatem ipſi affectionis limites indicant, quae omento et inteſtinis, utpote laxioribus frequentius, rarius autem peritonaeo membranae firmae, durae communicetur: Sed in omento potius quam inteſtinis malum ſaeviiſſe conſtitit, laxiore ſcilicet, nec firmo quovis viſcere ſuſtentato. Diarrhoea forſan laxatas vaſorum extremitates arguit.

Ipſi dolores congeſtionem notant; nam, ut celeberrimi Whyte verbis utar, "The patients complain chiefly of a tenſion, ſoreneſs, and tenderneſs of the belly," &c.

Ipſa denique materiei in abdomine effuſae indoles vaſa exhalantia, laxa, debilia, enunciare videtur. Et, cum effuſi fluidi exſtent exempla, dum nulla viſcerum affectio oculis detegeretur, certe hanc non niſi a partium relaxatione ortam fuiſſe credendum eſt.

Si talis in omnibus puerperis obtineat diſpoſitio, facillime explicatur abſoluta hujus morbi a quavis febre efformatio. Febres enim prope omnes, ſive contagioſae ſive inflammatoriae fuerint, ab horrore incipiunt *; ſimul ſecretiones perſpirationis et urinae minuuntur; ſic fluida majori copia verſus interna derivantur, et, ſimul aucta fluidorum ad ſolida ratione, impetu majori in vaſa debilitata impingunt. Quantum vero valeat mutata haec fluidorum circulatio docet intermittentium exemplum, quibus ſcirrhi in partibus antea ſanis progeniti fuerint, nullis poſtea remediis ſuperabiles. In ipſa etiam febre puerperali, elucent horripilationis effectus; quotieſcunque enim repetuntur horrores, ſemper id fit cum notabili vomitus et diarrhoeae exacerbatione. Eodem forſan ſpectat, quod cutis arida ſemper humida pejor ſit. Dolores igitur, diarrhoeae et vomitus, aeque febris inflammatoriae ac contagioſae ſymptomata ſunt, ex peculiari puerperarum habitu oriunda.

Videtur autem abdominis affectio in nonnullis idiopathica; multi enim, et fide digni, abdominis dolores febrem praeceſſiſſe memorant: Multas etiam cauſas excitantes in abdomen

* Vid. Leake.

tantum

tantum agere perſpicuum eſt. Abdominis nimirum laeſiones, lectus nimis cito relictus, faſciae arctius abdomini circumdatae, irritando agent: Unde fluida in vaſis irritatis cumulantur, quod in partibus adeo vitae neceſſariis diu ſine febre continuari nequit: Hinc pulſus frequens, durus, validus, cutis arida, &c. in validae temperiei foeminis; cum autem per partus labores, per lochiorum effluxum, debilitentur puerperae, ita et pulſus plerumque debiles, vacillantes, inaequales erunt, cum ſumma virium jactura.

DIAGNOSIS.

Cum morbi numero fere in infinitum augeantur, fieri vix poterit quin plurimorum communia interveniant ſymptomata. Unde ingens audit diagnoſeos utilitas. Febris puerperalis ſigna, doloribus partui ſupervenientibus, febri lacteae, et hyſteritidi, maxime affinia videntur.

Dolores autem illi et ſitu diſcrepant, et magis limitantur; quin magis remittentes, minus iidem febriles obſervantur.

Febris lactea hoc diſtat a puerperali, quod in priori abdomen tactum non refugiat; in poſteriori vero, mammae nec tenſione nec duritie urgeantur, nec dolores a mammis ad axillas emicare obſervati.

In hyſteritide plurima occurrunt quibus a febre noſtra facillime dignoſcatur. Nam in puerperarum febre nullus adeſt gravitatis ſenſus, non tumor, non dolor pulſatilis, profundus, nec os uteri tactu dolet, nec alvus aſtringitur.

PROGNOSIS.

Eo magis diſcrimen habet haec febris, quo citius partui ſupervenit; multum etiam cauſarum indoli et durationi debetur. Periculum certe movent incuria et excalefacientium uſitata, ſed pernicioſa, exhibitio.

Pulſus celeres, parvi, debiles, praecipue ſi ſimul reſpiratione contracta difficili laboret aegra, morbum exitialem denunciant. Si pulſus rariores fiunt et pleniores, in melius rem vergere indicio eſt. Variabiles fidem non admittunt. Nec aliorum ſymptomatum remiſſioni fidendum eſt, ni minuatur pulſuum frequentia.

Si tumor abdomen occupet, purgantibus non auferendus, ſimulque anxia ſit aegra, cum faciei et labiorum livore, ſi ſubito et ſine cauſa evidente abierint dolores, praeſentiſſimam mortem facile praevideris.

Quae putredinis ſigna patent, petechiarum, dejectionum foetidarum,

foetidarum, ſubnigrarum, exemplo, in nulla non febre urgentis periculi indicationem praebere, neminem latebit.

Inquietudo, membrorum moleſtia, eryſipelas externum, magnam febris violentiam, malignitatem denotant.

PROPHYLAXIS.

De morbi praeventione fuſius tractavit illuſtriſſimus Whyte: Omnia forſan de morbo evitando principia tribus his continentur; in contagio ſcilicet, ejuſque cauſis praediſponentibus, debellandis; in diatheſi phlogiſtica, per debita remedia expugnanda; tum ea omnia praecavendo, quae congeſtiones in viſceribus abdominalibus excitent. Quaedam hic occurrunt ſpeciatim nominanda, quae evidenter ſub praecedentibus indicationibus cadunt.

1mo, Faecum retentionem maxime nocere, teſtantur omnes. Hulme puerperas omnes, hac febre correptas, maxime in periculo verſari ait, quibus ante partum alvus tarda fuiſſet. Unde curandum cenſet Whyte, ut quotidie ſolvatur alvus (ni ſponte deponat) per clyſmata laxantia vel cathartica mitiora, ſi priora minus reſpondeant, vel ab aegris rejiciantur.

2do, Lochiorum in utero cumulationi praevenitur, ſi puerperae ſaepius de die erecte ſedeant, ſi capite et humeris (quantum id commode fiat) elevatis decumbant: Suppreſſis emmenagoga ſtimulantia exhiberi perniciosiſſimum.

3tio, Quantum valeant animi affectus in corporibus ſaniſſimis turbandis, omnibus notum arbitror: Sedulo igitur evitanda ea quae iram, triſtitiam, metum, gaudium moveant, vel aegras quocunque modo concitent.

4to, Debilitas et contagioni et congeſtioni favet. Curatur, ſi gravidis inſtet, per aquas ſpadanas, et corticem Peruvianum; juvabit etiam exercitium leve ſub coelo puro, aperto, cum diaeta plena, roborante.

Sin vero a nimio lochiorum fluxu debilitentur puerperae, infuſum corticis exterioris aurantiorum, cum cortice Peruviano et elixir vitrioli, rite celebrantur, et cuivis puerperii tempori aptantur.

5to, Si turbae in ſyſtemate concitentur, pro variata cauſa, diverſa exigetur medela. Opiata plerumque huic ſcopo ſufficiunt. Multum praedicantur etiam a celeb. Hamilton, A. O. P. caſtorei virtutes; ſomnumque ab eo (modo recens in pulverem redacto) inductum, ſaepe poſt opium, ſpe vana, repetitum memorat.

6to, Humiditatem, calorem, frigus, ſedulo vitanda volunt practici;

practici; qui autem atmoſpherae humidae ſubveniatur, haud ita conſtat.

METHODUS MEDENDI.

Horripilationes moderandas volunt medici per calida externe applicata, per diluentia levia interne etiam exhibita.

De venaeſectione multum diſcrepant; hi etenim nunquam, hi quibuſcunque fere hac febre laborantibus miniſtrandam contendunt: Alias prodeſſe, nocere alias, recte, ut videtur, commonet illuſtriſſimus Home. Si febre contagioſa laborent puerperae, obnoxiam plerumque futuram eſſe vix dubium eſt. Si vero, cute arida, ſiti ingente, dolore lateris pungente, pulſu forti, frequente, corripiatur aegra, proderunt forſan et repetitae venaeſectiones.

Alvus in hoc morbo ſemper aperta ſervanda eſt; hinc commendantur clyſmata ex ſaccharo culinari cum aqua tepida; purgantia ex ſale cathartico amaro, ex oleo ricini, cremore tartari, aliiſque purgantibus quae ſine ſtimulo alvum ſolvunt.

Si nauſea vexentur aegrae, emetica jure propinantur, ſin minus id eveniat, omnino ſupervacua videntur.

Quando, urgente nauſea, vomitus per delirium vel plethoram prohibetur, juvabunt forſan hauſtus ſalini effervefcentes. Vomitum ex vitiata bile moleſtum levabit radix columbo, ad drach. ſemiſ. adhibita, cum pari tartari vitriolati quantitate, ſi alvus tardior evaſerit.

Diarrhoea ſpontanea per diluentia, refrigerantia, acida, antiſeptica, promovetur. Nonnunquam vero ex mitiſſimis etiam (tanta eſt irritabilitas) ſtimulantur inteſtina; commode hic adjiciuntur ſpermacete, et gummi Arabicum, quae partes adeo mobiles mucilagine ſua obvolvant.

Si diarrhoeae ſuccumbat aegra, vires per nutrientia ſuſtinendae ſunt; hujuſmodi ſunt ſago, ſalep, quibus immiſceatur exigua ſpirituum ardentium quantitas.

Moderanda ſimul, non ſupprimenda, diarrhoea per clyſmata ex amylo cum pauxillo tincturae thebaicae, per confectionem damocratis, cardiacam, &c. per tartarum emeticum cum opiato, quae ſimul ad ſuperficiem determinant: Ad vires reſtituendas proderunt elixir vitrioli et cortex Peruvianus.

Si putredinis ſymptomata appareant, camphora utiliſſime exhibebitur: Laudantur etiam aer moderate frigidus, acida vegetabilia, munditiés, manuum, faciei, dentium lotiones, lintea quotidie mutanda, niſi id ſudores vetent.

Perſpiratio per diluentia augetur, efficacius vero per ipecacuanham

cacuanham opio admiſtam, quae bis terve de die, cum hauſtibus ſalinis interpoſitis, praeſcribantur.

Abdominis dolores levant cataplaſmata emollientia, fomenta, forſan epiſpaſtica camphorata, vel rubefacientia. Leake, ad ſedandos dolores, opium exhibendum jubet.

Tuſſis et dyſpnoea per veſicatoria inter ſcapulas, per ſolutiones ſp. cet. vel guttulas aliquot tincturae thebaicae, ſublevantur. Laterum dolores per veſicantia parti dolenti applicata, per radicem etiam ſenekae, ad drach. ſemiſ. bis terve de die aſſumptam, minuuntur.

MORBI INFANTILES.

DE MORBIS INFANTIUM ARCENDIS ET CURANDIS.

AUCTORE G. LOGAN.

P R O OE M I U M.

VIX aliud genus humanum tantum ab animantibus reliquis, quantum infantia ſua longa et diuturna, ſecernit. Caeterorum animalium progenies, uſque a partu valentior, negotii parum eam nutrienti faceſſit, auxiliumque mediocre tantum deſiderat; inſtinctu multiplice praedita perfectionem, a natura datam, cito attingit, et ſibi prius conſuluit, quam parentes rurſus, quod brevi faciunt, coeant, et altera nova ſoboles renaſcatur. Hebdomadae paucae, ad plurimum menſes non multi, officiorum parentum et amoris in prolem ſuam finem facere conſueverunt.

Contra, ſi animum ad hiſtoriam generis humani naturalem rite conſiderandam adjungas, tibi longe diverſa in oculis ſita ſunt. Infantia ſua taedii plena et longa eſt, et morbi, quibus obnoxia, quamvis pauci, obſcuritate ſumma involuti, curam maximam et attentionem diligentiſſimam nunquam non exigunt.

Ex modo, quo infantulus prima aetate nutriatur, firma ejus valetudo, corporis vigor, et ingenium, quantum ad ſocietatem hominum et conjunctionem attineat, bonum pravumve, per totum vitae decurſum, magnopere pendet. Haud ideo mirandum eſt, cum medicos tum philoſophos ad argumentum hoc, tam utile tamque grave, ſedulo perpendendum tantum

incubuiſſe, et theorias in eorundem inveſtigationibus excogitatas, et non pauca in lucem prolata fuiſſe, quae nemo, felicitatis mortalium genuinae promovendae cupidus, a ſeſe aliena eſſe putat.

Morbos, nihilominus, quibus corpus humanum ſit objectum, quicunque diverſos contemplatur, qui infantes infeſtant, eos nondum ſatis accurate et plene ſcriptores executos eſſe, compertum habebit, licet generis humani ſalus et conſervatio, ex cura in periculum omnigenum ab infantibus propulſandum inſumpta, manifeſtiſſime pendeat.

Soboles humana nutricatum magis accuratum, opemque magis continuam, quam caeterorum animalium, ſub initium vitae, requirit; et, his etiam diligenter adhibitis, morbis mortique multo magis patet. Si vero parentes, in liberis ſuis educandis, ab exemplo naturae non tantum deflecterent, plus ſibi vigeret progenies, et adverſus malorum violentiam magis tuta foret. Hoc abunde probat exemplum Indorum qui Americam, Barbarorum qui Africam, incolunt; hoc etiam puerorum noſtratum parentibus pauperioribus ortorum, qui, nec luxurioſe nec molliter aliti, pignora divitum, corporis viribus et vigore longe praecedunt, cohorti morborum illi metuendae, quae terris incubuerit, minus objecti.

Cum medici munus et artis ſuae conſilium attenti perpendimus, neutiquam dubitari poteſt, quin illius ſit, non tantum morbos ſanare et levare, ſed etiam, ne invadant, cavere: Diſſertatiunculam igitur noſtram in duas partes dividendam putavimus; quarum prior, de morbis infantum arcendis; poſterior, de morborum, quibus pateant, cauſis et curatione, aget.

Pueros autem a morbis tuentur ratio eoſdem per infantiam nutriendi idonea, veſtitus, cibus, exercitatio aetati tenellae accommodata, aer ſalubris. De ſingulis pauca dicenda.

DE INFANTIUM VESTITU.

Quantum veſtitum ſpectat, natura non tam infanti humano, quam aliorum animalium ſoboli, cui talem veſtitum dederit, qualis, calori materno adjunctus, eam adverſus frigus ſatis tutam conſervet, benigna proſpexit. Proles humana abſque ullo veſtitu naturali in lucem prodit; unde majorem frigoris gradum, quam vulgo creditur, ab illa ſuſtineri poſſe pateſcit *. Quae hoc probant exempla complura non deſunt. Infantuli omnis veſtitus expertes, cum temporibus antiquis, tum recentioribus, aeri frigidiſſimo in ſpatium longum, idque tuto, ſae-

* Gregory's Comp. View, p. 43.

pius

pius objecti ſunt, modo in locis ſolis et vaſtis, modo in viis urbium celebrium publicis, a matribus crudelibus deſtituti.

Veſtes infanti vix juſto leviores eſſe poſſunt, cum adulto, caeteris paribus, calidior ſit, et igitur non adeo veſtitus indigeat. Nutrices vero delirae frigus ad pueros in lucem recens editos, abſque ſummo periculo, adſpirare non poſſe ſibi in animum induxerunt; et igitur copia veſtium ſuperflua quam primum onerandos eſſe curant; unde pernicies illis miſeranda non raro oriri conſuevit. Effectus autem veſtitus nimii nunquam magis funeſti ſunt, quam cum faſciae ſimul adhibentur, quae, corpori diu admotae, citius ſeriuſve deformitatem, ſaepius pulmonum vitia, progignunt. Haec mala quidem foeminas magis, quam mares, invadunt. Quibus pueris veſtimenta corpus nimis conſtringunt, haud illis motus inteſtinorum proprius rite peragitur, nec artus ſatis moventur, nec vires parvulae facile libereque, uti decet, exercentur; igitur invalidi ſint oportet. Quinetiam, circuitus ſanguineus faſciis ſimilibuſque plus ſatis repreſſus et retardatus, tumores in corporibus eorum tenellis ſaepius excitat, quos nutricula, quam vera illorum ſcaturigo omnino lateat, ab aliqua cauſa miranda et incredibili profluere ſuperſtitioſa contendit.

Contra, matri, cui tanta veſtium copia minime ſuppetat, prolem ſuam leviuſcule tantum indutam, brevi valentem, vigentem, et opis alienae haudquaquam indigam, videre contingit. Limitibus naturae, paupertate ſua ita jubente, continetur, et felicitate, cujus neutiquam conſcia ſit, cujuſque cauſam prorſus ignoret, perfruitur; dum infantulus valetudinarius et infirmus, magnae familiae ſpes et haeres, mole veſtium graviore oppreſſus langueſcit, et tandem opinionum nutriculae inſanientis, quam longiſſime ab omni ratione abhorrentium, vel amoris materni nimii et curae perperam collocatae, poenas, proh dolor! horrendas perſolvit.

Infantes, per menſes quatuor a partu proximos, modico foveantur calore; poſtea vero veſtes illis ſenſim imminuantur. Nec caleamentis nec tibialibus utantur; quippe quae, ab urina caeteriſque madefacta, ſaepius in cauſa immunditiae foediſſimae ſint, et anxietatem vagitumque fere continuum, aliquando etiam convulſiones, cute tenella irritanda, &c. ciere ſoleant.

Inter omnes autem, nihil ad valetudinem pueri tuendam corpuſque firmandum plus poſſe conferre, quam eum ab omnibus ſordibus prorſus immunem ſervare, firme conſenſum.

Veſtimenta illi ſubinde mutentur. Quidam huic, plane fatendum, acriter adverſantur, et puerum, quo ſaepius veſtes mutat, eo magis habitu corporeo tenuem debilemque fieri pu-

tant. Caeterum haec opinio, utpote quae nil niſi praejudicium, quod animis vulgi altius inſederit, abſurdum et ridiculum ſit, ex toto repudianda.

DE RATIONE VICTUS INFANTIBUS IDONEA.

Qualis puerorum cibus ſit, et quo tempore adminiſtretur, plurimum intereſt.

Ars, niſi inſtinctus exemplar in pueris tollendis accurate ſequatur, tantum abeſt ut proſit, ut etiam magnopere noceat; in errorem, hoc duce, rarius incidit. Quid autem a naturae inſtitutis, quam conſuetudo ubera materna puero, ante diem tertium, non admovendi communis, magis alienum? Quid infanti, quid matri, magis nocivum?

Quod priorem ſpectat: Oppreſſus labore partus et defatigatus cibum, hoc tempore, quam maxime depoſtulare videtur; et, eo negato, tantopere ſaepe langueſcit, ut non multum abſit, quin, luce vix adhuc conſpecta, fato fungatur. Igitur mirum vagitus pueriles, qui haud dubie pro voce naturae alimenti praeſidium enixe precantis habendi ſunt, a parentibus aliiſque adeo deſpectui haberi.

Quinetiam materia viſcida, quae vulgo Meconium audit, inteſtina puerorum magna ex parte replet, e canali alimentario quam primum foras eliminanda. Hoc autem, ante omnia alia, praeſtant primae lactis humani ſecretiones, vel, uti appellatur, Coloſtra, quippe quae vi purgatrice et ſtimulante polleat. Lac igitur maternum, alimentum omnium longe ſaluberrimum, ab hora natali uſque, ſi fieri poſſit, puero dandum.

Quod ad poſteriorem attinet: Febris, quae a lacte nomen habet, tantamque ſtragem nonnunquam edit, ſeu a menſtruis ſuppreſſis et humoribus copioſius ſolito ad ubera delatis, ſeu, ut aliis placet, a lacte in vaſis mammarum ſtagnante, et acri reddito, ortum ducat, ſuctu maturo ſaepius arcetur.

Haec de conſuetudine pueros cibo a natura ſibi parato, in tot dies, defraudandi perniciosa dixiſſe ſufficiat.

Matrem unamquamque infantem ſuum lactare decet; hoc naturae vox, hoc valetudinis ſuae cura ſtudiumque jubent.

Mulier, dum ſe totam in pueris ſuis nutriendis ponit, morbis pleriſque vacat; quam maxime viget; et raro, prout obſervatio accuratiſſima docet, fato concedit. Mens illi plerumque erectior, facies pulchrior et rubicundior evadit; appetitus augeſcit. "Matronam nobilem, inquit Swietenius * celeberrimus, probe novi, cui, licet pueros octodecim enixa ſit,

* Vide Comment. in Aph. Boerhaav. 1354.

omneſque

omneſque lactarit, pulchritudo floſque juventae adeo non imminuta ſint, ut filiarum ſoror, quam mater, etiamnum videatur."

Num lac humanum, ante omnia alia, pueris necne conveniat, proximum eſt ut inquiramus.

Cum homines ad naturam animalium carnivororum aliquatenus accedant, cibus infantilis ex oleribus ſolis conſtare non debet. Lac autem maternum miſturam indolis animalis et vegetabilis illam genuinam, quae corpori puerili nutriendo optime inſerviat, et facillime concoqui poſſit, plane conſtituit. In modum cibi ex oleribus ſolis conflati aceſcit, licet fermentationi vinoſae non pateat; ad inſtar cibi animalis nutrit, licet alcaleſcentiae nocivae non opportuna ſit. Haec igitur naturae corporis humani quam maxime accommodatur.

Non defuerunt tamen auctores nonnulli, qui hanc pueros nutriendi rationem omnino condemnarunt, et in uſum lactis humani acriter invecti ſunt. In his fuit Helmontius, qui in locum lactis humani cibum, nec naturalem, nec aetati infantis tenelli congruentem, ſubſtituendum, pueroſque ſuos eodem alendos, curavit. Hic autem e cereviſia tenuiore et pane, portiuncula mellis illis admiſta, conſtabat: " Laudo, inquit*, pro puero noſtro, alimenta, quae pane tantiſper in tenui cereviſia bullito, cum melle deſpumato; ſin minus, cum ſaccharo, inſtituuntur, donec ſimul in mucilaginis, aut collae ſpeciem, ſive gelatinam, deveniunt."

Lac humanum vero non adhibendum eſſe contendit, quoniam aceſcit, et morbos periculoſos gignit, quoniamque nutrices, non ſolum morbis corporum ſuorum, ſed vitiis animorum quoque, pueros inficiunt, et eoſdem, niſi jam grandiuſculos, lactare non deſinunt. Multa praeterea ſubjicit, quae non minus abſurda ſunt, nec a ratione et veritate minus abludunt.

Quod ad miſturam Helmontianam attinet, multo magis quam lac humanum aceſcit, et morbos citius faciliuſque movet.

Quantum metum ejus, ne morbi nutricis cum puero communicentur, ſpectat; hoc quidem, ſi valetudine proſpera non utatur, accidere poteſt; quo vero totum hujuſce generis periculum praecaveatur, ſana et omni vitio vacans quam diligenter et curioſe quaerenda.

Quod de vitiis animi e nutrice in puerum tranſlatis in medium profert, nulli alii fundamento quam conjecturae merae, qua nihil fallacius, innititur; experientia enim quotidiana, pueris eodem parente genitis, eodemque lacte nutritis, mores et ingenia quam diverſiſſima fuiſſe, ſatis evincit. Quinetiam

† Vid. cap. de Nutritione Infantum.

auctor

auctor ingenioſus *, ſuper hoc ipſo argumento verba faciens, ſe lacte mulierculae bibacis, per totos menſes octodecim, nulla corpori animove noxa illata, nutritum eſſe teſtatur. Hoc etiam amplius adjiciendum putavit: Nonne illis quoque, qui lac humanum ut cauſam mentis corporiſve morborum repudiant, ſtupor aſininus libidove caprina, cum pueri nonnunquam lacte horum animalium victitent, pertimeſcenda ſunt?

Quicunque puer a matre vel nutrice lactatur, et non ſorbitionibus, aliiſque id genus ſtomacho ſuo alienis, nutritur, is adverſus multa incommoda tutus eſt.

Quantum neceſſarium tantum et nihil amplius fere ſugit, imperio naturae, quae illum haud unquam neglectui habet, ſubjectus. Sin vero ventriculum aliquando lacte nimis diſtendat, periculum exinde oriundum vomitus ſponte ſua motus, abſque dolore, et quaſi momento, tollit.

Qualis nutrix eſſe debeat, diligenter conſiderandum.

Si mater, ob lactis defectum vel quamlibet aliam cauſam, infantem ſuum nutrire non poſſit; haud dubie, ſi inſtinctus exemplum aemulari velis, nutrici, quae nuper pepererit, quae corpore firma ſit, quae pueris lactandis aſſueverit, committendus eſt: Nam a lege naturae, niſi propter cauſam graviſſimam, quam minime deflecti debet. Agendum eſt, ut nutrix nec admodum adoleſcentula, nec aetate nimis provecta ſit; ut nulli morbo a labe haereditaria oriundo pateat, nec ad iram caeteroſque affectus animi violentos proclivis ſit; ut oleribus potiſſimum victitet, et exercitatione modica utatur.

Qualia edulium potuſque infantibus conveniant.

Omnia ex farina triticea non fermentata, ovis butyroque confecta, vitanda. Cibus enim hujuſmodi, licet a pleriſque levis eſſe cenſeatur, aegre concoquitur, et appetitum proſternit. Cruſta vero farinacea igni nimis indurata vel ſemiuſta, quippe quae vim olei empyreumatici et poteſtatem habeant, ante omnia alia, ventriculum laedit. Liquores fermentati, cujuſcunque generis ſint, et omnia condimenta, pueris male conveniunt; quoniam, poteſtate concoctrice praeter modum exſuſcitata, ſaepius in cauſa ſunt, cur tantum cibi et potus in ventriculum ingurgitetur, quantum vires non reficiat, ſed opprimat et labefactet, neceſſe eſt. Hinc acor primis in viis morboſus non raro proficiſci ſolet.

Potus puerilis ex aqua ſimplice, vel lacte aqua diluto, con-

* Brouzet ſur l'Education Medicinale des Enfans, p. 175.

ſtabit.

ſtabit. Cibus, pro appetitu, magis minuſve copioſus ſit. Si avide ſumunt, ad libitum uſque edant.

Cum pueros ſorbitionibus ſolis nutrire, ab omnibus naturae inſtitutis et exemplis quam maxime alienum ſit, de eo nihil omnino hic loci dicendum putamus. Si mater, quod pepererit, lactare nequeat, vicem ejus, uti ſupra poſitum, nutrix ſana valenſque praeſtet oportet.

DE EXERCITATIONE, AERE, ET CETERIS, ÆTATI INFANTILI CONVENIENTIBUS.

Omnibus ad veſtitum cibumque puerorum ſpectantibus proviſis, ad exercitationem, aera, et cetera, iiſdem maxime idonea, dicenda venio.

Si corpus humanum oculis ſatis attentis contempleris, exercitationi motuique plane et perſpicue accommodatum eſſe, lubens concedes. Num natura omnia nobis membra, ſi deſidiae inertiaeque deſtinata forent, tanto vigore tantaque mobilitate inſtruenda curaſſet?

Exercitatio multum adulto, plurimum infanti, prodeſt.

Huic tanta ad motum proclivitas ineſt, ut ipſe non eo ſolum oblectetur, ſed omnia circa ſeſe moveri velit.

Quinetiam corporis infantilis conditio talis eſt, qualis exercitationem plane requirit. Pueri, quibus non multum aetatis adhuc acceſſerit, magis viſcerum congeſtionibus, quam adulti, patent. Illis vaſa ſanguinea, praeſertim cerebri, laxa et turgidula ſunt; ſecernentia haud ſpeciem diverſam prae ſeſe ferunt, humoribus viſcidis oppleta; hepar et lien magnopere diſtenta maximam abdominis partem replent. In noxas autem ab hac laxitate conſpicua oriundas, nihil aeque poteſt ac exercitatio, quae artubus vires et agilitatem, corpori univerſo vigorem, conciliat. "Minuit periculum (inquit Hallerus *) ſtagnationis, ventriculi robur auget, et digeſtionem adjuvat, cordis viribus auxiliatur, arterioſum ſanguinem conquaſſat et terit, venoſam accelerat, adipem ſanguini reddit, omneſque ſecretiones et excretiones regit incitatque."

Pueri non ſatis exercitati torpeſcunt, hebeſcunt, iracundi fiunt, et talem ſibi mobilitatem acquirunt, qualis fundamina multis morbis futuris, non ſolum infantiam, ſed aetatem quoque provectiorem infeſtantibus, velut rachitidi, dentitioni difficili, et aliis non paucis a ſyſtemate mobiliore ortum ducentibus, prima et nimis firma jaciat.

Duo autem exercitationis infantilis genera ſunt.

I. *Unum admodum puerulis convenit.* Complures infantium,

* Prim. lin. de mot. muſc.

qui

qui paucos menſes ſolummodo nati ſunt, ſaepiuſcule tantopere vigent, ut parum interdum abſit, quin e gremio nutricis exſiliant.

Pedes motant, brachia parvula jactitant, et arbitrio ſuo permiſſi huc illuc ſeſe volutant. Quaenam vero exercitatio, hoc tempore, tutiſſime adhibetur, eſt jactatio in tempus diuturnum continuata. Hac igitur nutrix ipſa alumnum ſuum conſtanter aſſueſcat, quoniam exinde non minus fructus, quam infans, capiet. Mater, ſi morbo cuilibet nervoſo pateat, idem faciet, et magis, ſi lac infantem nutrienti parcius ſecernatur, quoniam mammae humorem ſuum, corpore leniter exercitato, magis ubertim * effundunt. Exercitatio hujuſcemodi modica, in aliquot menſes, infanti ſufficiet.

II. *Alterum illis, quibus aliquanto plus aetatis acceſſerit.* Quaedam animalia, aliquamdiu poſt partum, exercitationem refugiunt, et quiete deſidiaque gaudent; qualia ſunt catuli, feles, &c: Contra, nonnulla recens nata ſemet plurimum exercere conſuerunt, velut pulli equini, agni, vituli, &c. quibus vires tantas, ut matres ſuas uſque a partu, ſugendi gratia, ſequi poſſint, natura ſubminiſtravit.. Quod homines ſpectat, res longe aliter ſeſe habet; omnis enim illorum exercitatio ab auxilio alieno petenda.

Caeterum, puerum ad eam aetatem jam perveniſſe ponimus, qua ſemetipſum exercitare poſſit. Octo novemve menſes natus quadam deambulandi cupiditate flagrat. Haud amplius igitur in ſinu nutricis geſtabitur, quod quidem profecto nimis frequenter fit, ſed, quantumcumque ſibi placuerit, pro viribus repet vel ambulabit.

Nulla inſtrumenta arte fabricata, dum puer ambulare docetur, adhibenda ſunt; quoniam deformitatem corporis non raro procreant. Quinetiam motum infanti naturalem et perneceſſarium impediunt, unde incrementum illi tardius procedit, vireſque labaſcunt.

Matres nonnullae copiam liberis ſuis per ſemet ambulandi non concedendam eſſe putant, ne in conſuetudinem incedendi pravam incidant, et ſeipſos multis injuriis externis, quales ſunt ictus, caſus, &c. objiciant. Nihil autem hujuſcemodi timendum; nam injuriae externae multo minus, quam inquietudo illa perpetua et graviſſima, quam ſervitio preſſi, et machinae firmiter alligati, exhaurire ſoleant, nocebunt. Quaecunque pueri manibus contingere cupient, ad ea, quam primum quadrupedes prorepere poſſunt, uſque ab aetate prima, et abſque ope aliena, accedant. Cupiditas illa inſignis † omnia

* V. Swieten Aph. 1354.

† Vid. Greg. Comp. View.

nia tangendi, et attente conſiderandi, pueris inſita, prudenter fovenda, nec illis libertas huc illuc, pro arbitrio, ſeſe motandi unquam neganda.

III. *Qualis aer pueris aptiſſimus ſit.* Quantumcunque puerum exercitaveris, parum vel nihil omnino proficietur, ſi coelum illi undique circumdatum grave ſit, vel inquinamentis ſcateat. Igitur aere puro, ſudo et ſereno, qui non alibi quam in oppidulis ruris quaerendus eſt, ſemper fruatur. "Urbes, inquit celeberrimus Rouſſeau *, illa horrenda generis humani ſepulchra, incolis brevi carerent, ni rus ſupplementum novum quotannis ſufficeret." Sin autem aer urbanus adultis tantopere noceat, quod haud dubie fit, quanto magis infantes, quibus ſenſilitas mobilitaſque ſyſtematis major ſit, laedat neceſſe eſt? Plurimum halitu mephitico e pulmonibus humanis conſtanter exhalante imbutus non noxas ſuas longe lateque diffundere non poteſt.

Quinetiam nihil magis pueri valetudini, quam aer conclavis calidi, frequentia hominum magna nimis conferti, alienum eſſe poteſt. Nutrices igitur alumnos ſuos omnibus ſpectaculis, quibus numerus mortalium ingens, in domum cubiculumve anguſtius condenſatus, aſſideat, diligenter abſtineant. Nonne hoc neglectum infantibus compluribus mortem ſaepius intulit, licet origo mali parentes medicoſve ex toto latuerit? Conſuetudo praeterea propius ignem pueros habendi, quippe quae irritabilitatem corporis adaugeat, haudquaquam periculo vacat. Contra, aeri frigido et omnibus ejuſdem viciſſitudinibus, ratione ſexus, virium corporis, frigoris regionis proprii, ſemper habita, ſenſim objiciendi ſunt; quo in poſterum quaſlibet coeli mutationes, frigore non collecto, et valetudine prorſus integra et illibata, tolerare poſſint.

Antequam partem hujuſce diſſertationis primam ad finem perduco, pauca adhuc in medium proferenda ſuperſunt.

Ut puer ante partum ſomno fere perpetuo obruitur, ita in lucem editus multum arcteque dormit. Cui ſomnus non frequenter obrepit, ille nec valet nec viget. Quo minus aetate proceſſerit infans, eo ſaepius diutiuſque dormiet. Haud unquam prius e ſomno, quam ſponte ſua expergiſcatur, excitandus eſt. Si vigilans ſatis exercitatus fuerit, in ſomnum poſtea quam facile illabetur.

Infantes, ut moris omnium fere gentium eſt, recens nati lavantur. Quae mulieres iſthmum Americanum incolunt, protinus a partu cum infantibus ſuis in aquam frigidam, idque ſine noxa, ſemet immergunt.

Pueri per totum infantiae ſuae decurſum ab omni immun-

* Sur l' Education.

ditia et ſordibus nimis alieni eſſe nequeunt. Æſtate ſemel vel bis ſingulis diebus aqua frigida laventur oportet. Idem hieme quoque, frigore aquae aliquantulum imminuto, fiat. Vires majores tandem adepti, in frigidam, mane unoquoque, ex toto demittendi ſunt, quod, ante omnia alia, corpora eorum tenella firmat. Documentum hujus ſatis luculentum praebent, ait Young *, vir laude meritiſſima florens, puerorum, qui uſu balnei frigidi quotidiano inſueverint, corpora valida et vigore plena.

Haec de morbis infantium arcendis dixiſſe ſufficiat. Quicquid ad argumentum hujuſcemodi jure ſpectare videtur, id leviter percurri, et, ut ab inſtitutis et exemplis naturae quam minime deflectatur, quod in pueris tollendis primum et ſummum eſſe duco, ubique ſtudioſe et diligenter hortatus ſum.

DE APHTHIS. †

Hic morbus in ore, et in toto canalis alimentarii decurſu, ſedem habet; et pueros, modo protinus a partu, modo ſerius, invadit. Regionibus frigidis humidiſque proprius eſt; licet zona torrida vim ejus non ſemper evaſerit. Swietenius eum plagas calidiores nunquam infeſtas habere contendit: Sed in hoc erraverit neceſſe eſt; cum Hillarius ‡ eundem in inſula Barbadoenſi epidemice graſſantem, pluvia ingenti et copioſa calores nimios excipiente, ſe vidiſſe teſtetur. In terris tamen ad ſeptentrionem ſpectantibus magis communis, magiſque funeſtus.

Aphthae in multis morbis acutis, velut in dyſenteriis, febribus inflammationem habentibus, et nervoſis, variolis, morbillis, aliiſque compluribus, ſeſe ſymptomatice perſaepe commonſtrant: Morbus vero, quem tractare decreverim, idiopathicus eſt, et infantes tres quatuorve hebdomadas natos invadit; licet illos, qui ſeptimanam primam nondum exceſſerint, aliquando corripiat.

SIGNA.

Hunc morbum ſaepe praecedunt convulſiones; et ſymptomata reliqua ordine ſequenti ſe manifeſtant. Infantulus ſpeciem dormientis prae ſeſe fert; at palpebrae ejus non ex toto committuntur; et, ſi accuratius inſpicias, nictare videntur. Motus muſculorum faciei labiorumque tremulus adeſt, qui riſum quendam reddit. Morbo ingraveſcente, puer reſpiratione ex toto fere ſuppreſſa laborat, ſuſpiria ducit, ſubſilit. Convelluntur artus. Spiritu infra ſuprave foras eliminato levatur;

* Vide Praelect. manuſcript. † Vid. tom. I. pag. 497.
‡ Hiſt. of diſeaſes of Barbad. p. 18.

caeterum

caeterum brevi poſtea convulſiones rurſus accedunt torquentque, donec vagitus immodicus paroxyſmo finem imponat, quem complures idem genus excipiunt.

Si in fauces introſpicias, lingua, et tota ſuperficies oris interna, papulas parvulas albeſcentes repraeſentat, quae, numero et magnitudine creſcentes, inter ſeſe coeunt, et cruſtam leviuſculam albidam, partes faucium interiores adeo ſuccingentem, ut os coagulis lacteis caſeove manducato repletum videatur, conſtituunt.

Morbus, ſi mitior, ore plerumque continetur: Aſt ſaepe malignus eſt; et maculae univerſae, pro colore albo flavum, fuſcum, aut ſubnigrum induunt, et tunicam inteſtinorum villoſam, ad rectum extremum uſque, obducunt. Adeſt plerumque febris inflammatoria vel nervoſa; ingens calor oris, quod adeo exulceratum eſt, ut infantulus fugere nequeat; quod quidem ſignis graviſſimis annumerandum. Dein ſubeunt inquietudo, diarrhoea vomituſque bilioſus, vigiliae, ſingultus, et omnia mortis inſtantis praenuncia.

Ita ſeſe habent indicia, quae hujus morbi maxime communia ſint, et medico innoteſcant; forſitan multo plura ſunt, quae, ob aetatem aegrotantis tenellam, adſtantes omnino lateant.

Causae.

Variae, apud auctores, hujuſce morbi cauſae referuntur; illarum vero pauciſſimae medentis attentione dignae videntur. Boerhaavius *, et Aſtruc †, ab obſtructione et acrimonia muci in ore, faucibus, gula, caeteriſque, excreti; Ætius ‡, auctor vetuſtus, a concoctione puerili laeſa, et pravis cibi dotibus; Smellius ‖, a ventriculo laxiore, et a ſecretione bilis deficiente, oriri contendunt.

Nec Boerhaavio illuſtriſſimo morbum a lentore muci, in ore caeteriſque excreti, pendere aſſentior; nam, ſi res ita ſeſe haberet, aphthae in omnibus catarrhis ſub initium, et in febribus, praeſertim inflammationem habentibus, ſeſe oſtenderent, et mortem ſaepius inferrent: Nec in ſententiam Smellii concedere volo; quoniam ratiocinium illius hypotheſin meram omnino ſapit. Quod bilis defectum ſpectat, alvus faeces ſaepe bilioſas excernit.

Num Ætio accedemus, et qualitates cibi infantilis pravas pro cauſa morbi habebimus? Haec opinio, me judice, non longe a vero diſtare videtur; quoniam, nutricem cibumve mutando, morbo ſaepe medemur.

An dotes aeriae, ſenſibus percipiendae, morbum ciere ſolent?

* Vide aph. 978.

† Sur les maladies des enfans.

‡ Vide op. fol. p. 71.

‖ Vol. I. p. 435. octav.

lent? Cum apud plagas frigidiores, tempeſtatibus humidis frigidiſque, plurimum ſemper graſſetur, cauſa non abeſſe videtur, cur frigus, cum aliis ſaltem cauſis remotis conjunctum, licet modus, quo agat, nos huc uſque latuerit, cauſis ejus principibus accenſeamus.

Ratio Medendi.

Cum cauſas hujuſce morbi, ut et aliorum complurium, plenius inveſtigare aut explicare nequaquam in promptu ſit, non eſt cur mireris, quae in medium proferamus, curandi conſilia tenebris, aliqua ex parte, involuta jacere. Quae remedia feliciſſime ceſſerint, et ſi qua alia nonnihil auxilii promittere videantur, ea adhibeamus neceſſe eſt.

Cum quaedam ſyſtematis irritabilitas evidenter adſit, a contentis ventriculi morbidis oriunda, conſilium primum eſt huic, vomitum eliciendo, quam primum occurrere. Guttae vini antimonialis pauculae, vel drachmae ſolutionis tartari emetici duae, vomitui in puero movendo ſufficient. Tartarus emeticus potius adhibendus; cum vinum antimoniale ſaepiuſcule vitiatum ſit, aegrotumque torminibus excruciare queat. Emeticum praeterea partes laxantis forſitan aget, et ita primas vias contentis ſuis exonerabit: "De utilitate hujuſce curandi viae, inquit D. Armſtrong *, nullus omnino dubito, fructum ejus ſummum non raro inter medendum expertus. Si pueris, protinus a partu, emeticum lene pro cathartico dare, et, neceſſitate poſcente, reiterare, medentes ſolerent, illis magis prodeſſet, et multo minus defatigationis inferret." Quinetiam, emetica vi diaphoretica pollent, quod plurimum in hoc morbo prodeſt; commoneo igitur, ut iterum iterumque praeſcribas.

An ſanguinis miſſio in morbum aliquid poteſt? Si puer validus et vigore plenus ſit, quam copiam duae treſve hirudines ſyſtemati detraherent, ea nihil fortaſſe noceret. Quando vero ſanguinem emittere, quando ſcalpello abſtinere conveniat, macularum color morbique ſtadium indigitabunt. Si morbus levior ſit, et ore contineatur, haec remedia ſola curationem fortaſſe perficient, alvo pueri, prout neceſſitas depoſtulabit, enematis ſubinde laxata

Hic morbus autem aliquando malignus evadit; et ſigna accedunt, quae magnam putredinem ſubeſſe teſtantur, cui ut potenter occurras, ad antiſeptica, et corticem Peruvianum potiſſimum, ſtatim confugiendum. Tincturam corticis, cibo pueri admiſtam, apte dabis; vel alvum, quoniam os exulceratum acutiſſime non raro dolet, enematis, ex decocto ejuſdem ſim-

* *Diſeaſes of children, p. 39.*

plice

plice conflatis, ſubduces. Enemata ſaepius adhibeantur, et gargariſmata cum caeteris medicamentis conſocientur, oportet. Tinctura roſarum aut corticis Peruviani ex aqua diluta, mel roſarum, aut album vitriolum aqua ſolutum, in fauces pueri ſyphunculo crebrius injicienda; vel os iiſdem, ope ſpongiae, humectandum. Emplaſtrum epiſpaſticum parvulum, inter ſcapulas admotum, quoque proficiet. Cum cruſtae areſcere et decidere coeperunt, nutrix infantis ori ſubinde digitum inſerat, et materiam, quae in cruſtas abierit, frictione leni reſolvat.

Si dotes lactis, quo infantulus nutriatur, inſalubres eſſe, morbumque movere, plane videantur, nutrix, propterea quod valetudine commoda non fruitur, ſtatim dimittatur, et ſana, cujus lac omni vitio vacet, quamprimum quaeratur.

DE DENTITIONE.

Haec ab omnibus fere periculi plena eſſe cenſetur, et multos revera, proh dolor! infantes rapit. An pro morbo tamen habenda? Si ratiocinia tua ab analogia, vel illa facilitate qua dentes animantibus reliquis oriantur, ducas; non morbis annumerandam eſſe, nec abſque ratione, uti videtur, graviſſima, concludes. Natura quoque plerumque in corpore humano, nullo dolore ſenſuve moleſtiae moto, agere conſuevit; caeterum, in dentitione, a modo ſuo agendi ſolito nonnunquam longe deflectit.

Dentitio quanquam ſignis periculoſis aliquando non vacaret, nihil tamen exinde noxae lethalis, infante caeteroquin valente ac vigente, exoriturum eſſe quivis putaret; at experientia rem ſaepius aliter ſeſe habere oſtendit. Mors autem infantis haud referenda eſt dentitioni, ſed cauſae prorſus diverſae et nimis vulgari, nempe nutricationi pravae, unde ſyſtema infantile adeo irritabile reddatur, ut conamina naturae, ad dentes producendos neceſſaria, ferre nequeat. Dentitio igitur per ſeſe perpenſa, niſi cum aliis rebus circumſtantibus conſociata, pro morbo nequaquam habenda.

Dentitionis Historia.

Dentium rudimenta in foetu, cum menſem quartum nondum exceſſit, numero viginti, et in membranam vaſculoſam intra maxillam incluſa, maturrime conſpiciuntur. Oculis objecta, molliuſcula et ſpongioſa reperiuntur; brevi vero poſtea, indolem oſſeam induere, et mutationes multifarias ſubire, incipiunt. Proceſſus hicce, ante partum, plerumque peractus eſt. Dentes circa menſem fere ſeptimum, octavum, nonumve,

prorumpunt;

prorumpunt: Caeterum natura genetrix interdum ab hac norma longius aberrat; aliis enim ſub menſem quintum, aliis ſub decimum octavum, oriuntur.

Pueri aliquando dentati naſcuntur. Quo maturius dentes erumpunt, eo maturius labaſcunt effluuntque.

In dentitione, ſymptomata diverſa, nonnunquam periculoſa, occurrunt. Haec autem in pueris aliis alia ſunt, et ex variis rebus, ſcilicet ex acumine et magnitudine dentis, ex mobilitate infantis, caeteriſque, pendent. Cum gingivas contrectando exploramus, ſpongioſas aut parenchymatoſas offendimus. Quae membranula illas involvit, ſi fides ſit auctoribus habenda, haud admodum ſenſilis eſt; irritata vero, praeſertim ſtimulo mechanico, aeque ac pleura aut perioſteum, vel pars alia quaelibet, inflammationi patet. In infantibus, ſyſtema nervoſum, caeteris paribus, quam in adultis, mole amplius eſſe videtur; ideoque injurias, quae adultiores haudquaquam moverent, perſentiſcant neceſſe eſt. In hoc autem pueri inter ſeſe magnopere diſcrepant: Alii enim ex morſu pulicis, vel ex ſtimulo quolibet hujuſcemodi leviuſculo, in convulſiones abripiuntur; dum alii, contra, noxam ne minimam quidem exinde percipiunt. Ita nonnulli, abſque dolore vel moleſtia, dentiunt; dum alii vita excedunt, vel aegerrime reſtituuntur. Dentes mox orituros eſſe demonſtrant gingivarum calor, dolor, ruborque. Idem quoque ex vagitu pueri continuo, et ex digito ejus parti affectae ſaepius admoto, innoteſcit.

Cum dolor intenſior glandulas ſalivarias aſſidue ſtimulet irritetque, ſaliva exinde, quantum ad copiam attineat, nimia ac nociva ſecernitur; cujus deglutitio perpetua, alimento ſimul ob ventriculi debilitatem parum concocto, diarrhoeam fere progignit. Pruritus meatus auditorios infeſtat; ex quibus, prout etiam ex oculis, humor ſanguineus nonnunquam effertur. Caeterum aliquando ſymptomata magis periculoſa accedunt; qualia ſunt, alvus aſtricta, febris concitata, oris inflammatio, aphthae faucibus obductae, convulſiones.

Ratio Symptomatum.

Cuinam vero cauſae, quaeſumus, haecce ſymptomata attribuenda? De hoc nondum inter medicos ſatis firme conſenſum. Diſtenſio autem et laceratio nervulorum, ex dente per gingivas earumque membranulas viam ſibi mechanice patefaciente oriundae, pro cauſa proxima, ſicut opinor, ſignorum principum habendae ſunt. Hoc revera dolor conſopitus, et caetera ſymptomata ſublata, gingivis inciſis, et exitu libero denti conceſſo, demonſtrant.

Auctor

Auctor ingenioſus *, qui nuper de dentibus ſatis fuſe conſcripſit, hac actione dentium mechanica repudiata, theoriam novam in medium protulit: " Gingiva, inquit, haudquaquam preſſura mechanica diſcinditur; caeterum irritatio, et inflammatio exinde naſcens, gingivam partis affectae paulatim atterit extenuatque." Nec non ſubjicit, " Solida labefacta abſorbentur, non in pus convertuntur."

Haec autem theoria, quamvis ſingularis et ingenioſa, nequaquam tamen arridet. Si quidem profecto gingivarum attritio vel extenuatio dentem ſuboriri ſineret, haec utique per frictionem gingivarum inter ſeſe mutuam neceſſario peragenda foret; quod haud dubie dolorem majorem exſuſcitaret, quam infans perferre poſſet.

Porro, ſi res ita ſeſe haberet, infantes ſinguli, priuſquam gingiva extenuaretur et dentes prorumperent, inflammationem procul dubio ſubirent: At vero complures, abſque ullo dolore vel moleſtia, dentire conſueverunt. Inſuper, membrana, gingivis circumvoluta, frictione craſſa fieret, morbumque augeret. Conſtat enim, quo magis pars corporis humani quaelibet frictioni ſubjecta fuerit, eo magis rigidam craſſamque evaſuram eſſe. Quinetiam, aliam doloris cauſam ſuppeditat incrementum dentium inaequale. Si quando enim maxilla dentibus paucioribus, abſque ordine ſparſim prominentibus, inſtructa fuerit, dentes futuri tardius enaſcantur oportebit, utpote qui, a dentibus hinc inde impediti, ad perpendiculum oriri nequeant.

Ratio Medendi.

In dentitione difficili bina curandi conſilia ſunt:

I. Violentiam ſymptomatum compeſcere atque levare.

II. Auxilium denti, viam ſibi per gingivas aperienti, ſubminiſtrare.

I. *Violentiam ſymptomatum compeſcere atque levare.* Sub primo dentitionis ſtadio, dum gingivae dolore et calore minimo afficiuntur, pauxillum laudani vel ſyrupi papaverum, parti laboranti digito nutricis admotum, ad dolorem ſedandum magnopere conferret. Emeticum, ad ventriculum contentis ſuis acidis et ſuperfluis exonerandum, ſubinde neceſſarium evadit; praeſertim cum infans plus lactis ab uberibus maternis ſaepius exſugat, quam rite concoquere poſſit. Huic autem conſilio tartarus emeticus, portiunculis parvis, uti ſupra comprehenſum, datus, optime reſpondebit.

Sub hoc rerum articulo, natura gingivas leviuſcule premen-

* Hunter on the Teeth, p. 80.

das

das eſſe demonſtrat. Animalia juniora gingivas arborum ramuſculis tenerioribus imprimunt; infantuli vero ſuis digitulos admovere conſuerunt.

Eo conſilio, nonnulli corpora duriuſcula, qualia corallina, ſive metallica, cincturis infantium appenſa, collaudarunt. Caeterum, periculum eſt, ne haec, prae duritie nimia, gingivis infantuli noceant. Digitus nutricis, ſive panis bis coctus emollitus, aut candela cerea, ſubſtantiis quibuſlibet aliis praeſtare videtur.

Mater unaquaeque, per hoc tempus, a munere nutricationis abſtinere debet; ne lac, ex animi moeſtitia, quam, infantulo ſuo aegrotante, penitus exuere nequeat, ſibi immutatum, curationis progreſſum retardet. Vicem maternam nutrix ſana praeſtabit; quae, ſi inflammatio gingivarum graviter urgeat, victu parciore utetur.

II. *Auxilium denti, viam ſibi per gingivas aperienti, ſubminiſtrare.* Cum ſymptomata ingraveſcunt, cum inflammatio, febris, et convulſiones, aegroto periculum intentant, ad remedia magis efficacia confugiamus oportet. Sanguinis miſſionem Sydenhamius et Harriſius * laudibus concelebrarunt. Hirudines binae, infra aurem utramque admotae, ſufficient; vel, ſi opus fuerit, tres quatuorve ſanguinis uncias brachio detrahere licebit. An epiſpaſtica adhibenda? Prout evacuantia quidem applicari poſſunt; ſed irritatio, quam creare ſoleant, ab uſu illorum temerario medicos abſterrere debet. Veſicatorium parvulum vero pedibus admotum, quo revulſio a capite fiat, in auxilium forſitan advocari queat; huic tamen pediluvium calidum, diutius continuatum, palmam praeripiet. Alvus, ſi dura ſit, purgantibus lenioribus, qualia rhabarbarum, ſena, &c. vel enematis, prout occaſio poſtulat, ſolvenda.

Sin haec remedia infantem non ſublevarint, ſubſidium extremum praeſtat ſcalpellus, quo gingiva incidenda, et exitus denti conciliandus. Ambroſius † Parey hanc curandi rationem in medicinam primus invexit, et in uno ex filiis ſuis feliciter exercuit. Nonnulli vero rejiciunt, 1. Quod inciſura gingivae, ut dentes inaequaliter oriantur, efficiet. Nonne hoc autem in dubio verſatur? An incommodum hujuſcemodi jacturae infantis aequiparandum; praeſertim cum natura, paucis annis elapſis, alios dentes in horum vicem ſuffectura ſit? 2. Quod, ut aiunt, dentes, hac ratione curandi adhibita, facilius effluent, citiuſque labaſcent. Hoc vero meram hypotheſin redolet. 3. Quod, operatione inſtituta, puero convulſiones inferuntur.

* De morbis infantium acutis.

† P. 584. folio.

Dubium

Dubium autem videtur, utrum dolori, quem dens exſuſcitet, an inciſioni, magis aſſignandae ſint; ab hac tamen oriri poenas, brevi decedent, et infans fauſtum ſcarificationis fructum percipiet. Itaque, prout videre licet, ratiocinia inciſuris adverſantium nullum omnino pondus habent, nec ab earum periculo faciendo quenquam abſterrere debent.

Difficultas maxima in loco rite dignoſcendo vertitur, in quo operatio inſtituenda ſit. Hoc autem deſignato, dentis acumen, ſive tuberculum albidum plagis leviuſculis, ope lanceolae, vel, quod praeſtaret, ſcalpelli, incidendum: Periculum enim eſt, ne per lanceolam partibus contiguis vulnuſcula inferantur. Poſt inciſionem peractam, inflammatio brevi ſubſidit, et dens more conſueto creſcere pergit.

Si, inter ſymptomata dentitionem concomitantia, inflammatio, praeſertim tumore aliquantulum inſigni ſtipata, quamlibet partem corripiat, inciſio plane depoſtulatur. Cum violentia ſymptomatum ex impedimento quovis, ab inaequalitate dentium vicinorum oriundo, pendebit; inciſura prius omiſſa, ad extractionem dentis, unde noxa fluat, protinus confugiendum.

I N D E X.

A Tom. Pag.

Abortus, iii. 241
Abſorbentia in ſcrofula, 71
Aceto--lotio cum--in febribus, i. 424
Acida in gaſtritide, 193
in ſcorbuto, iii. 49
et neutralia tuſſim ſaepe movent, i. 33
Acrimoniae humorum — modus obtundendi, 48
Adminiſtratio antiphlogiſtica, 38
Adſtringentia in diabete, ii. 107
in diarrhoea, 91
in haemorrhagiis, i. 35
in leucorrhoea, iii. 239
in menorrhagia, i. 82
Aer fixus in typho, 400
Oedopſophia urethrae, iii. 193
Ætas in choleram proclivis, ii. 80
enteritidi favens, i. 195
hypochondriaſi favens, ii. 25
in pertuſſin proclivis, 140
plethorae favens, i. 6
Ætas alia haemorrhagiis aliis opportuna, 24
ad haemorrhoida proclivis, 63
morbis inflammatoriis favens, 100
Æther vitriolicus in aſthmate, ii. 135
Alcali cauſtic. in gonorrhoea, i. 342
Alcalina in ſcrofula, iii. 71
Alvi durities haemorrhoidis cauſa, i. 65
excreta in plethora--pauca--quare? 6
ſtrictae ſtimulus vitandus, 47
Alvum ducentia in apoplexia, ii. 237
in arthritide, 289
in aſthmate, 134
in colica, 67
in cynanche tracheali, i. 130
in dyſenteria, 488
in enteritide, 206
in epilepſia, ii. 160
in eryſipelate, i. 267
in febre flava, 413
maligna, 420
in gaſtritide, 192
in gonorrhoea, 345
in haemoptoe, 60
in haemorrhagiis, 31
in haemorrhoide, 72
in hepatitide, 224
in hydrocephalo interno, iii. 33
in hydrope, 17
in hyſteritide, i. 237

Alvum ducentia in intermittentibus, i. 370
in mania, ii. 252
in menorrhagia, i. 81
in morbis inflammatoriis, 97
in morbis cutaneis, iii. 152
phlogiſticis, i. 116
in nephritide, 234
in ophthalmia, 148
in paralyſi, ii. 204
in pertuſſi, 145
in peſte, i. 452
in phrenitide, 156
in plethora, 13
in pneumonia, 179
in rachitide, iii. 82
in rheumatiſmo, i. 251
in rubeola, 307
in ſcorbuto, iii. 51
in ſcrofula, 66
in typho, i. 395
in variola, 282
Alvum ducentia dyſpepſiae cauſa, 9
Alvum ducentium quae vice funguntur, 14
uſus immodicus haemorrhoidis cauſa, 66
Alvus aſtricta, i. 198 ii. 14
Ejus remedia, ii. 16
Amara Dyſpepſiae cauſa, 10
in intermittentibus. i. 372
Amauroſis, iii. 222
Amenorrhoea, 229
Amputatio plethorae favet, i. 10
Anaeſtheſia, ii. 186
Anatarca, iii. 2
Ani prolapſus, i. 73
haemorrhoidis cauſa, 65
Animae deficientis deſcriptio, iii. 251
Animi pathemata in paralyſi remedium, ii. 207
Anodyna in catarrho, i. 322
in dyſenteria, 490
in enteritide, 206
in febre flava, 498
in gonorrhoea, 345
in menorrhagia, 82
in nephritide, 236
in phrenitide, 156
in pneumonia, 176
in rubeola, 309
in typho, 396
in variola, 283
Anorexia, ii. 12
Anorexiae dyſpepticae remedia, 15

Tom. Pag
Anthelminthica, iii 209
Antimonii calx nitrata in febre maligna, i 424
Antimonium in ſcrofula, iii. 67
Antiſeptica in cynanche gangraenoſa, i. 475
in dyſenteria, 489
in febre flava, 413
in gangraena, 275
in peſte, 453
in phthiſi, 336
in typho, 397
Antiſpaſmodica, ii 253
in amenorrhoea, iii. 234
in aſthmate, ii. 135
in cynan. tracheali, i 135
in epilepſia, ii. 163
in febr. intermit. i. 370
in hyſteria, ii. 119
in ictero, iii. 167
in iſchuria, 196
in pertuſſi, ii. 145
in typho, i. 395
Anxietas, 185
Aphtha, 437
Apoplexia, ii 214
atonica, 238
Apoſtema, i. 285
Applicationes externae in diabete, ii 109
in eryſipelate, i. 268
in gonorrhoea, 345
in morbis cutaneis, iii. 155
in paralyſi, ii. 212
in variola, i. 285
Aqua marina in ſcrofula, iii. 66
Aquae minerales in morbis cutaneis, 153
Aromata dyſpepſiae cauſa, ii. 9
Arſenicum in carcinomate, iii. 135
Arteriae quam venae minus denſae aetate infantili et juventute, i. 2, 26
Arteriotomia in ophthalmia, 146
Arthritis, ii. 281
Aſcites, iii 4
Aſthma ſpaſmodicum, ii. 124
Aſthenica diatheſis, 169
Atheroma iii. 126
Auditus difficilis, 225
Aura epileptica, ii. 156

B

Balneum in catarrho, i. 322
in cholera, ii. 88
in colica, 69
in cynanche tracheali, i. 133
in diabete, ii. 106
in dyſenteria, i. 488

Tom. Pag
Balneum in enteritide, i. 207
in eryſipelate, 269
in febre flava, 413
in nephritide, 236
in pneumonia, 180
in rubeola, 300
in typho, 393
Balneum calidum in morbis inflammatoriis, i. 98
Balſama in gonorrhoea, 348
in phthiſi, 336
Bilis an dyſpepſiae cauſa? ii. 5
an febris cauſa? i. 407
Bougies, 349
Bronchotomia in cynanche tracheali, 135

C

Cacochymia, i. 1
Calculi icterici, iii. 162
renum et veſicae, 168
Eorum formatio, 174
Calor gratus et nocens, i. 41
in haemorrhagiis vitandus, 30
paralyſeos cauſa, ii. 194
in paralyſi, 208
Caloris animalis cauſa, 22
actio in inflammatione inducenda, i. 102
Capiſtrum, ii. 167
Carcinoma, iii. 120
Cardialgia, ii. 13
Ejus dyſpepticae remedium, 15
Catalepſis, 219, 222
Cataphora, i. 107 ii 218
Catarrhi in rubeola curatio, i. 309
Catarrhus, 312
veſicae, iii. 192
Catochus, ii. 164
Cerebri haemorrhagia, i. 26
Chalybeata in haemorrhagiis, 35
Chloroſis, ii. 44
Cholera, 72
Cibi appetentia in hypochondriaſi prava, 32
in chloroſi, 47
genera, i. 14, 23
Idem febricitantibus aptus, 45
inflammationem ſtimulo inducens, 104
in ſcorbuto, iii. 48
nutrimento pollens plethorae favet, i. 8
plenior dyſpepſiae cauſa, ii. 9
Cicuta in ſcirrho, iii. 136
hepatis, 168
in ſcrofula, 67
in phthiſi, i. 337
Coelum hypochondriacis aptum, ii. 37

Tom. Pag
Coelum phthiſi aptum, i. 334
Caffea dyſpepſiae cauſa, ii. 7
Colica, 60
Color virideſcens in chloroſi, 49
Coma, 218
Condimentorum ſtimulus, i. 104
Conformatio prava haemorrhagiae favet, 24
Conſenſus ventriculi, 183
Contagio catarrhi cauſa, 318
peſtilera, 442
variolae, quomodo agit, 279
Contagionis natura, 416
Convulſio, ii. 149, 164
Corpulentia, i. 10
Cruſta coriacea, 186, 249
Cucurbitae cruentae in enteritide, 206
in ophthalmia, 147
Cutis morbi, iii. 140
ruboris in plethora explicatio, i. 5
Cynanche gangraenoſa, 466
tonſillaris, 99
trachealis, 121

D

Debilitatis cauſae, effectus, et remedia, ii. 168
Delirium febrile, i. 385
ferox in phrenitide, 154
in pneumonia, 174
Demulcentia in dyſenteria, 490
Dentitio, iii. 285
Diabetes, ii. 92
Diarrhoea, 89
in febri maligna, i. 423
Ejuſdem colliquantis auxilia, 338
Diatheſeos phlogiſticae ſigna, 428
Diatheſis aſthenica, ii. 169
phlogiſtica, i. 2, 101
Diluentia in cholera, ii. 84
in dyſenteria, i. 489
in pneumonia, 179
Diſtortionis auxilia, iii. 86
Diuretica in gonorrhoea, i. 345
in hydrope, iii. 18
in iſchuria, 198
in paralyſi, ii. 205
in ſcorbuto, iii. 51
Diureticorum abuſus, i. 229
Dolor a vaſorum diſtenſione, 5
capitis in phrenitide, 154
dyſpepticus, ii. 14
hypochondriacus, 33
in hepatitide acutus et hebes, i. 221
in inflammatione, 88
in rheumatiſmo chron. ii. 303
Dolores ſecundi in puerperis, iii. 262
Doloris communicatio, i. 221

Tom. Pag
Dulcamara in phthiſi, i. 337
Dyſenteria contagioſa, 477
Dyſpepſia, ii. 1

E

Ecſtaſis, 219
Effuſio inflammationis finis in pneumonia, i. 169
Electricitas in hydrocephalo, iii. 34
in iſchuria, 198
in gonorrhoea benigna, 119
in paralyſi, ii. 209
in ſcirrho, iii. 137
in ſcrofula, 69
Elephantiaſis, 36
Emetica dyſpepſiae cauſa, ii. 9
in arthritide, 294
in aſthmate, 134
in catarrho, i. 322
in cynanche tracheali, 132
in diabete, ii. 107
in dyſenteria, i. 487
in febre flava, 412
in febr. intermittentibus, 367
in haemoptoe, 60
in haemorrhagiis, 34
in hydrope, iii. 16
in ictero, 167
in menorrhagia, i. 82
in morb. inflammatoriis, 98
in paralyſi, ii. 204
in pertuſſi, 141
in peſte, i. 450
in phrenitide, 155
in phthiſi, 334
in pneumonia, 180
in rachitide, iii. 81
in rheumatiſmo, i. 253
in rubeola, 309
in typho, 395, 498
Emollientia in inflammatione, 98
in ophthalmia, 149
Emphyſema, iii. 3
Empyema, 8
Enemata in colica, ii. 68
in dyſenteria, i. 489
in enteritide, 206
in gaſtritide, 182
in hyſteritide, 239
in nephritide, 234
in variola, 281
ut fomenta, 193
ut nutrientia, 194
Enteritis, 195
eryſipelatoſa, 256, 264
Enureſis, ii 95
Epilepſia, 147
Epiſpaſtica in apoplexia, 237
in aſthmate, 134
in catarrho, i. 322

Epiſpaſtica

Tom. Pag

Epiſpaſtica in colica, ii. 69
in cynan. tracheali, i. 131
in dyſenteria, 487
in epilepſia, ii. 160
in febre maligna, i. 422
in gaſtritide, 192
in hepatitide, 225
in haemoptoe, 60
in haemorrhagiis, 33
in hydrocephalo, iii. 33
in hydrope, 16
in hyſteritide, i. 237
in menorrhagia, 82
in morb. inflammatoriis, 98
in nephritide, 235
in ophthalmia, 148
in paralyſi, ii. 206
in pertuſſi, 142
in peſte, i. 450
in phrenitide, 156
in phthiſi, 333
in pneumonia, 180
in rheumatiſmo, 253
in rubeola, 309
in typho, 392, 498

Epiſtaxis, ſeu narium haemorrhagia, 49
Ephiſthotonos, ii. 164
Errhina in paralyſi, 205
Eruptiones in hepatitide, i. 222
in hypochondriaſi, ii. 35
Eryſipelas, i. 254
Euchyma, 1
Excretiones ſolito minores plethorae favent, 8
Exercitatio in diabete, ii. 105
in haemoptoe, i. 59
in haemorrhoide, 72
in phthiſi, 334
plethorae occurrit, 36
plethoricis moleſta, 5
Ejuſdem effectus varii, 16
ſpecies variae, 17
Exoſtoſis, iii. 106
Expectorantia in catarrho, i. 322
in cynan. tracheali, 131
in phthiſi, 338
in pneumonia, 181

F

Febris bilioſa dicta, i. 406
cauſa proxima, i. 361
flava Indiae, 401
inflammatoria, 350
intermittens, 352
lactea, iii. 270
maligna 1779, i. 415
miliaris, 491
nervoſa, 374
puerperalis, iii. 264
putrida, i. 378

Tom. Pag

Febris in paralyſi remedium, ii. 208
Flatus, 13
Fluor albus, iii. 235
Fomenta in enteritide, i. 207
in gaſtritide, 193
in gonorrhoea, 345
in hepatitide, 225
in hyſteritide, 239
in morbis inflammatoriis, 97
in peſte, 453
in phrenitide, 156
in rheumatiſmo, 254
in variola, 281
Fontanellae in haemoptoe, 60
in ophthalmia, 149
Frigoris applicatio in haemorrhagiis, 35
actio in inflammatione inducenda, 103
Frigus catarrhi cauſa, 316
dyſpepſiae cauſa, praecipae humidum, ii. 12
paralyſeos cauſa, 195
in abortu, iii. 249
in febre, i. 362
maligna, 424
in haemorrhagiis, 30
in menorrhagia, 81
in morbis phlogiſticis, 109
in paralyſi, ii. 209
in peſte, i. 453
in variola, 280

G

Gangraena, i. 92
Gangraenae curatio, 275
Gargariſmata in cynanche gangraenoſa, 475
Gaſtrodynia, ii. 14
Gaſtrodyniae dyſpepticae remedia, 16
Gaſtritis, i. 182
eryſipelatoſa, ibid
Glandulae, iii. 63
Gonorrhoea ſimplex, i. 341
virulenta, 339
Gonorrhoeae materiem luis differre, 341
prophylaxis, 342
Gratiola, iii. 111
Graviditas phthiſeos auxilium, i. 335

H

Haemorrhagia activa et paſſiva, 20
arterioſa et venoſa, 2, 26
medenda necne? 71
narium. vid. Epiſtaxis.
Haemorrhagiarum genera, i. 20
Haemoptoë, 51
Haemorrhoidis ſedes, 62, 67

Haemorrhois

Tom. Pag
Haemorrhois, i. 61
Haemorrhois a lue venerea, 67
medenda necne ? 71
Hemiplegia, ii. 186
Hepatis anatomia, i. 208
tumores, iii. 157
Hepatitis, i. 208
Herniae, 197
Hirundinum uſus in ophthalmia, 147
Horripilatio in morb. phlogiſticis, 87
Hydrocele, iii. 9
Hydrocephalus internus, 22
Hydrometra, 9
Hydrops, iii. 1
a ſanguinis detractione, i. 12
Hydrorachitis, iii. 8
Hydrothorax, 7
Hyoſcyamus in epilepſia, ii. 163
Hyperaſtaſis, iii. 106
Hypochondriaſis, ii. 17
Hyſteria, 109
Hyſteritis, i. 237

I

Icterus, iii. 155
Ileus, i. 196 ii. 13
Induſium laneum, i. 72
Infantiles morbi, iii. 273
Inflammationis theoriae, i. 89
Inflammatorii morbi, 85
Inflammatoriorum morborum cauſa proxima, 101
Inflatio, ii. 13
Injectiones in gonorrhaea, i. 342
aſtringentes in eadem, 349
Inſitio variolae, 286
Inſomniorum terrificorum explicatio, 5
Inſpiſſantia in diabete, ii. 108
Inteſtinorum calor in diabete, 103
varii affectus, i. 196
vulnus, 195
Intumeſcentia in plethora, 5
Intus-ſuſceptio, 197
Iſchias, ii. 301
Iſchuria, iii. 185
a calculo, 192
a muco, ib.
a pure, ib.
a ſanguine, 193

L

Labes haereditaria dyſpepſiae cauſa, ii. 12
Lactatus immature ſuppreſſus plethorae favet, i. 9
Lethargus, ii. 218
Leucorrhoea, iii. 235
Lichen iſlandicus in phthiſi, i. 238
Ligaturae in haemorrhagiis, 34
Lingua inquinata in chloroſi, ii. 49

Tom. Pag
Liquores ſpirituoſi dyſpepſiae cauſa, ii. 7
tepidi in hypochondriaſi, 42
Lithontriptica, iii. 177
Lobelia ſyphilitica, 11
Lochiorum profluvium, 254
Lues venerea, 88
haemorrhoida facit, i. 67
Luis venereae ſtadium confirmatum, iii. 101
Lumbago, ii. 301
Lymphatica vaſa, iii. 1

M

Mania, ii. 238
Melancholia, 242
Melaena, i. 62
Meliceris, iii. 126
Menorrhagia, i. 73
Menſes ſuppreſſi plethorae favent, 8
Menſtrua, iii. 229
Menſtruorum cauſae, i. 74
Mentis actio nimia hypochondriaſis cauſa, ii. 27
affectiones incitantes, i. 105
et corporis actio reciproca, 6
exercitatio ſtimulat, 44
regimen in hypochondriaſi, ii. 40
Mercurius in hepatis ſcirrho, iii. 167
in hepatitide, i. 226
in hydrocephalo, iii. 35
in iſchuria, 198
in lue venerea, 111
in phthiſi, i. 337
in rabie canina, ii. 273
in ſcirrho et carcinomate, iii. 135
in ſcrofula, 67
in variola, i. 498
in ulcuſculis venereis, iii. 96
Mezereon in lue, 119
Motus corporis quibus in morbis nocet, i. 43
Muci a pure diſtinctio, 316
Mucus nimius an dyſpepſiae cauſa ? ii. 5
Mundities in ſcorbuto, iii. 52
Muſice in mania, ii. 254

N

Narcotica dyſpepſiae cauſa, ii. 6
Nauſea, 13
Nephritis, i. 226
Neutralia et acida ſaepe tuſſim movent, 33

Tom Pag

Nicotiana dyſpepſiae cauſa, ii. 7

O

Obeſitas in plethora, i. 8
Obeſitatem inter et plethoram diſtinctio, 431
Obſtructiones haemorrhagiam concitant, 27
Oculi inflammatio. Vid. Ophthalmia.
 ſpecies in typho, 384
Ophthalmia, 137
Opii operandi modus, ii. 177
Opiſthotonos, 164
Opium dyſpepſiae cauſa, 6
 in abortu, iii. 249
 in arthritide, ii. 296
 in cholera, 87
 in diabete, 108
 in haemorrhagiis, i. 33
Orthopnaea, ii. 126

P

Palpitatio cordis in hypochondriaſi, ii. 34
Paralyſis, 185
Paraplegia, 186
Paraplexia, ib.
Pareſis, ib.
Pathemata hypochondriaſis cauſa, 28
Pediluvium in phrenitide, 156
Pemphigus, i. 496, iii. 147
Peripneumonia notha, i. 160
Perſpiratio imminuta inflammationes inducit, 104
 plethorae favet, i. 8
Pertuſſis, ii. 137
Peruvianus cortex in febre flava, i. 413
 in intermittentibus, 372, 497
 in peſte, 452
 in typho, 397, 497
Peſtis, 436
Phlegmaſiae, vid. Inflammatorii morbi.
Phlegmone, 254
Phlogiſtica diatheſis, 2
Phlogiſtici morbi, 107
 Eorum de remediis regulae, 119
Phrenitis, 151
Phthiſis pulmonalis, 323
 a tuberculis, 55
Plethora et ejus ſpecies, 1, 2
 idiopathica et ſymptomatica, 14
 topica, } haemorrhoida faciens, 65
 univerſa, } haemorrhoida faciens, 64
Plethorae feminia, 22
Plethoram inter et obeſitatem diſtinctio, i 431
Pleuritis ſpuria, 160
Plica polonica, iii. 149
Plumbi praeparata in haemorhagiis, i. 35
Plumbi uſus in inflammatione, 97
Pneumonia, 157
Polychymia, 1
Polyſarcia, i. 6, iii. 3
 adipoſa, i. 10
 a ſanguinis detractione, 12
Poſitura corporis in haemorrhagiis, 31
Potionis ſtimulus, 104
Potus genera, i. 16
Potus febricitantibus aptus, 46
 in ſcorbuto, iii. 50
Pſora, 156
Puerperalis febris, 264
Puerperarum morbi, 259
Pulmonum haemorrhagia, vid. haemoptoe
Pulmonum tubercula qualia? i 55
 vulnera ſaepe ſanatu facilia, 54
Pulſatio partis inflammatae, 88
Pulſus durus et tardus in hypochondriaſi, iii. 35
 intermittens, i. 185
Puris a muco diſtinctio, 316
Pus in abdomine, 217
Putrida dyſpepſiae cauſa, ii. 9
Pyrexia, i. 22
Pyrexia in haemorrhagiis, ibid.

Q

Quies, i. 23
 in haemorrhagiis, 30
 in menorrhagia, 81
 plethorae favet, 7

R

Rabies canina, ii. 255
Rachitis, iii. 78
Refrigerantia in cynanche tracheali, i. 135
 in eryſipelate, 267
 in haemorrhagiis, 33
 in hepatitide, 223
 in hyſteritide, 239
 in menorrhagia, 82
 in morbis inflamatoriis, 97
 in ophthalmia, 149
 in phrenitide, 156
 in phthiſi, 333
 in pneumonia, 175
 in rheumatiſmo, 252
 in variola, 280

Tom. Pag

Regimen in febribus intermittentibus, i. 367
in gonorrhoea, 345
in haemoptoe, 58
in haemorrhagiis, 30
Harum reditui adverſum, 35
in haemorrhoide, 72
in hypochondriaſi, ii. 40
in menorrhagia, i. 81
in morb. inflammat. 96
in phthiſi, 333
in typho, 389
Regio morbis inflammatoriis favens, 100
Relaxantia dyſpepſiae cauſa, ii. 10
Rheumatiſmus acutus, i. 241
chronicus, ii. 301
Rubeola, i. 300
Ejus inſitio, 310
putreſcens, ibid.
Rubor in inflammatione, 88
Ructus, ii. 13
Ruminatio, ibid.

S

Sales neutri in febrib. intermit. i. 369
in gaſtritide, 193
in typho, 394
Sanguinis circuitum accelerantia haemorrhagiam faciunt, 27
cruſta coriacea in inflammatione, 89
detractio in abortu, iii. 248
in apoplexia, ii. 237
in arthritide, 289
in aſthmate, 132
in colica, 70
in cyn. tracheali, i. 129
in dyſenteria, 487
in enteritide, 204
in epilepſia, ii. 159
in eryſipelate, i. 264
in febre maligna, 421
intermitt. 370
in gaſtritide, 191
in gonorrhoea, 344
in haemoptoe, 64
in haemorrhagiis, 31
in haemorrhoide, 71
in hepatitide, 224
in hydroceph. interno, iii. 33
in hyſteria, ii. 109
in hyſteritide, i. 239
in iſchuria, iii. 197
in mania, ii. 251
in menorrhagia, i. 81
in morb. inflamm. 89
phlogiſticis, 117

Tom. Pag

Sanguinis detractio in nephritide, i. 233
in ophthalmia, 145
localis, 146
in paralyſi, ii. 203
in peſte, i. 449
in phrenitide, 155
in phthiſi, 332
in plethora, 11
ad recurſ. ejus praecav. parum confert, 37
in pertuſſi, ii. 140
in pneumonia, i. 176
in rheumatiſmo, 250
in rubeola, 307
in typho, 294
in variola, 281
detractione, cautelae de 13
in febrib. continuis, 425
detractiones crebrae, 23
detractionis conſuetudo plethoram gignens, 9
venoſi arterioſive obſtructio haemorrhagiam ciet, 27
Sarcoma, iii. 126
Sarſaparilla in phthiſi, i. 337
Scarlatina, 311
Scirrhus, i. 93, iii. 120
pylori, ii. 3
Sciatica, 301
Scorbutus, iii. 36
Scrofula, 54
phthiſi pulmonali affinis, i. 323
Sedantia dyſpepſiae cauſa, ii. 6
paralyſeos cauſa, 195
in chloroſi, 56
Setacea in ophthalmia, i. 149
in peſte, 451
Senſus irritantia in morbis febrilibus nocent, 40
Sexus in haemorrhoida proclivis, 63
in hypochondriaſim proclivis, ii. 25
ſequior plethorae favet, 7
Sialagoga in hydrope, iii. 20
in paralyſi, ii 206
Singultus, i. 185
in gaſtritide, 191
in hepatitide, 222
Sitis in hydrope, iii. 15
in morbis inflammatoriis, i. 89
ut ſtimulus, quomodo fuganda, 48
Solanum in carcinomate, iii. 137
Somnus invitus in plethora, i. 5
plethorae favet, 7
Spaſmus, ii. 164

Tom. Pag
Spaſmus febrilis, i. 362
Inteſtinorum, 197
in haemorrhagiis, 22
in morb. inflammatoriis, 87
in morbis febrilibus obtinet necne? 111
Spiritus ſanguinis circuitui rationem habet, 5
difficilis in aſthmate, ii. 132
in chloroſi, 50
in hydrope, iii. 14
in ictero, 3, 165
in hypochondriaſi, ii. 24, 35
in plethora, i. 5
in pneumonia, 171
in rubeola, 306
Sputatio continua in hypochondriaſi, ii. 34
Stahlii de haemorrhagiis cohibendis opinio, i. 28
Steatoma, iii. 61, 126
Stimulantia in diabete, ii. 107
in hypochondriaſi, 43
in paralyſi, 211
in phthiſi, i. 337
in rheumat. chron. ii. 305
in ſcrofula, iii. 69
dyſpepſiae cauſa, ii. 9
Stimulatio in rubeola, i. 306
Stimulorum ſolitorum abſentia, ii. 11
Stramonium in epilepſia, 163
Succi ſcorbutici in morbis cutaneis, iii. 152
Sudor in arthritide, ii. 294
in catarrho, i. 322
in cynanche tracheali, 132
in diabete, ii. 107
in enteritide, i. 205
in eryſipelate, 269
in febre maligna, 423
in hepatitide, 225
in morbis cutaneis, iii. 153
phlogiſticis, i. 115
in nephritide, 235
in paralyſi, ii. 205
in peſte, i. 251
in pneumonia, 171
in rheumatiſmo, 252
in ſcorbuto, iii. 51
in typho, i. 395
Sudoris colliquantis auxilia, 337
ſubacide in diabete olentis explicatio, iii. 103
Suppuratio, i. 91
Suppurationis in pneumonia ſigna, 168
Surditas, iii. 225
in febribus, i. 365
Syncope in puerperis, iii. 251

Tom. Pag
Synocha, i. 350
Synochus, 378
Syphilis, iii. 88

T

Tarſi inflammatio, i. 150
Temperamentum haemorrhoidi favens, 63
melancholicum, i 1, ii. 20
morb. inflammatoriis favens, i. 100
ſanguin. i. 1, 56, 323, ii. 20
plethorae favet, i. 6
Tempeſtas haemorrhagiis opportuna, 63
morbis inflammatoriis favens, 100
Tetanus, ii. 149, 164
Thea dyſpepſiae cauſa, ii. 7
Thoracis conformatio prava haemoptoes ſaepe feminium, i. 56
Tinea capitis, iii. 143, 149
Tonica in abortu, iii. 250
in amenorrhoea, 233
in aſthmate, ii. 136
in chloroſi, 56
in cynanche tracheali, i. 136
in diabete, ii. 107
in dyſenteria, i. 490
in dyſpepſia, ii. 16
in epilepſia, 161
in febre flava, i. 413
in febre maligna, 422
in gangraena, 275
in gonorrhoea benign. iii. 119
in hydrope, 21
in hypochondriaſi, ii. 38
in hyſteria, 122
in intermittentibus, i. 372
in iſchuria, iii. 196
in menorrhagia, i. 83
in pertuſſi, ii. 144
in rachitide, iii. 84
in rheumatiſmo, i. 254
in ſcorbuto, iii. 53
in ſcrofula, 67
in typho, i. 397
in variola, 283
dyſpepſiae cauſa, ii. 10
Trichoma, iii. 149
Triſmus, 167
Tubercula, in haemorrhoide, unde? i. 68
quomodo tractanda? 73
Tubercula in phthiſi, 324
Tumor in hydrope, iii. 14
in inflammatione, i. 88
albus, *Hydarthrus*, iii. 56
Tuſſilago in phthiſi, 337
in ſcrofula, iii. 67

Tuſſis

Tom. Pag
Tuſſis in cynanche tracheali, i. 127
Tuſſis in hepatitide, 221
in hydrope, iii. 14
in pneumonia, i. 172
in rubeola, 306
in phthiſi remedia, 337
Tympanites, iii. 6
Typhomania, ii. 219
Typhus, i. 374

U V

Vapor ex reſinis in phthiſi, i. 336
Vaporis uſus in haemorrhoide, 73
Variola, 271
ejus inſitio, 286
Venae arteriis denſiores aetate infantili et juventute, 2, 26
Venena, iii. 214
Venenorum antidoti, i. 190
Venerea ulcuſcula, iii 88
Ventriculi conſenſus, i. 183, ii. 11
diſtenſio, i. 189
Eum ſtimulantium effectus, ibid.
Ventriculo cruda et corrupta quo modo ejicienda ? 47

Tom. Pag
Vermes, iii. 199
Vertigo in haemorrhoide, i. 68
in hypochondriaſi, ii. 35
Vertiginis in plethora explicatio, i. 5
Veſicae ulcera, iii. 237
ulcerum ſigna, i 341
Vina quae haemorrhoida creant, 66
Vinum in typho, i. 398
Vires naturae medicatrices, 22
Ulcerum veſicae et renum ſigna, 341
Vomitus, ii. 13
creber dyſpepſiae cauſa, 11
dyſpeptici remedia, 15
in gaſtritide, i. 193
in hepatitide, 222
Urina ſuppreſſa, 186
Urinae ſpecies in febribus, 387
Vulnus inteſtinorum, 195

W

Wintringhamii experimenta, 2, 20

Z

Zinci flores in hydrocephalo, iii. 35

FINIS.